$2.43

UNIVERSA

THEOLOGIA SCHOLASTICA

QUAM IN COLLEGIO LOVANIENSI S. J.

TRADEBANT

L. DE SAN, G. LAHOUSSE & A. VERMEERSCH e S. J.

QUAESTIONUM MORALIUM

AD USUM HODIERNUM

VOLUMEN ALTERUM

Brugis, typis Houdmont-Boivin et Filiorum

QUAESTIONES
DE JUSTITIA

AD USUM HODIERNUM

SCHOLASTICE DISPUTATAE

AB

A. VERMEERSCH e S. J.

DOCTORE JURIS ET SCIENTIARUM POLITICARUM
LOVANII IN COLLEGIO MAXIMO S. J. PROFESSORE THEOLOGIAE
MORALIS ET JURIS CANONICI.

ALMA COLLEGE
239.17
LIBRARY
V591
Alma, California

Opus auctum literis Illustrissimi Episcopi Brugensis ad scriptorem

FATHERS LIBRARY,
ALMA COLLEGE
ST. JOSEPH'S CHURCH,
LIBRARY
SAN JOSE, CAL.
Alma, California

BRUGIS
SUMPTIBUS DESCLÉE

ROMAE & RATISBONAE
F. PUSTET

LUTETIAE PARISIORUM
P. LETHIELLEUX

1901

5209

Ego AUGUSTUS PETIT, Praepositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre LUDOVICO MARTIN, ejusdem Societatis Praeposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus *Quaestiones De Justitia ad usum hodiernum scholastice disputatae*, a Patre ARTHURO VERMEERSCH, S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 15 Decembris 1900.

A. Petit, S. J.

Évêché
de
Bruges.

Brugis, 12a Decembris 1900.

FATHERS LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

Reverende admodum Pater,

Quem libri DE JUSTITIA *a te edendi requirebas censorem, haud immerito nactus es approbatorem. Egregium sane opus, tum copia doctrinae et singulari in rebus dijudicandis sapientia, tum opportunitate rerum expositarum.*

Quod quidem maxime, ni fallor, viris peritis placebit, hoc est, quod, relicta compendiorum via nimis trita, res ita ad trutinam revocaveris, ut veri nominis scientiae morum profectui consulueris; simulque, quod hac nostra tempestate optatissimum est, illustrando rerum intellectum, animorum concordiae jam omnino perficiendae, ut spero, efficaciter opem contuleris.

Neque minus gratum mihi contigit, te propositum meum, quod mente conceperam,

exsequi autem ante plures forte annos mihi non licebit, tam feliciter maximam partem perfecisse, videlicet ut librum, quem de eodem juris atque justitiae argumento quindecim abhinc annis publici juris feci, denuo recenserem, additis recens excitatarum questionum resolutionibus.

Itaque tibi, Reverende admodum Pater, summopere gratulor egregium opus, et fausta quaeque tibi a Domino apprecor.

† G. J. Episc. Brugen.

PRAEFATIO

Primam *scribendi causam* praebuit proxima Congregatio generalis Societatis Jesu, cum decreto suo XXIV jussisset in disciplina nostra scholastice exponi eas quaestiones « quae principia continent scientiae moralis ». Tempora deinde et rerum publicarum adjuncta suasere ut a *justitia* exordiremur, quamvis speciale illud genus causae deberet, secundum rationalem philosophiam, generalioribus loco cedere.

Hoc itaque volumine non omnia complectimur in quibus versari solent opera *De jure et justitia*, verum ea tantum quae existimavimus aditum parare ad responsa particularia, vel maxime ad hodiernas controversias interesse. Quo delectu habito, fit, ad summam, ut res sint numero pauciores, copiosior tamen et uberior valeat esse singularum expositio.

Eo porro *consilio* ad argumentum tractandum accessimus, ut non tantum quid nobis probaretur sed etiam quid aliis placeret oratione persequeremur, ac, minime dissimulata rerum difficultate, diligentissime momento suo ponderaremus earum rationes.

Verum, quia illud communis solet esse fons errandi et infinite sed frustra disputandi, quod initiorum falsus fuit intellectus vel nimis levis consideratio, conclusionibus nostris quaesivimus firmissimum summorum principiorum praesidium, in quibus indagandis opera consumenda est nonnihil laboriosa et ingrata, simul tamen laeta fructuum spe recreans animum quaerentis.

De summis istis principiis interrogare placuit superioris aetatis doctores atque imprimis *Angelicum*, in cujus aureis documentis nititur omnis nostra expositio. Vigilanter itaque inquisivimus in veram ejus mentem, eamque in quibusdam, nominatim in quaestione de justitia legali ubi videbatur nobis parum a pluribus intellecta, conati sumus restituere et illustrare.

Recentiores tamen minime negleximus, praesertim quum ad usum hodiernum parum aptae forent quaestiones nisi ad errores nostrae aetatis intendissemus animum. Libenter igitur modernorum usi sumus sapientia; nihilque nobis optatius fuit quam ut eorum suffragio proprias confirmaremus sententias. Juvat hic aperte profiteri quanti faciamus non paucos viros, omni doctrina eruditos, qui ante nos scripsere *De Justitia*, ac de eorum adjumento ipsis debitas persolvere gratias. Quo tamen in viam veritatis nos certius deducerent, eos non sumus secuti nisi quantum facem rationis nobis praeferre videbantur. Itaque in eorum sententiis explorandis posuimus curam, in probandis nulla fuit adulatio, in deserendis nullus contemptus vel derogatio existimationis, adeo ut iisdem vicissim usi simus patronis et adversariis.

Sed si privatorum virorum auctoritas nos non prohibuit intrinseca argumenta habere in prima commendatione et libere propriam aperire sententiam, ex ipso veri studio fugienda fuit omnis pertinacia. Quare, non tantum potuimus deferre judicio nostro ut postponeremus oracula Ecclesiae illius quam Deus nobis dedit veritatis infallibilem magistram. Idcirco ad documenta gloriose regnantis Summi Pontificis nos applicavimus totos; praecipuumque, ut res postulabat, fuisse respectum Encyclicae *Rerum Novarum*, supervacaneum est hic commemorare. Ac, nisi quid nos fallit, ne latum quidem unguem ab ejus verbis vel sensu recessimus.

Methodo usi sumus scholastica: declaratis itaque notionibus, certam praescripsimus conclusionis formulam seu *thesim*, quam dialecticorum more confirmaremus, dissolutis, quantum poteramus, contrariis rationibus. Plenior deinde adjuncta fuit doctrinae expositio in *corollariis* et *scholiis*.

Denique, ut commodis legentium consuleremus, modernas minime aspernati artes, non tantum ad rerum disparitatem accommodare contendimus varietatem typorum et libri figurae, sed conati sumus pluribus *Indicibus* volumen istud aliquantum locupletare.

Quod, quantulumcumque est, opus nostrum vertat in virtutis Justitiae incrementum, atque ad pacem socialem nonnihil conferat, ex gratia aequissimi Principis Pacis, Christi Jesu, intercedente ejus Matre, Virgine Immaculata, in cujus auspicatissimo die scribendi fecimus finem.

Lovanii, die 8ª decembris, 1900.

SUMMA RERUM

Inserti sunt in ipsis lineis numeri marginales

Pagina

QUAESTIO PRIMA

DE VIRTUTE JUSTITIAE EJUSQUE PARTITIONE

Conspectus quaestionis 3

Quaestionis momentum, 1. — Divisio, 2. — Praecipienda notio, 3.

EXORDIUM. De jure quod est objectum justitiae . . . 6

Variae vocis ipsius significationes, 4. — De jure subjective accepto, 5. — Jus, signum simul nobilitatis et imbecillitatis, 6. — De jure objective sumpto, 7. — Triplex species juris objective accepti, 8. — De jure accepto pro lege, 9. — *Quaeres* de ordine rationis inter jus acceptum pro facultate et legem, 10. — Quid de jure objective sumpto, 11.

CAPUT I. **Definitio virtutis justitiae**

Articulus I. De Justitia latius accepta. 14

Non est una hujus vocis significatio, 12.

Articulus II. Formula et argumenta sententiae. 15

Thesis I. *Justitia proprie dicta est virtus moralis cardinalis, secundum quam,* « *aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum cuique tribuit.* »

I. STATUS QUAESTIONIS : Exponuntur voces, 13.
II. PROBATIO, 14.
III. DIFFICULTATES, 15.

Articulus III. Doctrinae supplementa. . . . 19

COROLLARIA : Justitiae objectum formale cui, 16. — Justum merito appellatur aequale debitum, 17. — Justitia tuetur aequalitatem personalem hominum, 18. — *Quaeres* utrum intelligamus virtutem infusam an acquisitam, 19.

Pagina

Caput II. **Virtutis justitiae partes**

Articulus I. Notiones de virtutum partibus . . 21

Partes subjectivae, quasi-potentiales, quasi-integrales, 20.

Articulus II. Formula et argumenta conclusionis 21

Thesis II. *Justitiae proprie dictae tres sunt species infimae: justitia generalis seu legalis; ac binae divisiones particularis justitiae, commutativa et distributiva.*

I. Status quaestionis: Quo spectet conclusio; Sententiae; Exponuntur voces, 21.
II. Probatio, 22.
III. Difficultates: Justitia legalis et distributiva analogice tantum sunt justitia, 23. — De sententia S. Thomae, 24. — Tradita divisio laborat defectu, 25.

Articulus III. Doctrinae supplementa 27

I. Corollarium: De divisione virtutis justitiae, 26.
II. Scholia: *Quaeres* de partibus quasi integralibus justitiae, 27. — *Quaeres* de partibus quasi potentialibus justitiae, 28.

Caput III. **Proprietates justitiae**

Articulus I. Formula et argumenta sententiae . 29

Thesis III. *Esse ad alterum et respicere debitum sunt proprietates justitiae.*

I. Status quaestionis: Intentio thesis; Exponuntur voces, 29.
II. Probatio, 30.
III. Difficultates: Justitia etiam commutativa non est semper ad alterum, 31. — In binis certe speciebus desideratur alteritas, 32. — Non est alteritas proprietas justitiae, 33. — Justitia non semper respicit debitum, 34.

Articulus II. Doctrinae supplementa 35

I. Corollaria: Justitia versatur circa operationes, 35. — Justitia dicitur habere medium rei, 36. — Justum dicitur absolute, 37
II. Scholia: Alteritas justitiae propria est alteritas suppositi, 38. — Inter patrem et filium non est ordo justitiae proprie dictae, 39. — An possis ex justitia bis solvere idem. Revocatio ad C. de Lugo, 40.

Pagina

QUAESTIO SECUNDA

DE LEGALI ET DE DISTRIBUTIVA JUSTITIA

Conspectus quaestionis. 38

Quaestionis opportunitas, 41. — Ratio ordinis, 42.

Caput I. De legali justitia

Articulus I. Exponuntur variae sententiae . . 39

S. Thomas, — Molina, — Lessius, — de Lugo, — recentiores, 43.

Articulus II. Formula et argumenta conclusionis 40

Thesis IV. *Justitia generalis imperat, ut debitos propter bonum commune, actus variarum virtutum qui vel ex lege positiva communitatis vel ex sua cum bono communi necessaria connexione civibus imponuntur.*

I. Status quaestionis: Scopus thesis; Exponuntur voces, 44.
II. Probatio: De objecto formali, 45; De objecto materiali, 46.
III. Difficultas: Voluntas boni publici habet specialem honestatem, 47.

Articulus III. Doctrinae supplementa 44

I. Corollaria: Vitia aliarum sententiarum, 48. — Justitiae legalis generalitas et specialitas, 49. — Debitum justitiae legalis, 50.
II. Scholia: Quid justitia socialis, 58. — Subjectum justitiae generalis, 52, — *Quaeres* de juris subjecto, 53. — De ratione internationali justitiae generalis, 54.

Caput II. De justitia distributiva

Articulus I. Prima informatio controversiae. . 49

Munus justitiae distributivae, 55. — Ad quosnam pertineat haec provincia, 56. — Disputationis objectum, 57. — Variae sententiae de natura et materia hujus justitiae, 58. — Sententiae de regulis justae distributionis, 59.

Articulus II. Formula et argumenta conclusionis 53

Thesis V. *Distributiva justitia versatur directe circa bona communia partienda; circa onera autem indirecte tantum. — Proportione autem quam observat intendit adaequare speciale jus quod in bona communitatis sibi vindicant socii. — Cujus juris quantitas demetienda est imprimis exigentia boni communis, secundario norma aequalitatis.*

Pagina

I. Status quaestionis: Scopus thesis, Exponuntur voces, 60.
II. Probatio: Primae Partis, 61; Secundae Partis, 62; Tertiae partis, 63.
Quaeres, quomodo secundum has regulas reapse ordinanda sit distributio, 64.
III. Difficultates: Justitia illa videtur etiam versari in aliis bonis distribuendis quam communibus. — Videtur altera norma assignanda juris quantitati: justa recompensatio pro opera conlata in publicam utilitatem, 65.

Articulus III. Doctrinae supplementa. . . . 62

I. Corollaria: De aliis normis, 66. — An munera sint distributionis materia, 67. — De propria distributivae justitiae aequalitate, 68. — De privilegiis, 69. — De subsidiis, 70.
II. Scholia: Qua ratione exigentia boni communis sit norma superior justae distributionis, 71. — De acceptione justitiae distributivae apud veteres, 72. — Quomodo observetur distributiva justitia in uno munere conferendo, 73. — De electione populari, 74. — *Quaeres* an justitia distributiva sit observanda in minoribus communitatibus, 75. — *Quaeres* de ratione qua peregrini atque externi in partem veniant bonorum communium, 76.

Parergon. **De Democratia christiana** . . . 70

Qua ratione dicamus de Democratia, 77. — Qua varia ratione usurpetur nomen, 78. — Quaenam communiter placeant iis qui veram tueantur Democratiam christianam, 79. — Quaenam de his inter catholicos constare debeant, 80. — De quibusnam potissimum discrepet inter catholicos, 81. — Consectaria dictorum, 82.

QUAESTIO TERTIA

DE JURE SUFFRAGII ET DE TRIBUTIS

Conspectus quaestionis. 78

Quaestionis opportunitas ac locus, 83. — Quaestionis tractatio, 84.

Caput I. De Jure suffragii

Articulus I. Prima informatio controversiae . 79

Argumentum hujus capitis pressius definitur, 85. — Doctorum placita, 86.

Articulus II. Formula et argumenta sententiae. 81

Thesis VI. *Jus suffragii est facultas legalis atque onerosa designandi magistratus per quos ex parte saltem regatur respublica. — Quare in ejus ordinatione primario spectandum est ad bonum commune, secundario ad aequalem iuris distributionem.*

Pagina

I. Status quaestionis: Intentio thesis; Exponuntur voces, 87.
II. Probatio thesis: Prioris partis, 88; Alterius partis, 89.
III. Difficultas: Lex jubet suffragia ferri, 90.

Articulus III. Doctrinae supplementa 88

I. Corollaria: De conscientiae obligatione, 91. — Proponuntur quaedam dicta, 92. — Unde judicanda sit ordinatio juris suffragii, 93.
II. Scholia: De suffragio universali, 94. — *Quaeres* cur, ubi venitur ad suffragia, majoritati solitum sit primas tribuere, 95. — Cur populus, dum eligit magistratus, existimandus sit magis quam alii collatores veluti rem suam dispensare, 96

CAPUT II. **De justitia observanda in exigendis tributis**

Articulus I. Notiones praecipiendae 94

Quid proprie tributum, 97. — Variae notiones minus praecipuae quae huc pertinent, 98. — Tributorum divisiones, 99. — Tributorum quantitas, 100. — Tributorum varia systemata, 101. — Vigentis systematis praecipuae notae, 102.

Articulus II. Introitus controversiae 103

Res tractandae, 103. — Variae sententiae, 104.

Articulus III. Formula et argumenta conclusionis 108

Thesis VII. *Tributa non sunt onus reale immediate bonis impositum sed respondent personali obligationi qua cives tenentur ex justitia legali, conferendi de suo ad bonum commune. — Perfecta autem distribuendi vectigalis ratio, ad quam oportet quam maxime sed prudenter accedere, non est ut partibus proventuum partes tributi aequabiliter respondeant, neque ut, pro cujusque censu constanti lege secundum arithmeticam vel geometricam proportionem augeantur; sed ea ratio perfecta est quae quasi media inter utramque incedens, nititur variis proventuum functionibus.*

Scopus et divisio thesis, 105.

I. Prior pars: Exponuntur voces, 106. — Probatio, 107. — Difficultates: Peregrini solvunt tributa; cur ceteras improbemus sententias, 108.
II. Altera pars: Exponuntur voces, 109. — Probatio prioris membri, 110. — Probatio alterius membri, 111. — Difficultates: Consideranda sunt emolumenta; progressio destituitur regula; systema est inutile, inefficax, incertum, 112.

Pagina

Articulus IV. Doctrinae supplementa 112

I. Corollaria : Triplex forma distributionis tributorum, 113. — Regulae quod ad patres-familias, 114.
II. Scholia : Altera quaestio de vectigalium ordinatione, 115. — Notae illius formae quae dicitur *impôt dégressif*, 116. — De tributo quod immediate imponatur reditibus, 117. — Quid de magnis sentiendum sit tributis, 118.

De graphica vectigalium descriptione. . . . 126

Utilitates, 119. — Qua ratione sit ordinata tabula, 120.

Quaestiunculae residuae

Quaestiuncula I. De obligatione capessendi militiam . 129

An militiae obligatio dici possit tributum, 121. — De facultate se redimendi pecunia ab hoc onere, 122. — Quo recidat quaestio, 123. — Parum aequa istius tributi distributio, 124.

Quaestiuncula II. Quomodo hodiernis tributorum legibus teneatur conscientia 132

Cur de hac materia scribamus, 125.

De tributis stricte acceptis. Improbantur quaedam minus recte dicta, 126. — Sententiarum diversitas, 127. — Conclusiones generales, 128.
De militia. Status quaestionis definitur, 129. — Quae satis in hac re constent, 130. — Quaestio controversa, 131.

QUAESTIO QUARTA

DE VITIO INJUSTITIAE ET RESTITUTIONE

Conspectus quaestionis. 144

Ratio ordinis, 132.

Caput I. De Vitio injustitiae

Articulus I. Formula et argumenta sententiae 145

Thesis VIII. *Justitiae tum legali tum particulari opponitur injustitia, quae est vitium speciale, cujus actus est ex genere suo peccatum mortale.*

I. Status quaestionis : Explicantur voces, 133.
II. Probatio : Ex sacra Scriptura ; ex ratione, 134.
III. Difficultates : Injustitia non est vitium speciale ; non est peccatum mortale ex genere suo, 135.

Pagina

Articulus II. Doctrinae supplementa 148

Scholia : De injustitia illegali, 136. — De acceptione personarum, 137. — Latior acceptio injustitiae, 138. — Confirmatio ex loco a postoli, 139.

Caput II. **De consensu quo tollitur injuria**

Articulus I. Prima constitutio quaestionis . . 152

Quaestionis definitio et partes, 140. — Variae sententiae, 141.

Articulus II. Formula et argumenta conclusionis 154

Thesis IX. *Sine exceptione obtinet illud « Scienti et consentienti non fit injuria. »*

I. Status quaestionis : Intentio thesis; Exponuntur voces, 142.
II. Probatio, 144.
III. Difficultates : Consensus non aufert rationem injuriae; consensus non est universalis, 144.

Articulus III. Doctrinae supplementa. . . . 159

I. Corollaria : « Injustum per se et formaliter loquendo, nullus potest facere nisi volens, nec pati nisi nolens, » 145. — Cur consensus requiratur moraliter ultroneus, 146,
II. Scholia ; Christus et Martyres, 147. — Alii casus, 148. — Occasiones abutendi, 149.

Parergon : **De ablatione rei alienae invito irrationabiliter domino.** 160

Quaestionis objectum, 150. — Ejus difficultas, 151. — Aditus solutionis, 152. — Solutio, 153. — Corollarium et principium generale, 154.

Caput III. **De restitutione**

Articulus I. Aditus disputationis 163

Notio restitutionis, 155.—Disputationis objectum. Sententiae, 156.

Articulus II. Formula et argumenta conclusionis

§ 1. *De natura restitutionis et virtute qua imperatur.* 166

Thesis X. *Restitutio est semper actus commutativae justitiae, cujus obligatio a laesa justitia commutativa solummodo proficiscitur.*

I. Status quaestionis : Intentio hujus partis; Explicantur voces, 197.
II. Probatio, 158.

Pagina

DIFFICULTATES : Restitutio non est semper actus justitiae commutativae ; non oritur obligatio restituendi ex laesa justitia commutiva ; obligatio restituendi oritur etiam ex laesa alia virtute, 150.

§ 2. *De radicibus restitutionis et norma quantitatis* 175

Thesis XI. *Duplex est radix restitutionis : res aliena accepta et injuriosa ejus acceptio. — Porro quantitas restituenda definitur in priore casu quantitate rei alienae quam quis in propria specie vel in aequivalenti retineat ; in altero, quantitate damni quod voluntarie intulerit.*

I. STATUS QUAESTIONIS : Sensus et Intentio thesis ; Explicantur voces, 160.
II PROBATIO, 161.
III. DIFFICULTATES : Damnificatio sine injuria ; in causam culpabilem totum damnum est refundendum, 162.

Articulus III. Doctrinae supplementa. . . . 179

I. COROLLARIA : De mente S. Thomae, 163. — Utriusque radicis comparatio, 164. — De errore circa personam cui damnum irrogatur, 165. — Restitutio in aliena specie, 166.
II. SCHOLIA : De debitis incertis, 167. — Necessitas faciendae restitutionis non est medii, 168. — De necessitate distinguendi binas radices, 169. — *Quaeres* utrum obligatio restitutionis sit positiva an negativa, 170. — *Quaeres* quaenam obligatio restituendi cum culpa theologice levi, 171. — *Quaeres* quid intersit inter jus ad rem et jus ad bona communia, 172.

QUAESTIO QUINTA

DE SOCIALISMO ET DE PRIVATA BONORUM POSSESSIONE

CAPUT I. De Socialismo

Articulus I. Variae de hodierno socialismo notiones 187

Quae vis verbo sit subjecta, 173. — De socialismo mixto seu agrario, 174. — De socialismo qui dicitur Status vel cathedrae, 175. — Socialismi proprie talis scientificae rationes, 176. — Reliqua socialistarum placita, 177. — Socialistarum species, 178. — Notiones historicae : De genesi doctrinae ; Hodierni socialismi doctrinae ; Hodierni socialismi praecipui doctores ; Experimenta regiminis aliquo modo communis, 179.

Articulus II. Formula et argumenta conclusionis 201

Thesis XII. *Collectivismus, sive purus sive mixtus, cohaeret cum falsis rationibus et judiciis, nec minus in se est plane rejiciendus.*

Pagina

I. Status quaestionis : Intentio thesis; Exponuntur voces; Nota thesis, 180.
II. Probatio : Prioris partis : De collectivismo puro, De collectivismo mixto seu agrario, 181 ; Alterius partis : De collectivismo puro, De collectivismo mixto seu agrario, 182.
III. Difficultates : *Ex collectivismo puro :* Divites reprobantur in N. T.; non repugnat collectivismus purus; est inducendus. *Ex collectivismo mixto :* Census proprie dictus pertinet ad communitatem; alia vectigalia sunt injusta; privata dominia agrorum nocent bono communi; privatae possessiones sunt injustae, 183.

Articulus III. Doctrinae supplementa. . . . 230

I. Corollaria : Rejiciendus est anarchismus, 184. — Mixtus collectivismus, 185. — Comparatio liberalismi et socialismi, 186. — An socialistae ad massonum genus pertineant, 187. — Qua ratione praesens ordo socialis a collectivistis pro iniquo habeatur, 188. — Vera ratio impugnandi socialismum, 189.
II. Scholia : Aristotelis documenta, 190. — An possessiones primitus fuerint communes ? 191. — De aenea lege salarii, 192. — Quid sentiendum de temperamentis, 193.

Caput II. **De jure proprietatis privatae** . . 238

Ordinatio hujus capitis, 194.

Sectio I. De objecto et causis proprietatis privatae

Articulus I. De objecto et fonte regiminis (causa remota juris)

§ 1. *Notiones et sententiae.* 239

Adumbratio ipsius juris, 195. — Disputationis objectum, 196. — Sententiae, 197.

§ 2. *Formula et argumenta conclusionis* . . . 246

Thesis XIII. *Ipsa lege naturae sancitur hoc genus instituti quae est privata proprietas rerum exteriorum etiam immobilium.*

I. Status quaestionis : Exponuntur voces; Nota thesis, 198.
II. Probatio : Prioris partis, 199 ; Alterius partis, 200.
III. Difficultates : ex naturali rerum communitate; ex facultate se abdicandi hoc jure ; ex malis quae comitantur, 201.

§ 3. *Doctrinae supplementa.* 258

I. Corollaria : Re prior est privata proprietas quam civilis conjunctio, 202. — Quae sint partes juris naturalis et juris humani, 203. — Qua ratione sit juris naturalis genus proprietatis privatae, 204.

Pagina

II. Scholia: De possessione rerum exteriorum ante peccatum, 205. — Argumenta minus efficacia, 206. — An requiratur humanum condictum ut conditio, 207. — Communitas rerum qualis sit a natura, 208. — Utrum necne, res exterior dicatur mea sicut meae sunt vires corporis et operationes, 209. — De locis SS. Patrum, 210.

Articulus II. De causa proxima proprietatis seu facto primigenio

§ 1. *Notiones et sententiae.* 277

Quid causa proxima proprietatis, 211. — Quid hic quaeratur, 212. — Sententiae, 213.

§ 2. *Formula et argumenta sententiae* 280

Thesis XIV. *Factum primigenium, quo stabilis rei nullius acquiritur proprietas, est occupatio vera, qua res, pro natura sua, demonstratur alicujus subjecta potestati vel serviens ipsi ad usum qui nequit esse communis.*

I. Status quaestionis: Explicantur voces; Nota thesis, 214.
II. Probatio, 215.
III. Difficultates: Dominium est jam ante occupationem; labori ascribi potest appropriatio, 216.

§ 3. *Doctrinae supplementa.* 286

I. Corollaria: De venatione et piscatu, 217. — De venis carbonariis, 218.
II. Scholia: Occupatio per alium, 219. — Processus historicus, 220 — Qua ratione servetur proprietas, 221.

Sectio II. De lege qua sanciuntur hereditates et testamenta

Articulus I. Notiones et sententiae. 289

De alienatione bonorum in universum, 222. — Quaestionis objectum et sententiae, 223.

Articulus II. Conclusio et supplementa doctrinae. 292

Thesis XV. *Ipsa natura exigit ut inter homines sit aliquod jus hereditatum. — Imo quod ad substantiam a natura sanciri videntur tum jus testandi tum hereditaria successio familiae. — Regulariter tamen jus familiae subjectum est defuncti voluntati.*

I. Status quaestionis: Intentio thesis; Exponuntur voces, 224.
II. Probatio: Primae partis, 225; Secundae partis, 226; Tertiae partis, 227.

Pagina

III. Difficultates : Jus hereditatum non est satis definitum ; Jus testandi non est necessarium ; Qui testatur cedit jure tantum postquam illud amisit, 228.
IV. Scholia : De recta ordinatione civili, 229. — Incommoda sententiae Grotii, 230.

Sectio III. De limitibus juris proprietatis

Articulus I. Notiones et conclusio. 293

Thesis XVI. *Perfectum jus dominii, iis, iisque tantum limitibus proprie dictis circumscribitur quos ponit jus alienae necessitatis et jurisdictio qua publica potestas jus privati dominii valet, non quidem abolere vel directe coangustare, sed indirecte attingere quantum ad bonum commune exigitur.*

I. Status quaestionis : Thesis opportunitas, intentio et partes; Sententiae ; Voces explicantur, 231.
II. Probatio : Primae partis, 232 ; Secundae partis, 233 ; Tertiae partis, 234.
III. Difficultates : Limites repugnant juri; Omni officio ponuntur limites, 235.

Articulus II. Doctrinae supplementa 307

I. Corollaria : Definitio juris proprietatis, 236. — Ratio christiana juris proprietatis, 237. — Communis omnium dotum et donorum destinatio, 238. — Acquisitio ex necessitate, 239. — Error recentiorum jurisperitorum, 240. — Quaenam possit vel non possit Status in regimen privatae proprietatis, 241. — De tributis et Status dominio alto, 242.
II. Scholia : Potestas Ecclesiae, 243. — Prodigae promissiones, 244. — An lex positive agnoscere debeat jus necessitatis, 245.

Quaestiuncula residua. De proprietate editi libri et divulgati inventi 313

Thesis XVII. *Ad proprietatis genus ascribendum est jus quo scriptor vel inventor alios prohibere possunt ne iterum edant librum vulgatum neve imitentur suum inventum. — Jus porro illud repetendum videtur e lege positiva, cujus summa capita naturali aequitati sunt consentanea.*

I. Status quaestionis : Quaestionis occasio, 246. — Quae constant in hac re ; Sententiae ; Explicantur voces, 246.
II. Probatio : Prioris partis, 247 ; Alterius partis, 248.
III. Difficultates : Ex damno auctoris; ex tacita juris reservatione ; ex editione libri formaliter sumpta, 249.
IV. Doctrinae supplementa.

Pagina

Corollaria : De obligatione conscientiae, 250. — De editione concionis, praelectionum, 251. — Expressio photographica personae invitae 252. — Quodnam sit objectum juris, 253.

QUAESTIO SEXTA

DE POSSESSORIS PRIVILEGIIS

Conspectus quaestionis. 325

Quaestionis occasio et partitio, 254.

Caput I. **De potiore conditione possidentis**

Articulus I. Notiones et conclusio

§ 1. *Notiones* 326

Quid et quotuplex possessio, 255. — Possessionis privilegia, 256. Quid hoc loco quaeramus, 257.

§ 2. *Conclusio.* 329

Thesis XVIII. *Ipsa lege naturae sola unius possessio per se praeferenda est alterius juri incerto.*

I. Status quaestionis : Intentio thesis ; Explicantur voces, 258.
II. Probatio, 259.
III. Difficultates, Possessio est res facti ; in pari tantum causa favendum est possidenti ; requiritur ratio probabilis pro possidente; rationes contrariae vincere possunt praesumptionem ortam ex possessione, 260.

Articulus II. Doctrinae supplementa 332

I. Corollaria : Restitutio ob violatam possessionem, 261. — Jus quod acquiritur possessione, 262. — Conditionatus habendi animus, 263.
II. Scholia : Usus praesumpti juris, 264. — Ratio boni communis, 265. — De possessore malae fidei, 266.

Caput II. **De praescriptione**

Articulus I. Prima informatio controversiae. . 335

Notiones de praescriptione, 267. — Res disputatae et sententiae, 268. — Vis decreti lateranensis, 269.

Articulus II. Formula et argumenta sententiae. 341

Thesis XIX. *Lege humana valide et opportune induci valent tum usucapio juris realis tum praescriptio qua obli-*

Pagina

gatio vere exstinguatur. — Per se tamen malae fidei possessori vel debitori nefas fuerit frui legis beneficio. — Neque idcirco iniquae existimandae sunt leges quae sine respectu fidei actionem post definitum tempus perimunt.

I. Status quaestionis : Intentio thesis ; Explicantur voces ; Nota thesis, 270.
II. Probatio : Primae partis, 271 ; Secundae partis, 272 ; Tertiae partis, 273
III. Difficultates : *Contra 1 p.* Fit alteri injuria ; deest justa causa ; comparatio cum sententia erronea ; *contra 2 p.* Fides possidentis non mutat jura imperantis ; *contra 3 p.* Lex favet fraudi, 274.

Articulus III. Doctrinae supplementa 349

I. Corollaria : De servitute non faciendi, 275. — Mala fides debitoris non nocet creditoribus, 276. — De successoribus, 277. — De fide in praescriptione liberativa, 278. — De fure, 279.
II. Scholia : Ratio antiquiorum, 280. — Proprietas non amittitur sola praescriptione, 281. — Quasi possessio libertatis, 282. — Judicium de hodiernis legibus, 283. — Quid sentiendum sit de addictione fructuum possessori bonae fidei, 284. — Quid de regula articuli 2279 Cod. Galliae, 285. — Quid de praescriptione rei furtivae in lege gallica, 286.

QUAESTIO SEPTIMA

DE CONTRACTIBUS IN UNIVERSUM

Notiones generales et conspectus quaestionis 358

Contractus notio, 287. — Contractuum species, 288. — Consectaria mente tenenda, 289. — Obligatio fidelitatis, 290. — Ordinatio quaestionis, 291.

Caput I. **De causa turpi contractuum.** 364

Thesis XX. *Contractus cujus turpis est causa vim habet nullam ; praestito tamen ab una parte facto turpi, altera per se jam debet ex justitia exsequi rei indifferentis promissionem.*

I. Status quaestionis : Intentio thesis ; Sententiae ; Explicantur voces, 292.
II. Probatio : Prioris partis, 293 ; Alterius partis, 294.
III. Difficultates : Ex actu in se considerato ; ex nullitate contractus prioris ; ex consectariis, 295.

Pagina

Corollarium : Proxima causa obligationis, 296.
Scholia : Par est causa conservationis et petitionis, 297. — De jure civili gallico, 298.

Caput II. **De consensu paciscentium**

Articulus I. De necessariis dotibus consensus

§ 1. *Notiones et conclusio* 371

Thesis XXI. *Ad essentiam omnis pactionis pertinet consensus verus seu internus, externo signo manifestatus et mutuus contrahentium.*

I. Status quaestionis : Intentio thesis ; Sententiae ; Explicantur voces, 299.
II. Probatio : 300.
III. Difficultates : Promissio externa infert veram ; non requiritur consensus externus ; in contractibus gratuitis acceptatio non est necessaria ; non requiritur utriusque consensus ; saltem non requiritur mutuus, 301.

§ 2. *Doctrinae supplementa* 379

I. Corollaria : Quomodo uterque operetur consensus, 302. — Obligatio ex ficta promissione, 303. — Voluntas non se obligandi, non standi promissis, 304.
II. Scholia : Vis exterioris consensus, 303. — Requisita advertentia, 306. — De obligatione levi si materia gravis fuerit, 307.

Articulus II. De vitiis consensus.

§ 1. *Notiones de istis vitiis et de eorum efficacia in consensum* 381

Regulae practicae, 308. — Argumentum et sententiae, 309.

§ 2. *Conclusio et supplementa doctrinae* 384

Thesis XXII. *Per se contractum infirmat omnis error vere causam dans contractui, nullus autem metus etiam gravis. — Practice tamen saepe simpliciter tenebit contractus infectus errore non substantiali, ob tacitam vel ipsa natura impositam ratihabitionem ; dum reparanda injuria vel aequitas naturalis non raro ei qui metum est passus facit potestatem rescindendi stipulationem factam ex metu.*

I. Status quaestionis : Intentio thesis ; Explicantur voces, 310.
II. Probatio : Prioris partis, 311 ; Alterius partis, 312.
III. Difficultates : De errore ; de metu, 313.
IV. Corollaria : Quid re differant sententiae, 314. — Gratuita stipulatio ex metu, 315.

Pagina

Articulus III. De consensus intimatione et de primo obligationis initio. . . 392

Thesis XXIII. *Essentiale est contractui ut ipse consensus, quatenus est offerentis, non vero, probabilius, quatenus est acceptantis sit ab altero alteri intimatus. — Quare per se absoluta obligatio ex contractu initium habet in pactione unilaterali ab alterius exteriore acceptatione, in bilaterali vero ab intimato consensu repromittentis.*

I. Status quaestionis : Intentio thesis; Sententiae; Explicantur voces, 316.
II. Probatio : Prioris partis, 317 ; Alterius partis, 318.
III. Difficultates : Non requiritur ut intimetur consensus offerentis ; requiritur intimatio acceptationis ; falsae sunt regulae de initio obligationis, 319.
IV. Corollaria et Scholia : Sufficit insinuatio facta procuratori, 320. — Promissio in gratiam tertii, 321. — De obligatione prioris sollicitantis, 322. — De jure positivo Galliae, 323.

Caput III. **De legibus quae irritos faciunt actus juridicos**

Articulus I. Notiones praecipiendae 399

De lege irritante et prohibente, 324. — De nullitate et de obligatione naturali, 325.

Articulus II. Conclusio et supplementa doctrinae 401

Thesis XXIV. *Etiam in contractus et generatim in actus juridicos qui de jure naturae consistunt, tanta per se est potestatis civilis auctoritas ut justis legibus plene eos irritos facere valeat, ita ut, ante omnem judicis sententiam, nullam pro foro etiam interno pariant obligationem. — Leges tamen istae strictae sunt interpretationis. — Quocirca, de hodierno jure positivo respondendum est actus, qui pronuntiantur nulli, regulariter vi sua naturali non privari ante judicis sententiam.*

I. Status quaestionis : Vis et intentio thesis; Sententiae ; Voces declarantur, 326.
II. Probatio : Primae partis, 327; Secundae partis, 328; Tertiae partis, 329.
III. Difficultates : Lex nequit auferre jus concessum a natura ; Lex ista est favorabilis, 330.

Pagina

Articulus III. Doctrinae supplementa. . . . 409

I. Corollaria: Norma practica discernendi, 331. — De judicis sententia, 332. — Consectaria in foro conscientiae, 333. — De donatione inofficiosa, 334.

II. Scholia: Plena abolitio ex partium intentione, 335. — *Quaeres* quid juris, si pars cujus est facultas rescindendi huic facultati in antecessum renunciaverit, 336. — *Quaeres* cur, post sententiam judicis, affirmes effectus in conscientia qui ante sententiam negabantur, 337.

QUAESTIO OCTAVA

DE JUSTA PERMUTATIONE ET DE JUSTO PRETIO

Articulus I. Notiones anteceptae valoris et pretii. 414

Disputationis momentum et difficultas, 338. — Vera ratio valoris, 339. — De pretio, 340. — Aliae sententiae, 341.

Articulus II. Formula et argumenta conclusionis. 421

Thesis XXV. *Ex aestimatione communi proxime manat rerum valor verus, qui nequit opera humana adaequate mensurari. — Valore isto definitur per se justum rei pretium. — Venditor tamen praeterea stipulari potest compensationem specialis privationis quam sustinet ex cessione rei, ob ejus usum vel suum ad rem affectum, non autem per se peculiaris commodi emptoris.*

I. Status quaestionis: Thesis momentum et intentio; Sententiae; Explicantur voces, 342.

II. Probatio: Primae partis, 343; Secundae partis, 344; Tertiae partis, 345.

III. Difficultates: Nequit valor manare ex aestimatione communi; partium consensu definitur justum pretium; non potest exigi pretium affectionis; videtur computari posse specialis emptoris utilitas, 346.

Articulus III. Doctrinae supplementa . . . 433

I. Corollaria: Medium rei in contractibus, 347. — Commutatio cedit per se in utriusque partis utilitatem, 348. — Qua ratione computanda sit utilitas venditoris, 349. — Quid si nulla aestimatio communis, 350. — Valor socialis, 351. — Quid si carius vendatur extraneis, 352. — De lege oblati et quaesiti, 353. — De monopoliis, 354.

II. Scholia: Temperamentum doctrinae, 355. — De sententia Bastiat, 356.

Pagina

QUAESTIO NONA

DE MUTUO ET USURIS

Articulus I. Prima informatio controversiae. . 441

Ratio ordinis, 357.

§ 1. *Notiones historicae.* 442

De usura in sacris literis, 358. — De usura apud SS. Patres, 359. — De usura in legibus canonicis et apud scholasticos doctores vel classicos juris canonici interpretes, 360. — De usura in legibus civilibus, 361. — De usura secundum sententias doctorum, 362.

§ 2. *Notiones doctrinales* 464

De mutuo, 363. — De usura, 364. — De sterilitate pecuniae, 365. — De titulis extrinsecis, 366. — Quaestionis definitio, 367.

§ 3. *Revincuntur plures explicationes catholicorum.* 471

Sententia severior, 368. — Explicatio ex intentione seu systema duplicis contractus, 369. — Explicatio ex fine mutuationis, 370. — Explicatio ex praesumptione justi tituli extrinseci, 371. — Explicatio ex lege civili, 372.

Articulus II. Formula et argumenta conclusionis. 475

Thesis XXVI. *Injustum est omne lucrum ex mutuo reduplicative accepto quaesitum. — Pro certa tamen conditione civitatis per se omnibus fas esse potest credere pecuniam sub moderato fenore. — Pristina Ecclesiae severitas et hodierna ejus indulgentia ab omni crimine sunt immunes.*

I. Status quaestionis : Intentio thesis ; Sententiae, 373.
II. Probatio : Primae partis, 374 ; Secundae partis, 375 ; Tertiae partis, 376.
III. Difficultates : Vi mutui lucrari licet ; non peccatur nisi ex abusu alienae necessitatis ; pecunia est omnino sterilis, 377.

Articulus III. Doctrinae supplementa. . . . 489

I. Corollaria : Qua mente hodie exigatur fenus, 378. — Mutuum est propria sedes peccati usurae, 379. — Feneris taxatio, 380.

II. Scholia : Usurae modernae, 381. — Peccatum contrarium usurae, 382. — Nostrae sententiae patroni, 383. — A quo tempore universe fas fuerit fenerari, 384. — De censibus et trino contractu, 385.

Pagina

QUAESTIO DECIMA

DE LOCATO-CONDUCTO OPERARUM

Conspectus quaestionis. 494

Ordinatio quaestionis, 386. — Qua ratione dicamus de forma contractus, 387.

CAPUT I. **De forma stipulationis operarum**

Articulus I. Notiones anteceptae 495

De genesi valoris, variae sententiae. 388. — De divitiis et capitali, 389. — De societate, 390. — De locato-conducto, 391. — Fructus oeconomicus, industrialis, civilis, 392.

Articulus II. Formula et argumenta conclusionis. 499

Thesis XXVII. *Lucrum ex negotio faciendum per se pro rata pertinet et ad eum qui confert laborem et ad eum qui capitale sumministrat. — Forma tamen cujuspiam societatis inter rei magistrum et operarios, etsi per se perfectior et magis ad aequalem personae humanae dignitatem conveniens, non sola est justa forma contractus, sed in se honesta etiam est vera locatio operarum.*

I. STATUS QUAESTIONIS : Intentio thesis; Exponuntur voces; Sententiae, 393.
II. PROBATIO : Quod ad priorem partem, 394 ; Quod ad alteram partem, 395.
III. DIFFICULTATES : Pars Capitalis est passiva ; Ratio K. Marx; Repugnat ut operarius amittat jus in fructum sui laboris, 396.

Articulus III. Doctrinae supplementa. . . . 506

I. COROLLARIA : Vera novi valoris origo, 397.— Quo pacto pecunia pertineat ad Capitale, 398. — Nobis assentitur S. Thomas, 399 — Optio permissa suscipienti negotium, 400.
II. SCHOLIA : Mutuae partes rectorum et operariorum, 401. — De premiis et parte lucri concessis operariis, 402.

CAPUT II. **De justa mercede**

Articulus I. De justae mercedis ratione universa et debito. 509

Quam late pateat praesens quaestio, 403. — Capitis divisio, 404. De lucro mero, 405.

Pagina

§ 1. *Formula et argumenta conclusionis* 512

Thesis XXVIII. *Justa merces est verum operae secundum se spectatae pretium, ex pactione et aestimatione communi definiendum. — Sic constituta merces non est, ex justitia, neque imminuenda neque augenda pro varia negotii fortuna. — Negotii tamen magistro fas est cum operariis pacisci praemium justo minus, ut sibi caveat de moderata capitalis et propriae industriae retributione, non autem ut quaerat sibi merum lucrum.*

I. Status quaestionis : Intentio thesis; Sententiae; Exponuntur voces, 406

II. Probatio : Primae partis, 407 ; Secundae partis, 408 ; Tertiae partis, 409.

III. Difficultates : Ex dignitate humanae personae; Ex libertate pactionis, 410.

§ 2. *Doctrinae supplementa* 523

I. Corollaria : Nullum est sive capitalis sive laboris privilegium, 411 — Justae causae augendi vel minuendi mercedem, 412, — De redemptione operis viliori pretio, 413.

II. Scholia : Rationes quibus deprimitur ingenita humanae operae dignitas, 414. — De fundamento aestimationis communis, 415. — Aliae rationes injusti, 416.

Articulus II. De inferiore limite justi salarii . 527

Quo consilio et qua spe fructus de his scribamus, 417. — Ordo dicendi, 418.

§ 1. *De actis S. Sedis* 529

Interpretatio Encyclicae *Rerum Novarum*, 419. — De responso romano, 420. — Conclusio de mente S. Sedis, 421.

§ 2. *Primus aditus disputationis* 540

I. Notiones :

Quid est de quo quaeramus, 422. — Operarium quemnam intelligamus, 423. — Quasnam ejus operas, 424. — Salarii ratio, 425. — Rationes salarii familialis, 426.

II. Sententiae :

Placita liberalia, 427. — De iis qui rerum pretium statuunt normam absolutam, 428. — De iis qui justitiam legalem appellant, 429. — De iis qui salarium familiale absolutum ascribunt ad commutativam justitiam, 430. — De patronis salarii relativi, 431.

III. De nonnullis argumentis :

An limes inferior pendeat ex rerum pretio, 432. — Rationes nimis particulares, 433. — Quid si arguas ex Encyclica, ex officio se suosque tuendi, 434. — De argumento a simili, 435. — Quid imprimis spectandum, 436.

Pagina

§ 3. *Formula et argumenta conclusionis.* . . . 554

Thesis XXIX. *Limes inferior mercedis qua commutanda est opera opificis validi atque adulti est stipendium quod per se congruit patrifamilias.*

I. Status quaestionis : Intentio thesis; Sententiae; Explicantur voces, 437.

II. Probatio: Argumentorum praemunitio, 438.— Argumenta, 439.

III. Difficultates : Nullus est inferior limes ; limes nequit erui ex necessitate ; limes non est salarium familiale ; obstant doctores scholastici, 440.

§ 4. *Doctrinae supplementa* 573

I. Corollaria : Sollicitudo habenda de congruo salario, 441. — Causa limitis justi salarii ad omnes pertinet, 442. — Negotium susceptum suadente caritate, non excusat per se stipulationem mercedis minoris, 443. — Ratio explicatior salarii familialis, 444.

II. Scholia : Cur consuetus potius quam medius spectetur numerus filiorum ? 445. — Relatio stipendiorum ad congruum victum, 446. — Ex quibusnam causis fas sit solvere mercedem quae non sit familialis, 447. — *Quaeres :* an ideo excuseris a solvenda mercede familiali, quia alii sunt qui satis ultroneum dent in minorem mercedem consensum, 448. — *Quaeres* quid juris, dum languentibus universe rebus in aliqua regione, una floreat officina, 449. — *Quaeres* de operis quae solitae sunt committi personis non conjugatis, 450. — *Quaeres* quomodo servitus non strictè repugnet naturae, 451. — *Quaeres* quid juris de salario collectivo, 452. — *Quaeres* a quibusnam opportunius fiat definitio solvendi stipendii, 453. — *Quaeres* num hactenus dicta transferri valeant in colonum qui fundum redimit, 454.

Caput III. **De mutuis magistri et operariorum officiis post factam conductionem**

Articulus I. Notiones et conclusio 584

Thesis XXX. *Conductionis operarum rationem comitantur officia justitiae, hinc quidem incolumem servandi cum personam operarii, i. e. ejus corpus et animum, tum ejus honorem, illinc vero non laedendi res vel famam magistri. — Eandem consequitur vinculum artioris cujuspiam propinquitatis quo alter cum altero conjungitur ac debitum quasi-pietatis in hero, in operario autem observantiae. — Naturae apprime consentanea est imitatio quaedam herilis societatis.*

I. Status quaestionis : Intentio thesis; Tres partes thesis ; Multiplex officiorum cum contractu conductionis comparatio ; Sententiae ; Declarantur voces, 455.

Pagina

II. Probatio : Primae partis, 456 ; Secundae partis, 457 ; Tertiae partis, 458.

III. Difficultates : Herus, in conducendo opifice, non attendit ad illa officia ; res est nimis difficilis, quum societas est anonyma, 459.

Articulus II. Doctrinae supplementa 593

I. Corollaria : Stabilitas officiorum quasi-pietatis et observantiae, 460. — In locatione operis nulla per se peculiaris relatio personarum, 461. — Inaequalitas est posterior contractu, 462. — Officia operarii conducti, 463. — Officia magistri erga operarium adultum, 464. — De officiis erga feminas adultas, 465. — De officiis erga pueros, 466. — Imitatio societatis herilis, 467.

II. Scholia : De interventu potestatis publicae, 468. — Comparatio disciplinae catholicae, liberalis, socialisticae, 469.

Quaestiuncula residua. De operistitiis 603

Variae notiones, 470. — Judicium oeconomicum, 471. — Judicium morale, 472. — Illiceitas operistitiorum ex fine, 473. — Ex modo, 474. — Ex effectibus, 475. — De *Lockout*, 476. — De legitimo interventu potestatis publicae, 477.

QUAESTIO UNDECIMA

DE AEQUITATE

Articulus I. Aditus disputationis 610

Quaestionis opportunitas, 478. — Quid sonet vox aequitatis, 479. — Sententiae, 480.

Articulus II. Formula et argumenta conclusionis 611

Thesis XXXI. *Aequitas est virtus specialis, media inter justitiam et caritatem justitiaeque pars potentialis, qua animus inclinat ad humanum juris usum.*

I. Status quaestionis : Intentio thesis ; Explicantur voces, 481.

II. Probatio, 482.

III. Difficultates : Non est virtus ; non est specialis ; non est pars justitiae, 483.

Articulus III. Doctrinae supplementa 616

I. Corollaria : Tres videntur esse species aequitatis, 484. — De ordine medio quam tuetur aequitas, 485. — Aliae aequitatis definitiones, rationes, 486. — Aequitatis obligatio, 487. — Comparatio aequitatis et affabilitatis, 488. — Quaenam aequitas appelletur in Enc. *Rerum Novarum*, 489.

II. Scholia : Aequitatis praestantia, 490. — De effato : *Summum jus summa injuria*, 491. — De epiikia, 492.

Pagina

QUAESTIO DUODECIMA

DE GRATIA SEU GRATO ANIMO

Articulus I. Notiones 621

Cur de gratia scribamus, 493. — Quid beneficium, 494. — De ingratitudine materiali et formali, 495.

Articulus II. Formula et argumenta conclusionis 622

Thesis XXXII. *Gratia est virtus conjuncta justitiae, quae exaequat cum affectu auctoris voluntatem illius qui beneficio est provocatus. Ingratitudo formalis, non autem, saltem immediate, materialis, est peccatum mortale ex genere suo.*

I. Status quaestionis : Intentio thesis; Declarantur voces; Sententiae, 496.
II. Probatio : Prioris partis, 497 ; Alterius partis, 498.
III. Difficultates : Gratia non est virtus specialis; beneficium est repensandum secundum effectum ; omnis ingratitudo est mortalis, 499.

Articulus III. Doctrinae supplementa 627

I. Corollaria : Triplex officium grati animi, 500. — Mensura officiorum, 501. — Debitum non removetur concessione auctoris beneficii, 502 — Debitum gratiae consequitur beneficii effectionem, non mere intentionem beneficam, 503. — De ingratitudine, 504.
II. Scholia : An fas sit declinare beneficium, 505. — De gratia referenda Deo, Parentibus, Superioribus, 506.

Parergon. De reliquis virtutibus justitiae conjunctis . 631

De earum divisione, 507. — De vindicta : Notio, Honestas, Peccata contraria, 508. — De veritate : Notio ; De ea in 1re vol. 509. De affabilitate : Notio, Vitia contraria, 510. — De liberalitate : Notio, Vitia contraria, 511.

Bibliographia 635

Index onomasticus 645

Index rerum alphabeticus 650

ERRATA

P. 11 l. penultima : nons unt, *sic corrige :* non sunt.
» 12 l. 22 : istas, *sic corrige :* istae ; l. 23 : suas, *sic corrige :* suae ; l. 38 : suo quisque, *sic corrige :* uniuscujusque.
» 16 l. ultima et p. 21 l. 23 : communitativa, *sic corrige :* commutativa.
» 30 nota : ad 1, *sic corrige :* ad 2.
» 33 l. 37 : bonis communis, *sic corrige :* boni.
» 36 l. 19 : dive, *sic corrige :* sive.
» 38 l. 22 : justitiae, *sic corrige :* justitia.
» 44 l. 22 : republicae, *sic corrige :* republica.
» 52 l. 21 : olicratia, *sic corrige :* oligarchia.
» 57 l. 7 : par, *sic corrige :* pari.
» 61 l. 15 : patrimonis, *sic corrige :* patrimonii.
» 154 l. 4 : De h. I, *sic corrige :* De R. J.
» 154 : *sub* « Exponuntur voces », *supple* haec *Sine exceptione,* saltem quantum est ex jure naturae, ut omittamus C. de Lugo.
» 157 l. 11 : subdistinguo, *sic corrige :* nego.
» 171 notae l. 5 : oppositi, *sic corrige :* appositi.
» 178 l. 25, 26 : eam tantum partem, *sic corrige :* ea tantum pars.
» 199 l. 28, *ante* Experimenta, *supple :* 3.
» 203 l. 1, *ante* Nota, *supple :* I.
» 329 l. 7 : Cardena, *sic corrige :* Cardenas.
» 533 l. 31 : Mechlinium, *sic corrige :* Mechliniam.
» 574 l. ultima : augendam, *sic corrige :* augenda.

QUAESTIO PRIMA

DE VIRTUTE JUSTITIAE EJUSQUE PARTITIONE

CONSPECTUS QUAESTIONIS

1. Quaestionis momentum. Prima haec quaestio satis abstracta simul et subtilis videri potest ; sed est limen necessario superandum si velis aditum tibi patere ad penetralia domus, ad quaestiones inquam magis definitas, quae ex praesentibus controversiis et angustiis tanti evasere momenti ut fere omnium animos in se converterent. Quare benevolum Lectorem vehementer hortamur ut summa attentione perlustret hoc vestibulum, quo totius aedificii ratio ipsius menti fiat planior atque expeditior.

2. Tria autem hoc loco versanda sunt, quae totidem conclusionum praebebunt argumentum :

Primum virtutem justitiae **definiemus** ;

Deinde eam in suas partes **dividemus** ;

Denique explicabimus ejus **proprietates.**

3. Praecipienda notio. Verum, quia justitia est ex jure et propter jus, justitiae notio distincte aperiri nequit nisi prius persecutus sis ipsam juris rationem. Huic ergo declarandae inprimis dabimus operam.

EXORDIUM

DE JURE QUOD EST OBJECTUM JUSTITIAE

S. Thomae II. II, q. 57; ***Molina*** *De justitia et jure* Tr. 1, s. 2; ***Lessius*** *De justitia et jure* c. 2; ***J. de Lugo*** *De justitia et jure* d. 1, s. 1; ***A. Van Gestel*** *De justitia et lege civili*, c. 1, § 2.

4. Variae ipsius vocis significationes. Jus supponit :

a) Pro facultate morali inviolabili qua persona instruitur. Haec dicitur interdum acceptio *subjectiva* [1] vocis ;

b) Pro objecto istius facultatis, seu pro eo quod ratione juris competit personae. Sicque habetur jus *objectivum ;*

c) Pro juris regula, seu lege ; imo pro toto quodam legum systemate : *jus civile, jus canonicum, jurisperitus ;*

d) Pro ipso loco ubi jus dicitur : *comparere in jure.*

5. De jure subjective accepto. Igitur haec prima juris significatio, quae accurate est exponenda, cohaeret cum ratione personae, adeo ut a legisperitis persona describatur *subjectum juris* ac discernatur a rebus per hoc quod sit ens instructum juribus.

Haec ipsa notio trahitur ex altiore notione, secundum quam in morum disciplina *persona* designat *ens sibi existens :* hoc est ens quod non mere existit propter finem seu bonum aliorum, sed quod est propter bonum suum et ad cujus bonum plura alia ordinantur. Illud ens nequit ab aliis personis considerari vel tractari tamquam medium ipsis subordinatum, sed juxta ipsas consistit ut consors et particeps ejusdem dignitatis. Hanc aequalem dignitatem omnes revereri jubentur, ita ut nefas sit aliqua de causa destruere vel turbare ordinem personae ad proprium bonum seu finem.

Atque haec est moralis inviolabilitas personae : qualis persona est omne suppositum rationale.

Omnis ergo persona est *inviolabilis* quatenus tendit ad finem suum. Hunc autem nequeas efficaciter consectari, nisi praesto tibi sint plura media. Persecutio ergo finis, si est inviolabilis, inviola-

[1] Non minus tamen quam jus objectivum objective existit ; imo et suo modo, ut videbimus, objecti rationem induit. Quare dictio *jus subjectivum* carpitur a R. P. Cathrein S. J. (*Phil. mor.* n. 226). Est tamen recepta, quia haec forma juris inest personae.

bilem postulat facultatem efficiendi vel obtinendi ut quaedam in finem proprium ordinentur tanquam media pertingendi ad finem. Qua facta ordinatione, ipsa media legitime in finem proprium ordinata participabunt ipsius personae inviolabilitatem.

Alias adhuc: persona pollet inviolabili potestate seipsam ordinandi in finem suum. Ergo, quia id nequit practice efficere sine quibusdam mediis, potest etiam inviolabiliter media illa in finem seu bonum proprium *executive* vel *exigitive* ordinare. Inviolabilis ista facultas juris nomine decoratur.

Quare jus, secundum communem omnis juris rationem, definitur: PERSONAE FACULTAS MORALIS INVIOLABILIS, meritoque dicitur quaedam personalitatis protensio.

Personae: ut discernatur a facultate morali inviolabili, si quae sit, quae alio *proximo* titulo quam personalitate nitatur.

Facultas: quia per modum potentiae, cujuspiam vis habitualis, possidetur a voluntate.

Moralis: quia, recto ordini consentanea, physice tamen impediri potest.

Inviolabilis: quatenus omnibus aliis imponitur observanda ejusque contemptus lege divina prohibetur.

6. Jus, signum simul nobilitatis et imbecillitatis. Quod jura proprie habemus, id prodit in nobis simul quandam ingenitam nobilitatem et quandam infirmitatem.

Nobilitas nostra fit inde manifesta, quia propter jura nostra apparemus ut caput alicujus ordinis qui ultimo cedit in bonum nostrum intrinsecum, dum plane a nobis abjudicatur ratio puri medii in ordine ad alias personas.

Duplex tamen simul significatur infirmitas seu imperfectio: a) *physice* impediri potest facultas cujus violatio moraliter sancitur; b) propter *indigentiam* personae ipsi tributa sunt jura. Sicut optime observat R. P. Cathrein [1], jus est praesidium quo indigemus ut in usu nostrae libertatis contra aliorum hominum incursus protegamur.

Quocirca Deus Omnipotens, qui identice est finis suus

[1] *Philosophia moralis* n. 225.

nec ab aliquo impediri potest, eminenter sed non formaliter est instructus juribus.

Aïes : ipsae personae creatae nonne ad Deum ulterius ordinantur ?

R. Reapse, quum persona describitur ut subjectum juris, comparatio personae fit cum aliis personis creatis. Erga Deum nullum nobis competit jus ; sed praesidium infinite firmius habemus in Ejus infinita bonitate quae sui est diffusiva.

Quod spectat nunc ad objectam ordinationem, ad Deum quidem referimur, ita tamen ut Ipsi nullum exinde accrescat bonum sed sola externa gloria, dum nos in Ipso summum assequimur bonum ac beatitudinem.

7. De jure objective sumpto, seu de iis ad quae terminatur jus subjectivum.

a) Si jus dicit facultatem ordinandi quaedam in proprium finem, persona autem ens est hujusmodi quod in bonum aliorum simpliciter non possit ordinari, sequitur *objectum juris nunquam esse personam qua talem.*

Nulla vero dignitas innata obstat quin res ex toto ordinentur in bonum alicujus personae. Vinculum autem, quo res devinciuntur personae ad cujus bonum ordinantur seu referuntur, redditur per nomen adjectivum *meum*, *tuum*, etc.

Porro quaedam apparent *ex ipsa natura* seu per se connexa cum bono alicujus personae — operae membrorum et facultatum : — haec sunt jam per se *mea, tua* etc. ; alia hanc conjunctionem accipiunt *ex facto accidentali :* ita res exteriores.

Rursus, vel sunt quaedam *substantia*, quae stricte dicitur haberi, possideri; vel quaedam *actio* a me libere facienda ; vel denique quaedam *praestatio* quam ab altero possum exigere.

Inde, ex objecto suo, jus jam dicitur facultas moralis inviolabilis *habendi* quaedam, quaedam *faciendi*, quaedam *exigendi.*

Hucusque de jure quatenus immediate afficit res (late hoc nomen usurpando).

b) Sed, praeter hanc *immediatam* quarumdam rerum (lato sensu) relationem ad aliquam personam, nonne alia concipi potest et existit, *mediata*, inquam, seu mediante altera persona cujus res sunt immediate, et quae per ea quae habet quadantenus ad priorem refertur ?

Ut hoc intelligatur, necesse est animo recolere, propter ipsam hominum perfectionem, — quo efficacius et plenius finem suum assequi valeant obtineantque eam quam Leo XIII *vitae sufficientiam perfectam* [1] appellat, — existere, ut institutum naturale, Societatem civilem, et, ut institutum juris divini positivi, Ecclesiam.

Utraque ergo haec societas seu communitas vere est propter personas quibus componitur ; *immediate* tamen propter eas *communiter* non *singulatim* inspectas.

Sed a personis communiter acceptis reapse non differt communitas [2]. Sicut ergo dicitur esse propter personas communiter acceptas, aeque bene dicitur esse *propter seipsam*. Si vero est propter seipsam, induit rationem personae. Aliis verbis, commune cui incumbit bonum est ipsius societatis bonum, proindeque, dum illi bono vivit, sibi vivit estque *ens sibi existens* [3].

Et sic, juxta *personas physicas* existit tamquam *persona moralis* communitas.

Agedum, propius istam personam moralem dispiciamus. Ad personas quibus constat merito censetur se habere ut totum ad partes [4], ut corpus ad membra. Quemadmodum autem corpus humanum nequit vel simpliciter vel perfecte consistere sine quadam conformatione et coaptatione

---

[1] Enc. *Immortale Dei*.

[2] « Cum enim Respublica nihil aliud sit quam collectio omnium suarum partium » Molina I, 12, 3.

[3] Bene tenendus et urgendus videtur iste intellectus boni communis, ne cum rationalistis fingas bonum cujuspiam Entis abstracti cui immolandae forent personae physicae.

[4] II. II, q. 61, art. 1, c.

membrorum tum in se, tum in ordine ad alia membra, tum in ordine ad totum corpus et sine conspiratione membrorum in corporis bonum; ita communitas illa, quae est et agit per membra, postulat, propter suum esse vel bene esse, ut membra certo modo se habeant tum in seipsis, tum in ordine ad alios, tum in ordine ad ipsam; atque ut apte simul collatis operis nitantur ad commune bonum [1]. Haec apta membrorum dispositio cohaeret cum totius corporis existentia et bono, estque ad haec necessaria. Quare Deus, qui *physice* disposuit corporis membra, societati praestabit *moraliter* hanc dispositionem et conspirationem membrorum. Quomodo? Per facultatem eam exigendi. Communitas ergo, sicut habet jus essendi, jus habet illa exigendi, seu convertendi in bonum suum quaedam quae, ut actiones vel res, sunt personarum quibus constat. Hae personae ergo, quae, qua tales, sunt propter se, qua *membra* seu *partes* sunt propter communitatem; et ea quae *immediate* ad ipsas pertinent, *mediate* ad ipsam communitatem pertinent *quasi jure membrorum*.

Sed vicissim, sicut ex sua insertione in corpus membra physici corporis, pro suo situ ac dignitate, corporis participant vitam et bona, ita actio qua communitas persequitur bonum commune mediate *per se* cedit in bonum singulorum prout ad ipsam communitatem dicunt habitudinem.

Aliunde constat *jus* esse membris communitatis ut actio communis sic pro rata parte in suum bonum cedat. Est enim ipsa societas, ut vidimus, inter media quibus providissimus Deus consuluit inopiae hominum singulorum, ut facilius tendere possint ad finem suum. Hanc autem medii functionem adimplet societas, quatenus procuratio reipublicae cedit in bonum sociorum.

[1] Aptissime R. D. Pottier, *De Jure et Justitia*, Diss. 3, s. 1, c. 1, n. 20: « Finis societatis non est aliquod bonum externum per se et ontologice extra hominem consistens quod ipsi advenit eo quod physice juxtaponatur aliis hominibus in materiali congregatione, sed procuranda est operationibus humanis invicem coordinatis ad illum finem. »

Suo ergo modo communitas est propter membra, et quae sunt *immediate* communitatis, *mediate* pertinent ad membra. Haec sunt membrorum, *jure suae communitatis*. Nam « id quod est totius quodammodo est partis. » II. II, q. 61, art. 1 ad 2.

8. TRIPLEX SPECIES JURIS OBJECTIVE ACCEPTI.

Qui hucusque dicta bene perspexerit, simul de his aliis, quae magnae sunt utilitatis, non ambiget.

a) Praeter res proprie dictas, quae *ex toto* ordinari possunt in bonum cujuspiam personae, ipsae personae physicae, salva earum dignitate personali proindeque *non per seipsas* sed *per ea quae sua sunt* (cfr. 7 b), ordinantur qua *partes* ad bonum personae moralis ad quam pertinent [1]; haec rursus persona moralis ordinatur simili modo qua *totum* ad bonum personarum physicarum ceu membrorum.

b) *Privata persona,* praeter res quas potest dicere *suas*, quia immediate ad suum bonum sunt ordinatae, *suas* etiam dicere valet res (lato sensu : operas ergo et bona exteriora) quae immediate sunt communitatis.

Communitas rursus, praeter ea quae immediate sunt ipsius, *suas* etiam appellare potest res connexas immediate cum bono personarum quae communitatis sunt membra.

c) Per triplex illud *meum* vel *suum*, modo (sub lit. b) expositum, significatur specialis ordo quarumdam rerum ad finem seu bonum alicujus personae : ad quem ordinem persona ista habet facultatem moralem inviolabilem. Designat ergo triplex objectum hujusmodi facultatis, id est juris.

Non eadem tamen ratione in tribus casibus aliquid est *meum* vel *suum*. Aliis verbis, tres isti ordines, quorum communis est illa ratio modo declarata, nons unt ejusdem rationis *formalis,* sed specifica differentia inter se distinguuntur.

---

[1] « Bonum commune est finis singularum personarum in communitate existentium » (II. II, q. 58, art. 2 ad 3).

Id persentiunt omnes; potestque hoc modo penitius declarari.

α) Jam prima specie fit manifestum primam acceptionem *rei mei* vel *sui* usurpari posse statim ac, praeter rem ordinabilem, adsint alii homines quibus facta ordinatio sancta esse debeat, seu ubi primum habeatur *aliquis convictus* humanus; dum secunda et tertia usu non veniunt nisi personae quaedam ut partes et totum inter se comparentur; aliis verbis, nisi homines *societate perfecta* sint conjuncti.

Nec minus constat primam et secundam acceptionem ad privatam personam convenire, dum tertia propria est communitatis.

β) Sed, quod magis ad specificam facit differentiam, in secunda et tertia acceptione connexio rerum cum persona est *mediata:* inducitur *trans personam ad quam pertinent immediate et prius.*

Nec mediata connexio est formaliter eadem in secunda et tertia acceptione. In secunda enim respondet relationi totius ad partes; in tertia relationi partium ad totum.

γ) Inde fit: **1**) ut, desinente immediata connexione bonorum cum persona ad quam pertinent, desinat et jus mediatum; **2**) ut ab habente jus mediatum negligi non possit illud jus immediatum alterius personae, neque res istas considerari ut exclusive vel primo suas; **3**) ut quantitas materialis quae juri respondet aliter pro alia connexione definiatur. In primo enim casu res est mea *ex toto,* seu ea quantitate qua mecum immediate connectitur. In secundo vero et tertio casu observandum prius est quid postulet immediata relatio ad personam alteram. Praeterea, in secundo casu, attendendum est ad similem relationem quam ad totum habent alia communitatis membra. Unde, si quaedam res quae sunt communitatis debent fieri *immediate* propria membrorum, quantitas singulis definietur observato quid et aliis membris sit tribuendum. Aliis verbis, jus est civium ut aeque, sed pro suo quisque loco ac conditione, ipsorum bonum procuretur a societate. In tertio denique casu animadvertendum prius est quid ad suum esse vel bene esse opus sit societati; et dein, si quaedam res membrorum propterea faciendae sunt propriae societatis, quid pro sua quisque parte conferre debeant. Aliis verbis, jus est societatis ut a civibus aeque, sed pro suo quisque loco ac conditione, ipsi serviatur. Non ergo numero absoluto sed *rata parte* haec quantitas exprimetur.

d) Ex dictis sequitur *jus objective sumptum* esse *triplicis speciei,* pro triplici ratione debiti cui satisfacit. Respondet tamen semper facultati morali inviolabili quae tuetur personalem dignitatem. Quare *univoce ad idem genus refertur.*

9. De jure accepto pro lege. Per quandam metonymiam, juris vox transfertur ad legem tanquam ad ipsam causam juris perfecte sumpti. Moralis enim inviolabilitas, quae juris ingreditur rationem, dicit necessitatem voluntati impositam seu obligationem. Haec autem est ex lege.

Lex porro ista est primario lex divina [1], quae tamen melius *fas* dicitur quam *jus* [2]; secundario lex humana, quae ex lege divina habet ut et ipsa sit secundaria morum regula.

10. Quaeres de ordine rationis inter jus acceptum pro facultate et legem.

Omnium primum est eminens jus imperandi quod Dei est proprium. Hoc logice excipit lex seu praeceptum divinum.

Ex illa lege jam manant praecipua jura (facultates) quae competunt personis physicis, et ipsa facultas ordinandi ad bonum commune quam habet civitas seu societas perfecta. Facultas illa exercetur lege humana, quae est secundarius fons jurium (facultatum) pro personis sive physicis sive moralibus.

11. Quid de jure objective sumpto ?

Parte jam proficiscitur a Deo, parte a lege humana. Ob utramque enim causam non pauca addicuntur alicui personae. Ut complura alia personae tribuantur, requiritur, praeter legem sive divinam sive humanam, actio privatorum : pactio, occupatio.

Sed quia, ut demonstrabimus, nullius rei acquiro vel servo jus, nisi aliquo modo utar mea facultate acquirendi vel retinendi, jus objective sumptum, qua tale, nobis videtur semper posterius jure subjective accepto.

Ut verum fateamur, minus in hac re nobis placet eorum ratio dicendi qui, ut R. P. Cathrein, objectivam significationem juris

---

[1] Lex divina intelligenda est *naturalis* cum agitur de societate civili ; tum *positiva* tum *naturalis* cum agitur de Ecclesia. Ex *positiva* enim Dei voluntate, qua existit, ut societas perfecta, Ecclesia habet, praeter jura positive ipsi concessa, omnia quae *naturaliter* pertinent ad societatem perfectam. Sed, in praesentia, potissimum respicimus societatem civilem.

[2] S. Thom. II. II, q. 57, art. 1 ad 3.

statuunt esse primariam. « Exinde, ait n. 226, quod alicui quidpiam ex justitia debetur, in eo oritur facultas moralis agendi vel exigendi. » Nobis, contra, acceptio objectiva juris derivat ex subjectiva. Quia jus habeo, ideo mihi aliquid debetur. Jus autem habeo quia sum persona. Perbelle Carrière [1] : « Nihil est alteri debitum sine jure in altero; unde jus secundo modo, quod dicitur formale (legitima potestas), est fundamentum juris alterius, quod dicitur materiale seu objectivum. Igitur eatenus aliquid est mihi debitum, quatenus ad illud jus habeo. » In eodem egregio opere R. P. prius (n. 142) agit de justitia quam de jure (n. 225), dum nos concipere non possumus justitiam quin prius juris rationem simus assecuti [2].

Paucis : Per legem tum personae physicae tum morales instruuntur juribus seu facultatibus inviolabilibus. Usus facultatum formalis vel virtualis parit jus objective sumptum. Ante omnem legem est suprema Dei facultas ordinatrix.

CAPUT I

DEFINITIO VIRTUTIS JUSTITIAE

S. Thomae II, II, q. 58

ARTICULUS 1. De Justitia latius accepta

12. Non una est hujus vocis significatio. Latiore enim acceptione, supponit pro *rectitudine,* sive naturali sive etiam supernaturali, secundum quam homo omnibus virtutibus praeditus dicitur rectus et justus. Qua significatione quaelibet virtus pars quaedam est justitiae, seu quaedam justitia.

De ratione generaliori eaque supernaturali intelligendi sunt plurimi loci Scripturarum qui efferunt justitiam et justum. Ita S. Joseph praedicatur justus in Evangelio; et beati dicuntur qui esuriunt et sitiunt justitiam (S. Mtth. v, 6). Apud eumdem

---

[1] *De Justitia et Jure,* n. 8.

[2] Ad rem Taparelli, *Saggio teoretico di dritto naturale,* n. 347: « Dall' idea del diritto nasce spontanea la idea di giustizia sociale. »

Evangelistam, c. VI, v. 1, misericordiam proprie intelligit Dominus cum ait : « Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. »

In praesenti autem disputatione describimus propriam ejus vocabuli significationem.

ARTICULUS II. Formula et argumenta sententiae

THESIS I.

Justitia proprie dicta est virtus moralis cardinalis, secundum quam « aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum cuique tribuit » (II. II, q. 58, art. 1).

13. I. **Status Quaestionis.** Quum, ad rem quod attinet, de hac definitione fere consentiant doctores, satis erit paucis singulas exponere voces.

Justitia proprie dicta, seu quae respondet rationi eorum actuum qui peculiariter dicuntur justi.

Est virtus moralis. Moralis virtus : **a**) Opponitur virtuti *theologicae*, quatenus per hanc bene ad ipsum finem supernaturalem ordinamur, dum per virtutem *moralem* ordinamur ad ea quae sunt ad finem (1^a 2^{ae}, q. 62, art. 2 ; et cfras. quae in priore volumine dicuntur) ; **b**) Opponitur pressius virtuti *intellectuali.* Haec perficit intellectum ; *moralis* virtus, contra, perficit appetitum. Porro haec est praesens acceptio vocis ; appetitus autem in quo insidet justitia est appetitus rationalis seu *voluntas.*

Cardinalis. Haec vox tribuitur : **a**) quatuor conditionibus rectitudinis quae praedicantur de omni virtute. Omnis enim virtus oportet ut sit prudens, justa, fortis ac temperata. **b**) Quatuor virtutibus specialibus [1] in quibus, ob materiam circa quam versantur, singulariter elucet una ex istis conditionibus. Exinde hae virtutes evadunt principales, ad quas ut ad totidem capita ceterae *logice* refe-

---

[1] Specialis dicitur virtus quae, ob distinctam essentiam, aliis virtutibus connumeratur neque mera est denominatio communis omnium vel multarum virtutum.

runtur. Cfr. 1^{am} 2^{ae}, q. 61 art. 1, 3 et 4 atque priorem tomum nostrarum quaestionum.

Quia haec principalitas se tenet *ex parte materiae*, nullatenus necesse est ut virtus cardinalis sit virtutibus subjectis simpliciter praestantior seu excellentior. Ita justitia religioni cedit dignitate.

Quia *logica* est distributio, incidit ut virtus subordinata virtuti cardinali sit in alia potentia nec magis intime cum cardinali virtute quam cum qualibet alia virtute objective connectatur. Exemplum ponemus humilitatis, quae residet in voluntate et refertur ad temperantiam cujus subjectum est appetitus sensibilis concupiscibilis.

Hoc loco cardinalem virtutem pro *speciali* accipimus.

Secundum quam aliquis, persona inquam, physica vel moralis quae officio tenetur.

Constanti et perpetua. S. Thomas priorem vocem adhibet *subjective*, posteriorem *objective*: ita ut voluntas sit *constans*, quatenus firmiter perseveret in proposito servandi justitiam; *perpetua*, quatenus intendat tribuere jus non in quodam casu particulari vel ad tempus, sed perpetuo et in omnibus (art. 1 ad 3).

Voluntate, actuali [1]; quasi dixeris: secundum quam quis constanter ac perpetuo vult.

Jus suum, objective sumptum, seu quod, secundum facultatem inviolabilem alterius, huic debetur.

Unicuique, nempe personae seu subjecto juris: tum personae physicae, tum morali seu communitati.

Tribuit, sive *positive* procurando quod titulo justitiae debetur, sive *negative* (voluntarie tamen) abstinendo juris laesione.

14. II. Probatio.

N. B. Fac advertas propriam vocis significationem eruendam esse ex acceptione communi seu vulgari, subjuncta tamen, quantum opus fuerit, declaratione philosophica. Aliis verbis, usus vulgaris suppeditat elementa quae scientifica methodo sunt enucleanda. Quae elementa sumimus, ut patebit ex nostra conclusione circa divisionem justitiae, a specie notissima justitiae proprie dictae, a communitativa.

---

[1] S. Th. hic ad 1.

Argumentatio per partes adornatur.

1. a) Passim perhibentur quaedam actiones (idem tenet de omissionibus) ut hac laude *propria* ornatae, quod factae sint secundum justitiam; ita ut homo qui hujusmodi exercet actiones propterea dicatur *justus*. In istis actionibus profecto occurrit *propria ratio justitiae*.

Rursus si examinaveris quaenam sint istae actiones, facile videris eas esse quae necessariae sunt seu fieri debent ob titulum qui inest in altero et qui nullam postulat specialem alicujus ad illum qui obligatur relationem, sed in omni homine inesse potest.

De iis actionibus, si velis rationem reddere per continuam seriem interrogationum et responsionum quarum altera alteram excipiat, ita fere disponenda erit series :

Cur est honesta talis actio ? — Quia est justa ;

Cur justa ? — Quia Titio debetur ;

Cur debetur ? — Quia habet jus ;

Cur habet jus ? — Quia hanc rem possidet, quia est homo, quia contractu ipsi est tributum, etc.

His consonant effata quibus reddere justum exhibetur ut aliquid quod omnibus est praestandum et ut minima quasi pars eorum quae facienda sunt. Ita v. gr. gallice dicere solemus : *la justice se doit à tous ; — ce n'est que justice ; c'est bien le moins qu'on puisse faire.*

Habere autem justitiam non diceretur aliquis qui quasi per accidens aut erga aliquos tantum huic debito satisfaceret, sed is solus qui omnibus ita constanter jus tribuit, ut prodat permanentem sibi inesse inclinationem ad se hoc modo gerendum.

b) Hucusque usus *vulgaris*. Nunc autem, ut ex *philosophia* morum constat, illud quod omnibus aeque debetur est observare eorum jura. Observantur autem tribuendo suum cuique jus.

Ergo, justitia proprie dicta est *habitus quo quis perpetua et constanti voluntate jus suum cuique tribuit.*

2. Sed habitus iste :

a) non permittit abusum. Eo nemo male utitur.

b) rectificat operationes nostras et quidem appetitus rationalis.

Appetitus. Etsi enim actus cognoscitivae facultatis, si veri fuerint, dicuntur justi, *homo* tamen ipse non dicitur *justus* ex eo quod vera judicaverit.

Rationalis. Nam proportio unius ad aliud, quae consideratur in justitia, excedit facultatem sensitivam. Pertinet haec virtus ad voluntatem et in hac ut in subjecto residet.

Ergo justitia est strictissimo sensu virtus *moralis.*

3. Est denique virtus *cardinalis.* Etenim :

a) *Perfectius* huic virtuti competit quod omnium aliquatenus est virtutum, hoc est *facere quod est debitum.* Ipsum enim debitum respondens titulo qui inest in altero est debitum *perfectum* [1]; illudque *adaequate* solvit justitia. Praestatio quantitate debitum aequiparat. Ceterae autem virtutes vel reddunt quod minus stricte debetur : ut *liberalitas, affabilitas ;* vel non *adaequant* debitum, ut *religio, pietas.* Quae enim Deo praestare possumus, semper haerent infra meritum. Quod aliqua etiam ratione tenet de parente ut causa nostri esse. Quare de officiis positivis justitiae non raro haec vel similia audiuntur : *nihil jam tibi debeo.* Quis autem filius bene natus aliquid tale effutire ausus fuerit de pietatis obligatione seque statuere solutum omni debito erga patrem ?

b) Omnes virtutes quibus *ad alios* ordinamur logice referuntur ad eam quae ad amussim praestat quod aliis debetur.

15. III. **Difficultates** fere conferri possunt apud S. Th. 2^{a} 2^{ae}, q. 57, art. 1 et q. 58 art. 1. Pleraeque videntur satis amputatae ipsa expositione notionum.

1. Sic, si ex S. Augustini de *Moribus Ecclesiae* c. 15 opponas

[1] Minus enim stricte debeo *alteri*, si ratio debiti non est exigentia tituli quem alter possideat.

illud : « Justitia est amor Deo tantum serviens » ; satis patet ipsum agere de charitate, quae dicitur forma omnium virtutum christianarum, utpote illas perficiens ita ut sint modi perveniendi ad beatam vitam. Huic informanti caritati accommodat functiones quatuor virtutum cardinalium. Quum autem servire Deo soli [1] sit maxime Deo debitum, merito hunc caritatis affectum decorat nomine justitiae, *justitiae ad Deum,* ut ipse monet eodem loco n. 44. Sed ideo non negat inter partes istius justitae ad Deum seu inter virtutes informatas caritate esse justitiam inter homines, de qua illo loco minime agit.

2. JUSTITIA VIDETUR ESSE VIRTUS INTELLECTUALIS. Etenim :

a) Iustitia ordinat nos ad alios. Sed ordinare est rationis. *Ergo,* etc.

R. Distinguo majorem. Ordinat formaliter, *nego.* Inclinat nos ut *velimus* hunc ordinem ad alterum quem ratio proponit ; consequenter ad quam voluntatem habetur in ipsa ratione formalis ordinatio, *concedo.*

b) Iudicium (sententia judicis) est actus justitiae ; et tamen intellectus. *E.*

R. Est actus immediatus seu elicitus, *N.* Mediatus, seu imperatus, seu qui sequitur mediante voluntate suum cuique tribuendi, *C.* Jam vero solus actus immediatus et elicitus specificat virtutem et revelat ejus subjectum.

ARTICULUS III. **Doctrinae supplementa**

COROLLARIA

16. Jus sumptum pro facultate dicitur bene **objectum formale cui** justitiae ; est enim ratio cur aliquid sit debitum ex justitia.

Objectum formale quod, contra, est ratio debiti propter jus. Sub hac enim ratione attingit suam materiam sicut visus attingit colorem et auditus sonum.

17. Justum quod praestat justitia merito appellatur **aequale debitum.**

Etenim, in ratione *justi,* etiam quando aliter quam morali significatione usurpatur, continetur quaedam aequalitas quae,

---

[1] Deut. VI, 13 ; Matth. VI, 24.

quia est mensurati ad mensuram est aliquo modo debita. Justum ergo est quoddam *aequale*. Hic autem mensura est jus alterius; cui juri respondet stricte debitum. Justum ergo simul est aequale juri et debitum

18. Justitia tuetur aequalitatem personalem hominum. Ulterius, jura, ut vidimus, respondent *personali* dignitati quae omnibus aeque inest, et tuentur hanc aequalem omnium dignitatem. Ergo ipsa justitia, quae jura observat, dicenda est tueri *aequalitatem personalem hominum.*

19. *Quaeres* utrum intelligamus virtutem **infusam** an **acquisitam.**

Respondemus sermonem hic esse de virtute acquisita, cujus actus tamen aliter fient a fideli, aliter ab infideli. Fidelis enim, si sit in statu gratiae, actus deliberatos faciet excitatus et adjutus actuali et supernaturali Dei gratia. Praeterea seipsum per actum caritatis ordinavit in Deum ut in finem suum supernaturalem, quem fide divina illustratus apprehendit et credit: quae ordinatio moraliter perseverat in habitu caritatis; — ac, plerumque certe, ne dicam semper, quando agit deliberate, praeter immediatam honestatem praesentis ordinis, apprehendet atque intendet in confuso bonitatem supernaturalem qua doctus fide novit actum esse praeditum. Aliis verbis, actus justitiae, quando efficitur a christiano qui sit amicus Dei, vel cum ipsa persona agente referetur ad finem supernaturalem, vel etiam *ultimo* resolvetur in motivum fidei, quatenus fiet, saltem si ultimam ejus quaeras rationem, ut acceptus Deo auctori ordinis supernaturalis, et pertinens ad justitiam illam supernaturalem solo Dei beneficio possibilem Deique positiva ac gratuita voluntate institutam. (Cfr. in priore tomo thesim de merito.).

CAPUT II

VIRTUTIS JUSTITIAE PARTES

S. Thomae, II. II, q. 58, art. 6, 7; q. 79, art. 1 q. 80; **Billuart**, *De jure et justitia*, diss. 5, art. 2; **Molina**, Tr. 1, d. 1 et 12; **Lessius**, c. 1, d. 3 et 4; **J. de Lugo**, d. 1. s. 3 et 4; **Pottier**, *De jure et justitia*, diss. 2; **Van Gestel**, *De justitia et lege civili*, c. 1, § 1.

ARTICULUS I. Notiones de virtutum partibus

20. Distinguuntur virtutis partes *subjectivae*, partes *quasi-potentiales*, partes *quasi-integrales*.

Partes *subjectivae* sunt *species* in quas sicut genus quoddam dividitur virtus. Porro species debent *univoce* participare rationem genericam et differentia, quae specifica dicitur, inter se discrepare.

Partes *potentiales* alicujus virtutis sunt virtutes in quibus aliquo modo sed *deficienter* inest ratio propria alicujus virtutis.

Partes *quasi-integrales* virtutis sunt ea quae simul haberi debent ut constituatur perfectus actus virtutis. His componitur ille actus fere ut corpus materia et forma.

ARTICULUS II. Formula et argumenta conclusionis

THESIS II

Justitiae proprie dictae tres sunt species infimae: justitia generalis seu legalis; ac binae divisiones particularis justitiae, communitativa et distributiva.

21. I. Status Quaestionis. 1. QUO SPECTET CONCLUSIO. In praesenti positione inquirimus tantum de *speciebus* justitiae, atque asserimus tres esse numero species *infimas*, seu quae non patiuntur ulteriorem divisionem.

Non contendimus tamen hanc divisionem esse immediatam. Imo, ex modo quo enunciavimus thesim, satis apparet ita eam esse intelligendam ut justitia prius dividatur in *generalem* ac *particularem*. Quae posterior rursus,

ut genus subalternum, binas continet partes, *commutativam* ac *distributivam* justitiam.

2. SENTENTIAE. Astipulamur sententiae S. Thomae. Hodie tamen non pauci, v. gr. R. P. Cathrein S. J. [1], rationem proprie dictae justitiae non tribuunt nisi *commutativae*, quae dicitur quandoque *rigorosa justitia*.

Sunt etiam qui post Schmalzgrueber S. J. [2] volunt quartam esse speciem, justitiam *vindicativam*. Haec porro describitur *virtus quae poenas a sontibus petit ex amore recti ordinis*.

3. EXPONUNTUR VOCES.

Justitiae proprie dictae, qualem eam probavimus esse in superiore capite,

Tres sunt species infimae, ita ut nulla quarta sit subjungenda :

Justitia generalis seu legalis. Ob rei momentum et satis miram confusionem quae in hac re apud plures ceteroquin egregios deprehenditur doctores, distinctius erit infra ejus ratio exponenda. Haec modo satis sint.

Describitur haec justitia, *virtus inclinans membra communitatis ad reddendum suae communitati quod ipsi qua tali debetur*.

Haec virtus porro dicitur *generalis*, non quod careat propria essentia, sed quia, ut videbimus, actus seu materiam ceterarum virtutum ordinat ita ut a bono communi exigitur.

Et quoniam ad legem pertinet ordinare actus civium in bonum commune, dicitur etiam justitia *legalis*. Per eam civis cum lege concordat.

Ac binae divisiones particularis justitiae. Particularis dicitur justitia, quae terminatur non ad communitatem formaliter, sed formaliter ad personam quamcumque individuam quae ceteris connumeratur.

---

[1] *Philosophia moralis*, n. 142.
[2] *Jus ecclesiasticum*, L. I, T. I, n. 11.

Potest esse materialiter ipsa communitas, ut in emptione v. gr. quam facit Status.

Commutativa dicitur justitia, ex eo quod in commutationibus, ut emptione, venditione, maxime locum habet ipsa. Haec regit ordinem personae ad personam ut simpliciter contradistinctam atque independentem; et versatur circa ea quae cujusque, jure proprio, sunt sua. Quare inter personas privatas habetur et plerumque consideratur.

Et distributiva. Haec « distribuit commoda vel onera communia inter partes communitatis » (C. de Lugo, d. 1, n. 43).

22. II. **Probatio.** Non erit perfecta demonstratio, nisi effecerimus tres quas asserimus partes existere ut virtutes inter se distinctas, specie infimas, quibus tamen insit ratio justitiae proprie dictae, nullamque haberi quartam speciem.

Id tamen facile efficiemus post ea quae in Exordio sunt relata. Ibi enim vidimus triplex specie esse jus seu justum, quod respondet juri communitatis qua talis, juri personae ceu partis communitatis et juri personae simpliciter dictae. Unde sic.:

Justitia proprie dicta est virtus quae jus suum cuique reddit.

E. Quot sunt specie jura reddenda seu debiti rationes [1], tot consistent virtutes distinctae ut species justitiae.

A. Ex iis quae supra disputavimus constat triplex specie esse jus : illud quod a membris tribuendum est communitati, quod communitas debet membris et quo personae singulae alia ad aliam tenentur.

E. Tres sunt virtutes distinctae, ceu species justitiae proprie dictae.

Hae species, ut satis per traditas notiones apparet, sunt justitia *legalis, distributiva et commutativa.*

Denique, *tres illae virtutes sunt specie infimae.* Nam neque aliae sunt personae, praeter personas singulares et communitatem ; nec quartus ordo inter personas, simpliciter qua tales acceptas, excogitari potest. Idem ceterum magis constabit ex solutis difficultatibus.

[1] II. II, q. 61, art. 1 ad 5.

III. Difficultates.

23. 1. JUSTITIA LEGALIS ET DISTRIBUTIVA ANALOGICE TANTUM SUNT JUSTITIA.

Etenim a) Justitia reddit cuique sua. Sed tum legalis tum distributiva justitia tribuunt ex propriis subjecti cui insunt.

Resp. Reddit quae *sua* sunt, *D.* h. e. quae unicuique ex suo jure competunt, seu quae persona exigere potest titulo suae personalitatis, *C.*; quae sua sunt ut jam facta propria, *subdist.*: species principalis seu commutativa, *transmitto*; omnis species, *N.*

Etenim, illud quod ad justitiam stricte pertinet est satisfacere juri (facultati) alterius. Si objectum juris est quid *proprium,* id est, ut explicant, jam ordinatum in finem habentis jus, justitia reddet propria. Sed jura esse quae ad alia terminantur quam ad propria, supra in Exordio ostensum est.

b) Debitum reddendum, seu servanda aequalitas est, *in ipsa ratione debiti*, specifice diversa in justitia legali et distributiva atque in commutativa. *E.* (R. D. Pottier, d. 2, n. 21, 30).

R. D. antec. ita tamen ut tres debiti rationes conveniant in una ratione generica debiti fundati in titulo alterius [1] proindeque perfecti, *C.*; ita ut nulla ratio generica sit communis, *N.*

Non satis est, ut efficias tres illas justitias toto genere differre, ostendere formalem earum objecti diversitatem. Aliqua enim formalis diversitas ad ipsam specificam differentiam requiritur. Sed tres virtutes ejusdem possunt esse generis statim atque assignari valet in objecto quaedam ratio positiva univoce communis. Quod in Exordio perfecisse arbitramur. Cfr. n. **5, 7, 8.**

Pariter etsi aequalitas aliter in alia justitia intelligitur, et, ut mox videbimus, dicitur arithmetica in justitia commutativa, geometrica vero in distributiva, non tamen qua arithmetica vel qua distributiva ingreditur essentiam justitiae, sed qua est vera aequalitas inter praestationem officii et jus [2] Quae forma aequalitatis in tribus justitiae partibus reperitur.

---

[1] Cfr. Quod attinet ad illam rationem, Mol. d. 12, n. 2; De Lugo n. 5*a*.

[2] « Facendo si che al diritto corrisponda esattamente l'adempimento del dovere » Taparelli nº 347.

c) In justitia legali et distributiva desideratur perfecta alteritas.

R. *Nego assertum.* Cfr. cap. 3, ubi *alteritas* ista explicabitur.

24. De Sententia S. Thomae. Nostram de hac divisione sententiam firmiore animo tuemur, quia sola nobis videtur menti S. Doctoris congruere. Non ignoramus quidem jam Cardinali de Lugo [1] visum esse posse temperari dicta a S. Thoma atque latius accipi has quas angelicus doctor vocat partes subjectivas. Verum enimvero non agitur de una explicanda dictione quae forte ipsius ore exciderit, sed iis constanter utitur vocibus S. Thomas et modis dicendi quae impropria sunt nisi nostrae subscribas positioni. Etenim **a**) definit justitiam proprie dictam antequam de tribus agat justitiis, ita ut eam definitionem statuat quasi trium communem; **b**) loquendo de justitia generali sic ait: « Ad utrumque ergo (ad alium singulariter consideratum et ad alium in communi) se potest habere justitia *secundum propriam rationem* [2]. » **c**) Rursus II. II, q. 58, art. 7, ex obj. 2 et ex respons. ad 3 patet ipsum considerare justitiam generalem et particularem ut binas *species* justitiae, et agere de justitia simpliciter dicta. **d**) Quod spectat ad distributivam et commutativam justitiam, magis adhuc manifeste loquitur. In hac sententia prooemii q. 61: « Dein considerandum est de partibus justitiae; et primo *de partibus subjectivis* quae sunt *species* justitiae, scilicet distributiva et commutativa,... tertio de partibus *quasi-potentialibus*, » tum ex usurpatis vocibus tum ex comparatione cum partibus quasi-potentialibus, ter argui potest. Dein in solo art. 1° sexies adhibet vocem *species* justitiae; atque, in responsione ad 5, ex diversitate debiti eruit specificam distinctionem. Denique, art. 2 ad 2 haec habet: « *Generalis* forma justitiae est aequalitas, in qua convenit justitia distributiva cum commutativa. » Et quum deinceps partes ponat potentiales justitiae virtutes in quibus deficiat sive ratio aequalitatis sive ratio debiti, nonne indirecte rursus confirmat non deficienter sed proprie utramque rationem aptari justitiae tum generali tum binis speciebus justitiae particularis? Sed haec hactenus.

25. 2. Tradita divisio laborat defectu. Etenim:

a) Quarta species est annumeranda: *justitia vindicativa* quae poenas a sontibus repetit. (Schmalzgrueber L. 1. T. 1 n. 11);

b) Imo quinta: *justitia domestica* quae inclinat ad bonum

---

[1] D. 1, n. 50.
[2] II. II, q. 58, art. 5, c.

familiae procurandum, sicut justitia legalis inclinat ad bonum commune civitatis.

R. negando assertum. Et ad probationem :

a) *Justitia vindicativa* vel eadem est ac justitia commutativa aut legalis ; vel deficit a ratione justitiae propriae dictae.

Potissimum enim consideratur in principe vel judice qui poenas statuunt. Sed dum istud faciunt, mere partes exercent officii quo tenentur procurandi bonum reipublicae. Haec autem est obligatio justitiae *commutativae*. Quare S. Thomas [1] justitiam vindicativam ad commutativam revocat.

In *privato* qui directe vel movendo querelam sibi quaerit compensationem reductive tantum pertinet ad justitiam. Nullum enim adimplet officium justitiae, cum integrum ipsi sit huic compensationi renunciare. Sed est virtus specialis quae hoc potissimum eniti debet ut recto fine neque ultra quam par est quis petat sontis punitionem [2]. Constat autem nimis hic desiderari alteritatem quam ut haec virtus quasi species statuatur justitiae.

Reus denique qui satisfacit exercet justitiam commutativam vel legalem prout restituendo reparat laesam justitiam commutativam, vel poenas solvit sicut lege jubetur.

Erga reum autem locus non est justitiae nisi quatenus non jubetur ultra meritum poenas dare. Satis enim peregrinum foret loqui de poena ut aliquo modo debita ipsi reo ex quodam hujus jure [3]. « Delinquens enim nullum jus habet ad poenam, sed judex potius habet jus ad eam imponendam » (Ill. D. Waffelaert, *De justitia* II. 402).

Aies, quid si punias ex amore recti ordinis, qua talis? (Cfr. R. P. Lehmkuhl, *Theol. mor.* I n. 755.)

R. Punire ex amore recti ordinis non pertinet ad hominem sed ad solum Deum. Cfr. II. II, q. 66 art. 6 ad 2.

N. B. De hac justitia improprie dicta, praeter S. Th. II. II, q. 80 et 108, cfrs. Molinam, Tr. I d. 12 n. 13 ; et Tr. II d. 715 n. 6 ; Ill. D. Waffelaert, I. nº 16 fine, II, 396, 402.

b) *Quod attinet ad justitiam domesticam :* Quum familia non multis constet personis et nexus vitae domesticae paucis relationibus absolvatur, ejus bonum satis procura-

---

[1] II, II. q. 80, art. unico ad 1.

[2] II, II, q. 108.

[3] Quare non possumus probare modum dicendi R. D. Pottier, Diss. 2, n. 51 et 54.

tur observando ordines particulares quibus familiae membra inter se connectuntur.

Non est opus novas variarum virtutum inducere necessitates. Sit filius patri obsecundans quemadmodum a natura jubetur; uxor et maritus sibi praestent ea quibus ex conjugio tenentur; herus et famuli sua quisque fungantur provincia: perfectusque erit ordo vitae domesticae. Jam vero in necessitate exigendi plura in societate perfecta, quae extra vitam civilem non forent requisita, fundantur jura justitiae legalis, ipsaque virtus distincta quae hoc debitum adimplet. Hoc magis patebit ex infra dicendis. Cfr. hic S. Th. art. 7 ad 3, et Ill. D. Waffelaert, *De justitia,* II. 400. R. D. Pottier, Dist. 3 n. 36.

ARTICULUS III. **Doctrinae supplementa**

I. ***COROLLARIUM.***

26. De divisione virtutis justitiae.

Virtus cardinalis justitiae non est specialis ut infima species sed ut genus sub se continens binas species, justitiam *generalem* et *particularem,* quae posterior rursus dividitur in *commutativam* et *distributivam.* Principium specificans est terminus formaliter diversus, unde specifice variant debitum et aequalitas.

Semel tamen, una cum termino alio, aliud habetur subjectum. Subjectum enim *distributivae* justitiae est *communitas,* dum subjectum *commutativae* est persona *privata,* seu quasi talis considerata: ut privata persona se gerit communitas dum emit, vendit, bona possidet etc.

II. ***SCHOLIA.***

27. Quaeres de partibus quasi-integralibus justitiae.

Has binas ponit S. Thomas II. II, q. 79, art. 1°: *facere bonum et declinare a malo.* Cujus effati haec ratio reddi potest, quod, etsi in virtutibus quae non sunt ad alterum, in temperantia v. gr., peccari possit dupliciter: per excessum et per defectum, non tamen est nisi unus modus tenendi medium seu faciendi bonum: conveniens moderatio appetitus cibi. E contrario, ad duplex bonum tendit justitia: non auferre alienum, positive reddere debitum. Et qui non aufert alienum jam actum facit

justitiae sicut ille qui solvit debitum; dum qui non comedit non ideo jam dici potest observare temperantiam. Jam vero per officia justitiae *negativa* quis dicitur declinare a malo ; per *positiva*, facere bonum. Utrumque requiritur ut quis simpliciter et perfecte sit justus. Dum autem facit alterutrum jam constituit medium quemadmodum habetur in aliis virtutibus. Nam dum v. gr. solvit debitum Titio, possit peccare per defectum si minus solverit quam debeat, et per excessum ut si plus tribuat ex bonis quibus ipse indigeat vel quae pertineant ad alteram personam.

Ut constat ex dictis, hae partes integrales pertinent non tantum ad justitiam proprie dictam sed ad omnes virtutes quae, ut virtutes ad alterum, ad justitiam referuntur.

28. Quaeres de partibus quasi-potentialibus justitiae. Ex notione tradita in art. 1, sequitur in virtutibus quae veniunt nomine partium potentialium reperiendam esse quamdam convenientiam cum justitia et simul dissimilitudinem qua perfecta justitiae ratione deficiuntur Agedum, in virtutibus quas annectit ad justitiam, S. Thomas hanc cum justitia observat convenientiam quod terminantur ad alios quam ad subjectum agens ; dissimilitudinem autem reperit vel in debito vel in modo quo debitum redditur.

Ex priore capite *justitiae annectuntur omnes virtutes quae sunt ad alterum.*

Ex secundo et tertio capite censentur a *perfecta ratione justitiae distare :*

a) Virtutes ad alterum quae debitum non reddunt secundum *aequalitatem.*

Enumerat autem S. Thomas *religionem, pietatem, observantiam.*

b) Virtutes ad alterum in quibus deprehenditur defectus *debiti.*

Sunt autem *veritas, gratia, vindicatio,* quarum debitum non respondet juri alterius; et *liberalitas, affabilitas, amicitia* similesque virtutes quae potius conferunt ad majorem honestatem quam veram habent necessitatem. Hucusque S. Thomas, q. 80.

CAPUT III

PROPRIETATES JUSTITIAE

S. Th. II. II, q. 58 art. 2, 3 et per totam quaestionem ; ***Molina*** Tr. 1, d. 7, 8, 12 ; ***Lessius*** c. 10 ; ***J de Lugo*** d. 1, c. 1 ; ***Waffelaert*** *De justitia* Introductio § 2 ; ***Cathrein*** *Moralphilosophie* P. 1, L. 4, II § 2.

ARTICULUS 1. Formula et argumenta sententiae

THESIS III

Esse ad alterum et respicere debitum sunt proprietates Justitiae

29. I. Status Quaestionis. 1. INTENTIO THESIS fertur in declarandas simul et demonstrandas praecipuas communique doctorum calculo probatas justitiae proprietates. Quarum intellectu non parum juvabimur in variis consectariis capiendis quae justitiae rationem magis perficiunt.

Positio porro nostra affirmat has esse binas justitiae proprietates ; alias tamen ipsi negare non in mente habemus, omittimus autem inquirere quot esse videantur.

2. EXPONUNTUR VOCES.

Proprietates, id est qualitates proxime fluentes ex essentia; ac proinde pertinentes ad omnem speciem justitiae proprie dictae, nec communes cum aliis virtutibus,

Justitiae, proprie dictae, inquam,

Sunt esse terminative, seu considerando subjectum cui fit praestatio, cui redditur debitum,

Ad alterum, qua talem, seu *reduplicative* acceptum : *alteritatem* autem intelligimus suppositorum ;

Et respicere debitum. Qua ratione haec sit proprietas virtutis justitiae paucis explicandum est. Pleraeque enim virtutes, ne dicam omnes, habent actus necessarios proindeque aliquo modo respiciunt debitum. Sed aliae virtutes, si ordinem observant moraliter inviolabilem, non eos tamen solos actus faciunt qui necessarii sunt ut ordo servetur. Honestas enim quam intendunt seu objectum

earum formale non circumscribitur ratione debiti neque huic innititur. In ordine quem regunt elucet quaedam honestas quam persequi semper est laude dignum et virtuosum, sive actus sit voluntati impositus sive liberam linquat optionem. Quia deinde ex istis actibus honestis nonnulli necessario nexu junguntur cum fine a Deo volito, actus isti a Deo imperantur nobis ; non autem ab ipsa obligatione derivat prima eorum honestas.

Contra, propria laus est justitiae ut faciat quod est debitum, ita ut, sublata omni ratione debiti, auferatur ipsa quam intendit honestas. « Bonum, ait S. Th., *sub rationem debiti* pertinet proprie ad justitiam. » II. II, q. 79, art. 3, c.

30. II. Probatio thesis.

1. ***Esse ad alterum et respicere debitum pertinent ad justitiam ut proxime consequentia justitiae essentiam.***

Prob. Essentia justitiae in hoc est ut adaequet uniuscujusque jus. Generalis enim forma justitiae est aequalitas [1] ; et functio reddendi jus addicta est justitiae in ipsa primae thesis definitione.

A. Ex eo quod reddit jus, proxime efficitur justitiam esse ad alterum ; ex eo quod ad aequalitatem jus reddit, fit ut praestet id quod debetur nec plus nec minus.

E. Proxime ex essentia justitiae habemus eam esse ad alterum et respicere debitum eo qui dictus est modo.

Probatur minoris prior pars, quia in ordine ad suam personam nemo habet jura. Jura enim competunt homini ut praesidium suae personalitatis adversus alios, non adversus semetipsum. Juris rationem ingreditur inviolabilitas moralis, quae ideo sancitur ut quis possit libere tendere ad finem suum personalem. Quorsum autem *inviolabilitas moralis* in ordine ad se ; cum nemo a seipso cogi possit ? Jure quidem tuo potes non uti, nequaquam autem illud violare.

---

[1] II. II, q. 61 art. 2 ad 1.

Res est evidens, cujus haec est penitior ratio. Violatur jus quando simul perseverat et impeditur. Jus autem designat facultatem quampiam. Ut ergo aliquis proprium violaret jus, oporteret ut simul haberet facultatem et non haberet quia propria actione foret impeditus. Haec inter se pugnant.

Probatur altera minoris pars. Jus seu justum quod reddit justitia respondet juri subjective accepto. Sed quum jus subjective acceptum sit facultas inviolabilis, ei non respondet nisi praestatio debita. Ad illud quod non debetur nec jus est nec proinde justitia esse valet. Reddere ergo jus ad aequalitatem est praestatione adaequare debitum, seu facere quod est debitum nec plus nec minus [1].

Ceterum jam supra, n. 17, ostensum est justum esse aequale debitum.

2. ***Haec alteritas atque is respectus debiti non pertinent ad alias virtutes.***

N. B. Comparatio instituitur, non cum virtutibus quae ad ipsam justitiam referuntur ut partes potentiales : hae enim possunt alterutram participare proprietatem, sed cum aliis virtutibus sive principalibus sive quae principalibus subordinantur. Quare minime officit quod v. gr. religio videatur esse ad alterum. Annectitur enim ad justitiam.

Probatur. Ut virtus terminetur ad alterum reduplicative, oportet ut observet ordinem cujus alter sit terminus necessarius; ut respiciat debitum, oportet ut ejus objectum a sua antecedente necessitate mutuetur totam honestatem illam quam virtus intendit.

A. Solus ordo qui regit coexistentiam personarum distinctarum (ordo juridicus latiore acceptione) necessario terminatur ad alterum ; honestas autem fundata ex toto in necessitate antecedente quaenam indicari possit praeter honestatem praestandi id quod exigit alicujus personalitas, seu ejus jura ? Ordo autem juridicus, innixus personarum distinctione, prorsus committitur justitiae.

[1] Apposite R. P. Cathrein l. c. 253: « Gibt jemand nicht alles, was er schuldet, verfehlt er sich gegen die Gerechtigkeit ; gibt er mehr als er schuldigt, thut er es nicht mehr aus Gerechtigkeit, sondern aus Freigebigkeit.

Ergo, nulla alia virtus terminatur reduplicative ad alterum, nec inclinat ad id tantum quod debetur.

Idem ostendi possit *a posteriori,* considerando quomodo in tribus aliis virtutibus cardinalibus rectum non accipiatur nisi per comparationem ad agentem [1]. Quod patet de *fortitudine* et *temperantia* quae moderantur passiones. Verum quidem est inter actiones quae *prudentia* reguntur plures esse quae ad alios terminantur, cum et ipsi actus justitiae per eam imperentur. Sed in causa prudentiae formaliter attenditur ad perfectionem quam accipit agentis intellectus ex recta ratione agibilium, non autem ad modum quo actio imperata terminetur ad alterum.

Aeque facile demonstraveris ceteras virtutes spatiari extra fines praecepti ; minimeque imitari justitiam, quae sub sola ratione debiti attingit actus suos.

III. Difficultates.

31. 1. JUSTITIA ETIAM COMMUTATIVA NON EST SEMPER AD ALTERUM. Nam :

a) Satisfactio pro injuria est ejus recompensatio secundum justitiae aequalitatem. *A.* Christus sibi satisfecit. *E.* Aequalitas justitiae non postulat alteritatem.

b) Tutor sibi solvit quae sibi ex justitia stricta a pupillo debentur. *E.*

R. Nego assertum. Et ad rationem :

Ad a) *Conc. maj. Dist. minorem.* Christus tanquam Deus satisfecit sibi ut Deo, vel tanquam homo homini *neg.* tanquam homo satisfecit sibi ut Deo *conc.*

Etenim, quamvis Christus sit una persona, ejus hypostasis tamen est composita quatenus, post assumptam naturam humanam, huic facta est ratio subsistendi, et sic subsistit in duplici natura. Quare, quod attinet ad praesentem considerationem, Christi persona virtualiter duplex est statuenda. Aliis verbis, quia in Christo est duplex principium quo persona constituitur subjectum juris, in eo, secundum considerationem rationis, fingi potest duplex persona moralis, subjectum juris. Ita fere Ill. D. Waffelaert I, 6.

Ad b) *Dist. antecedens.* Tutor sibi solvit tanquam reprae-

[1] II. II, q. 57, art. 1. Cfr. q. 58, art. 9.

sentans personam pupilli, *C.* suo nomine, *nego.* Praeterea nec laudem meretur justitiae quatenus sibi solvit.

32. 2. IN BINIS CERTE SPECIEBUS DESIDERATUR ALTERITAS. Etenim, per *legalem* et *distributivam* justitiam observatur ordo inter communitatem et membra ceu inter totum et partes. *A.* Inter totum et partes inadaequata est distinctio. *E.* Per eas virtutes observatur ordo qui non est perfecte ad alterum ; proindeque ipsae virtutes non sunt perfecte ad alterum.

R. Neg. assertum. Et ad rationem :

Dist. maj. Per legalem et distributivam justitiam observatur ordo inter communitatem et membra ceu inter totum et partes, quod totum tamen supposito et fine personali a partibus differt, *C.* inter quae non viget illa distinctio, *N. Cdt. min.* Inter totum et partes est inadaequata distinctio, quae conjungi potest, ut in praesenti casu, cum diversitate suppositi et finis personalis, *C.* ; quae repugnat huic diversitati, *N.* Jam vero alteritas quae requiritur et sufficit est alteritas suppositi et finis personalis. Ratio enim juris cohaeret cum ratione suppositi. Cfr. dicta ab initio, n. 5 et dicenda infra n. 38.

Profecto, si, ut in toto physico qualis est homo, ad unum et idem suppositum pertinerent totum et partes, non posset inter eos esse ordo justitiae. Nunc autem, quum societas sit persona distincta a personis quae sua sunt membra, habetur alteritas sufficiens ut inter ea *possit* esse ordo justitiae.

Ut *possit* esse, inquam; non enim omnis ordo inter illos duos terminos regetur justitia, sed illi tantum ordines in quibus unus debet alteri ob *exigentiam* distinctae suae personalitatis.

Atque hic accurate est observandum quinam sint illi ordines qui ascribuntur justitiae legali et distributivae.

Et re quidem vera, deprehenditur quaedam convenientia seu honestas ut pars consulat bono totius; et ut totum provideat parti.

Suntne illae honestates quas intendunt justitia legalis ac distributiva ?

Minime. Hujusmodi ordines non forent justitiae. Sed *exigentia* bonis communis, qui est personalis finis societatis, habet ut quaedam fiant a membris ; et *exigentia* finis personalis membrorum habet ut juventur a societate. Inde duplex jus. Jam vero hic detegimus ordines utriusque justitiae. Quae enim praestant justitia

vel legalis vel distributiva, praestant ut *debita* ob alterutrum ex duobus istis juribus, ut debita ergo alteri personae.

Aïes, ea quae membra praestant communitati mediate tamen cedere in suum ipsorum bonum, et sic tandem aliquando deficere alteritatem.

Respondemus illam reflexionem in proprium bonum non semper haberi. Quid enim ex procurato bono communi sibi exspectat qui propter illud bonum oppetit mortem, ita ut egrediatur e communitate per actionem qua eam servat?

Si quando vero habetur, concedemus officium non esse justitiae legalis nisi quatenus mediate prodest aliis membris quae personae sunt plane distinctae. Justitia legalis, ut ait S. Thomas [1], est « *ad alium* in communi, secundum scilicet quod ille qui servit alicui communitati, servit omnibus hominibus qui sub communitate illa continentur. »

Et quia unus prae tanta multitudine moraliter nullus est, illa reflexio in proprium bonum, quae nec semper habetur, impune negligi potest et non attendi.

33. 3. NON EST ALTERITAS PROPRIETAS JUSTITIAE. Nam ipsa caritas ordinat nos ad alios, cum plura sint proximo facienda ex caritate.

R. Ipsa caritas ordinat nos ad alios *tantum, N.:* quum caritas sit prius hominis ad seipsum; ad alios *etiam, S. dist.* quatenus sunt quodammodo unum nobiscum in natura et in vocatione ad beatitudinem supernaturalem, *C.* quatenus sunt contradistinctae et independentes personae, *N.* Jamvero *alteritas* pertinet ad justitiam, quatenus haec non est hominis ad seipsum, sed ad alios reduplicative tales.

34. 4. JUSTITIA NON SEMPER RESPICIT DEBITUM. Qui enim, securitatis causa, solvit debitum probabiliter nullum, exercet justitiam etiamsi objective nulla teneatur obligatione.

R. Dist. Ille exercet justitiam vel effective vel affective, *C.* semper effective, *N.* Quia movetur intentione adimplendi quidquid forte debeat alterius juri, affectu laudem meretur justitiae; si vero a parte rei plus solvit quam debet, ejus

[1] II, II. q. 58, art. 5.

actus exterior non est justitiae, non magis quam si ex errore infra debitum haereret.

ARTICULUS II. **Doctrinae supplementa**

I. *COROLLARIA.*

35. Justitia versatur circa operationes. Justitia, praesertim particularis, immediate non rectificat passiones, sed operationes [1]; et praecipue quidem operationes exteriores et usum rerum exteriorum [2]. Quia enim est ad alterum, hos actus immediate rectificat qui *terminantur* ad alterum. Hi fere continentur operationibus exterioribus et usu rerum exteriorum ; et nullatenus sunt affectiones interiores et passiones per quas homo immediate in se bene disponitur.

Immediate inquam. Quatenus enim motus passionum non raro principium sunt operationum quibus laederetur justitia, haec virtus non raro imperat moderationem irae vel alterius passionis.

Adjunximus hoc praesertim verum esse de justitia particulari. Quum enim bona dispositio partis referibilis sit ad bonum totius, legalis justitia exigere potest actus temperantiae, fortitudinis, saltem exteriores. Sic v. gr. lex punit ebrietatem publicam.

36. Quia **justitia** est ad alterum et rectificat operationes exteriores, **dicitur habere medium rei.**

In actibus virtutis non theologicae aliquis potest a regula distare per excessum et per defectum. Inde bonum ad quod tendunt virtutes morales rationem habet medii. Quod medium semper denominari potest, aliquo sensu,

---

[1] *Operatio,* quae vox *late* supponit pro actu cujusvis facultatis, *stricte* reservatur actui qui *de se* non includit mutationem corporalem. Tunc opponitur passioni (I. II, q. 22, art. 1). Operationes dicuntur *exteriores,* quatenus ad extra terminantur, potissimum per actiones transeuntes quibus vel exterius agimus vel utimur rebus exterioribus.

[2] Quare, secundum S. Th. II. II, q. 60, art. 3 ad 3, judicia interna *indirecte* tantum pertinent ad justitiam.

medium rationis, quum ratio cognoscat et dictet quid sit esse conforme regulae. Sed ad medium illud constituendum, si ratio attendit ad conditiones *personae agentis*, medium virtutis dicitur esse solum *medium rationis*. Si vero medium determinatur comparando rem cum re, seu rem cum persona alia quam subjecto agente, ita ut hujus notae individuantes negligi possint, dicitur *medium rei*.

Jam vero aequalitas justitiae, quae est ejus medium, non constituitur per comparationem cum agente, quum « objectum cui » justitiae sint *aliorum* jura. Inducitur autem illa aequalitas in usum rerum exteriorum et operationes exteriores, seu in aliquid non intrinsecum subjecto agenti, quod rei nomine signari potest. *E.* habet medium rei.

Quod facili exemplo illustratur. Per eamdem quantitatem cibi vel potus, Titius peccabit contra temperantiam, Caïus eam observabit ; imo idem Titius pro statu sanitatis vel infirmitatis nunc peccabit nunc aget secundum virtutem. Sed sive sim dives, dive pauper, semper tantumdem in emptione est *per se* solvendum quantum valet res quam emo. Cfr. II. II, q. 58, art. 10, et etiam I. II, q. 60, art. 2 et Molinam, Tr. 1, d. 2, n. 5, qui idem demonstrat exemplo pertinente ad fortitudinem.

37. Justum dicitur absolute. Quia medium justitiae est medium rei, actiones imo et res exteriores dicuntur *absolute* justitiae vel injustitiae, sine comparatione personae agentis vel ejus intentionis, quamvis, seclusa intentione, actio non sit nisi materialiter justa. Absolute autem non dicitur quid temperatum vel non. (Cfr. S. Th. q. 59, art. 2 ad 3).

II. *SCHOLIA.*

38. Alteritas, justitiae propria, est alteritas suppositi seu finis personalis. Aliis verbis, quae tribuenda sunt ex justitia proprie dicta competunt alicui ut est distinctum suppositum et ut persequitur suum bonum personale. Competunt enim ipsi ut habet jura. Suppositum autem

(rationale) est subjectum juris; et jura existunt tanquam media persequendi finem personalem. Cfr. II. II, q. 58, art. 2.

39. Inter patrem et filium qua tales non est ordo justitiae proprie dictae. Nam quando ut tales accipiuntur, filius origine consideratur ut quid patris ; et quae sunt patris ordinantur in bonum personale filii : quanquam sunt physice distinctae personae, moraliter tunc sunt una persona, unum subjectum juris [1]. Jus ergo *auctoritatis paternae,* quia exercendum est in bonum filii, est stricte jus respectu extraneorum, non autem respectu filii. Quare, licet extranea persona, subducendo filium patri, peccaret contra justitiam, strictam justitiam non offendit filius qui detrectat obedientiae officium.

Reliqua pietatis officia quibus filius tenetur erga patrem, ut praestandi alimenta, non sunt juridica : hoc est, debita sunt ex honestate, non autem respondent exigentiae personalitatis patris, seu non reddunt quod titulo personali est patris. Cfr. de Lugo, d. 1, n. 8.

Contra, filius eripiens patri invito quasdam divitias a patre possessas peccat contra strictam justitiam. Circa ista bona sunt duae personae. Cfr. q. 57, art. 4.

40. In d. 1 n. 22, C. de Lugo subtiliter inquirit an possis ex justitia bis solvere idem debitum, seu solvere debitum jam exstinctum. Videsis ipsum, l. c.

---

[1] Ill. D. Waffelaert I, 6; II, 398.

QUAESTIO SECUNDA

DE LEGALI ET DE DISTRIBUTIVA JUSTITIA

CONSPECTUS QUAESTIONIS

41. Quaestionis opportunitas. Ut accuratius definiri possint variae controversiae praesentes de tributis, de justa opificis mercede, etc., necessitas habet ut distinctam acquiramus notionem binarum justitiae partium quae legalis et distributiva nuncupantur. Non autem quo magis expediens et necessaria est investigatio eo fit facilior, praesertim quum doctores primi subsellii, qui XVI° et XVII° saeculo floruerunt, hanc materiam, ut tunc temporis satis esse poterat, mere praelibarunt. Inde apud ipsos notiones confusae; imo, ut sincere animum patefaciamus, parum genuinus intellectus Philosophi et S. Thomae. Eorumdem tamen magna auctoritas non paucis nostrae aetatis scriptoribus praebuit ansam errandi: quod in hodiernis quaestionibus non mediocre gignit incommodum.

42. Ratio ordinis. Claritati quam maxime consulere cupientes, ita hanc quaestionem disponemus, ut duobus distinctis capitibus agamus de legali et de distributiva justitiae. Atque in priore capite varias exponemus sententias antequam ipsam nostram positionem aggrediamur tuendam. Hac deinde probata, licebit jam paucis refellere opiniones quae nobis a vero distare videntur.

CAPUT I

DE LEGALI JUSTITIA

S. Thomae II. II, q. 58 art. 5, 6, collatis cum art. 8 et 11; ***Molina***, op. cit. tr. 1, d. 1; ***Suarez***, *De legibus*, l. 3, c. 11, 12; ***Lessius***, op. cit. c. 1; ***J. de Lugo***, op. cit. d. 1; ***Van Gestel***, op. cit. c. 1; ***Pottier***, *De jure et justitia*, diss. 3, sect. 1, a cap. 2.

ARTICULUS I. Exponuntur variae sententiae

43. 1. S. THOMAS, qui, in hac re, consentit Philosopho, docet justitiam legalem esse *virtutem generalem*, quae non eo modo quo pietas, fortitudo, temperantia condividitur aliis virtutibus [1], quum pro *objecto materiali* habeat bonum seu actus ceterarum virtutum; quamvis non careat *speciali essentia*, propterea quod illud bonum aliarum virtutum ulterius ordinat ab bonum commune [2], imperando earum actus ut debitos communitati.

Haec est positio quam in hoc capite tuebimur.

2. Plures tenent justitiam legalem mere signare complexum omnium virtutum, ita ut specialem essentiam ab ea abjudicent.

3. Secundum MOLINAM, justitia legalis est justitia *late sumpta*, justitiae nomine insignita quia aequalitatem facit cum legibus, et cujus formalitas comitatur actus omnium virtutum. Haec ratio reperiretur in omni actu virtutis qui exerceretur in commune bonum. Actus justitiae legalis esset ergo « actus cujuscumque virtutis, non qua talis est, sed quatenus ordinatur ad commune bonum cujus pars est ille qui eum exercet. » (L. c. n. 1. Cfr. n. 5.)

4. LESSIUS satis anceps haeret. Ipsi tamen magis placet justitiam legalem esse specialem virtutem, quae intendit hanc specialem honestatem procurandi bonum reipublicae cujus quis est civis. Ut ipse arbitratur, dicitur

---

[1] Art. 5 ad 1.
[2] Art. 6, c.

justitia quia respicit alterum ; neque improbabiliter sentiunt qui eam a pietate autumant non differre. Existimat tandem partes quas Aristoteles tribuit huic justitiae convenire maxime ad virtutem obedientiae. Cfr. l. c. n. 10, 11, 12, 14, 19.

5. Cardinali DE LUGO justitia legalis est improprie justitia, de qua varie sensit Aristoteles, reapse autem inclinans ad procurandum bonum commune reipublicae « propter peculiarem conjunctionem quam operans habet cum republica. » Satis ergo consentit cum Lessio. Cfr. C. de Lugo, l. c. n. 62, 64, 68.

6. Ex *recentioribus*, bene multi amplectuntur sententiam C. de Lugo. Nonnulli, ut R. P. Bucceroni [1], justitiam legalem revocant ad obedientiam qua legibus obtemperatur. Nec se existimant contrarios esse D. Thomae.

Plures denique videntur satis similem nostrae tenere sententiam. Ita Ill. D. Waffelaert [2], et, praeter R. P. Van Gestel [3] et R. D. Pottier [4], R. D. Marrès [5], qui brevissime describit justitiam legalem eam « qua ad commune civium bonum procurandum jus suum reipublicae aut civitati tribuitur », Ambiguo modo loquitur Carrière.

ARTICULUS II. **Formula et argumenta conclusionis**

THESIS IV

Justitia generalis imperat ut debitos propter bonum commune actus variarum virtutum qui vel ex lege positiva communitatis vel ex sua cum bono communi necessaria connexione civibus imponuntur.

44. I. Status Quaestionis. 1° SCOPUS THESIS is est, ut, per accuratam definitionem materialis objecti et formalis, ipsa notio justitiae legalis patescat.

---

[1] *Theol. mor. De justitia*, n. 4.
[2] *Tractatus de justitia*, n. 4, nota 2.
[3] *De justitia et lege civili*, altera editio, p. 11, 12.
[4] L. c. n. 68 et 86.
[5] *De justitia*, n. 2.

2° EXPONUNTUR VOCES.

Justitia generalis imperat. *Imperative* dicuntur ad virtutem aliquam pertinere actus qui proprium sunt objectum aliarum virtutum, quum fiunt sub inclinatione hujus prioris virtutis. Neque tamen ad id requiritur ut actus *effective* proficiscatur a duplici virtute quarum una alteri quasi faceret jussionem.

Ut debitos propter bonum commune. Hac dictione reddimus objectum *formale* istius virtutis. Porro debitos intelligimus actus qui praestandi sunt juri proprio communitatis. Fac advertas non simpliciter a nobis dici : *ex intentione boni communis,* qui modus loquendi non caret ambiguitate ; sed : *ut debitos* propter bonum commune, ita ut is sit processus : Exigentia boni communis tribuit communitati jus cui respondet debitum. In hoc reddendum debitum inclinat justitia legalis.

Actus variarum virtutum. Hi actus ergo sunt *materia* justitiae legalis. Dictio *variarum virtutum* nullam virtutem excipit. Et reapse, secundum S. Thomam [1], omnium virtutum actus praecipere potest justitia.

Agedum, actus intelligimus tum officia positiva seu quae in agendo consistunt, tum negativa seu quae voluntaria omissione absolvuntur.

Qui vel : Non enim *omnes* actus pertinent ad justitiam legalem, sed illi solum qui duplici continentur classe statim indicanda,

Ex lege positiva communitatis. Hoc nomine venit omnis lex lata pro illa communitate. Potest autem esse tum *divina positiva,* qualem acceperat gens judaïca vel adhuc habet Ecclesia, tum *lex humana.*

Vel ex sua cum bono communi necessaria connexione : Haec est altera ratio qua quidam actus provinciam ingrediuntur justitiae legalis : si clara necessitas boni communis eos exegerit. Ad hoc requiritur necessitas perspicua, cui sine lege efficaciter consulere queas.

---

[1] II. II, q. 58, art. 5. Cfr. et I. II, q. 96, art. 3.

Civibus imponuntur. Quibus verbis perficitur descriptio objecti materialis quod respicit justitia legalis. Est semper actus alicujus virtutis, sed qui vel ex lege acquirit vel de se habet *necessitatem* in ordine ad bonum commune.

45. II. **Probatio.** 1° De objecto formali.

Ea ratio formalis assignanda est justitiae generali quae a) servet virtuti *communem* rationem justitiae b) arguat eam esse *specialem* justitiam. **A.** Hujusmodi ratio formalis non est nisi ratio debiti propter bonum commune. **E.** Justitia generalis imperat actus ut debitos propter bonum commune.

Probatur minor. Ratio *communis* justitiae postulat ut objectum formale sit reddere quoddam *jus ;* ratio justitiae *specialis* requirit ut sit illud *jus specie diversum* a jure justitiae commutativae vel distributivae. **A.** Jus non est nisi cui respondet debitum ; speciale jus non est nisi quod fundatur in propria illa indigentia hujusmodi personae moralis ut ipsius bonum procurent membra. **E.** Ratio formalis non est nisi ratio debiti propter bonum commune.

46. 2° De objecto materiali.

a) *Imperat actus variarum virtutum.* Id enim quod exigit bonum commune est quaedam bona et rectis operibus manifestata dispositio hominis, tum in ordine ad Deum, tum in seipso, tum in ordine ad alios sive cives sive ipsam communitatem quatenus haec est persona secum conjuncta, parens etc. (Cfr. 7 b). **A.** Bonae illae dispositiones pertinent ad varias virtutes, ut patet ; atque, ex terminis recitatis, non minus constat nullam excludi virtutem [1]. **E.** Actus quibus manifestantur sunt actus variarum virtutum, et quidem ita ut nulla excludatur.

b) *Actus isti civibus imponuntur.* Justitia enim respicit debitum. Cfr. 30 et 32 in fine.

---

[1] Idem hac ratione ostendit S. Thomas (II. II, q. 58, art. 5) « Pars autem id quod est, totius est : unde et quodlibet bonum partis est ordinabile in bonum totius. » Cfr. I. II, q. 96, art. 3 cum notis Cajetani ; et Suarez l. c. c. 12, n. 7 sqq.

c) *Ex lege positiva communitatis vel ex sua cum bono communi necessaria connexione.* Ut enim satis sit provisum bono istius personae moralis quae est communitas, necesse est ut ipsi debeatur tum illa civium cooperatio quae manifesto requiritur ad bonum commune, tum ea quam ipsa societas postulat ut ad idem commune bonum conducentem.

A. Efficacem intendit procurationem boni communis Deus qui statuit jus communitatis.

E. Duplici hac ratione actus civibus imponuntur.

Optime Ill. D. Waffelaert [1] : « Debitum illud est secundum aequalitatem aliquam quam *necessitate* in qua versatur respublica dimetiri oportet.... Item legalis vocatur, quia extendit se ad omnia quae *legi* statuta sunt ad bonum commune. »

47. III. Difficultas.

Voluntas procurandi bonum Reipublicae habet specialem honestatem. Virtus autem quae hanc intendit non potest esse nisi justitia legalis. *E.* Intentio boni communis erit ejus objectum formale ; materiale autem objectum non unice actibus necessariis circumscribetur. Cfr. Lessium c. 1 n. 11 et R. D. Pottier n. 23, 27, 28.

R. Nego majorem.

Haec enim voluntas, pro diversitate boni quod intendit, pertinebit ad varias virtutes. In eis qui ex officio debent reipublicae cavere pertinebit ad commutativam justitiam ; si attendas ad tuam cum republica conjunctionem, voluntas erit caritatis ; si ad rationem principii quae patriae inest, ad pietatem est provocandum.

Tunc ergo solum cum intercedit peculiare jus communitatis, locus est speciali virtuti.

Nullo autem pacto quia persona illa moralis sit dignior, quia sit communitas et non singularis homo, jam arguitur virtutes quae ad moralem personam et ad physicam terminantur differre specie inter se ; nisi praeterea effeceris personas istas se habere ut terminos *formaliter* diversos. Ita v. gr. qui furatur bonum possessum a republica a nemine dicetur reus injuriae quae opponatur alteri justitiae commutativae quam ei quae protegit bona privatorum. Pari modo qui diligit suam communitatem non exercet caritatem novae cujuspiam speciei.

[1] *De justitia*, n. 4 nota 2ª.

Ceterum nimis probaret mota difficultas. Si enim simplex intentio boni qua privati vel communis variaret virtutes, et posterior intentio constitueret justitiam legalem : sicut pro bono quod intenditur specifice differunt virtutes quae terminantur ad personas singulares, ita differrent virtutes quae respiciunt communitatem, atque tot legalis justitiae species forent distinguendae quot sunt species bonorum quae communitati procurari possunt.

Tunc demum salvatur unitas virtutis si una tantum habetur ratio boni. Quae unica ratio boni est, in casu, adaequatio juris peculiaris quo instruitur communitas. Cfr. **8**.

ARTICULUS III. **Doctrinae supplementa**

I. ***COROLLARIA.***

48. Vitia aliarum sententiarum. (Cfr. art. 1).

a) Nimis late accipit *Molina* objectum justitiae legalis, cum existimat ejus rationem reperiri in *omni* actu qui in commune bonum exercetur.

b) Redarguimus *Lessium* n° superiore, solvendo ejus argumentum.

c) Partes quas *C. de Lugo* statuit justitiae legalis, cum hanc dicit inclinare civem in bonum commune reipublicae « propter peculiarem conjunctionem quam operans habet cum republicae », partes istae, inquam, α) bifariam nequeunt convenire justitiae, utpote quae nitatur distinctione non conjunctione et quae respiciat debitum ; β) Nec tribuendae sunt speciali virtuti, cum una charitas observet varios conjunctionum ordines.

d) Falluntur recentiores qui justitiam legalem eamdem esse autumant atque obedientiam legibus. Obedientia enim, si *formaliter* sumetur, diversa movetur ratione : cum persequatur specialem honestatem quae relucet in conformitate voluntatis cum regula sua ; si vero accipiatur *materialiter*, non versatur nisi circa ea quae aliquo modo sunt praecepta.

e) Nec minus decipiuntur qui hanc justitiam non distinguunt *a pietate in patriam*. Pietas enim observat in patria beneficium ortus, minusque stricte nos urget in ordine ad

patriam quam ad parentes, dum, e contrario, ipsos parentes negligere debemus prae jure quod reddit justitia legalis.

49. Justitiae legalis generalitas et specialitas. *Generalitas* non est essentiae, cum virtus illa habeat formam propriam, sed *causalitatis et materiae*, quatenus imperat actus omnium virtutum et harum materiam sibi assumit : quod praestat etiam charitas. Verum haec altera virtus praeterea possidet propriam sibi competentem materiam : sunt enim actus qui impellenti charitati *immediatam* suam debent honestatem ; dum justitia legalis ex sola *formali ratione* repetit suam *specialitatem*. Formalis enim ratio istius virtutis est *honestas reddendi quod communitati qua tali debetur*. Sed id quod debetur communitati qua tali est quaedam bona agentis dispositio seu actus alicujus virtutis (Cfr. 7 b.), ita ut honestas justitiae legalis appareat esse *mediata*.

Quod si quaeras de *actu elicito* istius virtutis, respondemus illum consistere in affectu reddendi istius debiti.

Juvat praeclaram hanc a Gregorio de Valentia [1] accipere confirmationem. « Lex humana constituit actum in specie virtutis, non quomodocumque, sed tanquam necessarium et debitum, ut ad hanc vel illam virtutem pertinet. Nam alioqui certum est actum, ut sit apta materia legis humanae, debere esse ex genere suo vel ex circumstantiis bonum moraliter, atque adeo hujusmodi qui ad aliquam speciem virtutis pertineat, sicut necesse est pertinere quemcumque actum bonum. Si enim esset per se aut malus aut indifferens sive inutilis, non posset circa illum ferri vel condi lex justa. »

50. Debitum justitiae legalis nihil aliud est quam *necessitas*, vel tunc primum vel novo titulo imposita propter bonum commune societatis, quaedam faciendi vel omittendi quae jam ad particularem aliquam pertinebant virtutem.

Tunc primum, inquam, si antea actus erat liberae optionis ; *novo titulo*, si propter bonum ordinis primarii, qui ad Deum terminatur, jam lege divina erat praescriptus actus.

---

[1] In I. II, d. 7, q. 5, P. 7.

Porro inducere sic necessitatem variorum actuum est, plenissima ratione, exercere *jurisdictionem*. Imo magistratus ad quem lites deferuntur non exercet jurisdictionem nisi quia ipsius sententiam tanquam jus sibi constitutum partes tenentur observare.

Atque exinde efflorescit *vera ratio potestatis jurisdictionis;* et apparet cur actus per hanc potestatem praecepti dicantur obligare ex motivo virtutis quae regit ordinem in quo praecipitur : ita ut praeceptum jejunii obliget ex Temperantia, praeceptum audiendi sacrum obliget ex Religione. Quod imperanti ex dominativa potestate minime competit.

Virtutes autem ipsae, quatenus sub imperio sunt justitiae legalis, nomen interdum accipiunt justitiae legalis (S. Thomae II. II, q. 58, art. 6).

II. *SCHOLIA.*

51. Apud recentiores occurrit non raro dictio **justitiae socialis.** Possunt hoc verbo significare virtutem specialem, quae tunc nequit alia esse a justitia legali [1], vel per eam designare complexum virtutum quae usuveniunt in societate. Quemadmodum enim justitiae nomine insignitur universalis rectitudo in ordine ad Deum (cfr. 12), ita haec civilis ratio rectitudinis, qua quis per varias virtutes se habet ut oportet (ergo juste) ad societatem, minime abhorret nomen justitiae.

52. Subjectum justitiae generalis. Quia legibus definiuntur pleraque justitiae generalis officia, saltem positiva, justitia illa dicitur esse in principe (legumlatore) « *principaliter* et quasi architectonice [2] ». Partes enim ordinantis potiores sunt partibus eorum qui ordinationem exsequuntur. Apparet insuper principem in recta rerum dispositione facilius moveri intentione reddendi debitum communitati, ita ut sibi speciale justitiae generalis comparet meritum. Attamen, quod bene est notandum, iste princeps,

---

[1] Cfr. R. D. Pottier, diss. 3, n. 33.
[2] II. II, q. 58, art. 6.

dum, ad instar architecti, socialis aedificii imperat rationem, exercet, praeter generalem justitiam, *commutativam*. Ad illas enim praestandas operas se, suscipiendo officio, obligavit ex stricta justitia.

Minime ergo princeps considerari potest ut is cui redditur debitum justitiae legalis. Subjectum juris est societas; ipse non *juris* sed, sicut ceteri cives, *justitiae* est subjectum. Nec justitia illa est alia in principe, alia in subditis.

53. *Quaeres* **de juris subjecto** seu communitate in qua justitia generalis locum habeat. Et, dum C. de Lugo, propria deceptus opinione, cogitur pro variis communitatibus fingere virtutes speciales quae imitantur justitiae legalis [1] naturam, nobis facile constat non haberi justitiam legalem nisi in societate perfecta. In hac solum est facultas condendi leges et jurisdictio.

Aios, minores tamen communitates, v. gr. Ordines religiosos, municipia, pollere jurisdictione.

Respondemus jurisdictionem illam non esse nisi partem jurisdictionis quae competit societati perfectae et quae ab ipsa, quantum reipublicae interest, cum istis minoribus societatibus communicatur.

Eleganter R. D. Pottier scribit: « Duplex est vita cujus per communitatem sufficientia perfecta est procuranda, vita aeterna seu felicitas aeterna quae in Ecclesia Christi et per Ecclesiam Christi incumbit procuranda et vita temporalis seu felicitas temporalis, debito modo vitae aeternae subordinata, per civitatem et in civitate educenda. Ceterae communitates seu societates particulares non respiciunt nec procurant bonum commune ab his duobus specifice distinctum sed modo aliquo partiali vel particulari juvant ad procurandam vel vitae aeternae vel vitae temporalis perfectam sufficientiam [2] .»

54. De ratione internationali justitiae generalis. Verum possis veluti ex adverso interrogare, utrum intra fines

---

[1] Cfr. d. 1, n. 66.

[2] Op. cit. diss. 3, n. 34. Minus feliciter videtur cl. auctor in eodem numero reponere societates privatas negociatorum et municipia. Distinguendae enim sunt communitates quae verum efficiunt corpus morale ab iis quae mera juris fictione sunt quid unum, communitates quibus inest jurisdictio ab iis quae illa plane carent.

perfectae societatis se contineat justitia generalis, an virtus illa incumbat etiam ut satisfaciat debito cujusdam boni communis *internationalis*.

Quaestio ista cum altera non minoris momenti cohaeret, utrum necne admittenda sit quaedam societas gentium internationalis, non mera pactione innixa [1], sed quae ab ipsa natura originem trahat. Si enim est hujusmodi societas, erit et bonum aliquod commune cujus exigentiae erit satisfaciendum ; erit ergo quoddam munus justitiae generalis.

Age vero, si jam sua aetate Suarez [2] ex necessitate mutui juvaminis et communicationis arguebat inter civiles societates existere hujusmodi societatem qua obtinerent id quod ad perfectam singularum sufficientiam desiderabatur, quanto magis hodie, multiplicatis commerciis inter gentes atque inducta quadam morum et cultus unitate, sociali isti conjunctioni videtur assentiendum. Natura, dum mutuas facit necessitates, simul impellit ad societatem ineundam; atque efficaciter sancit ejus constitutionem. Ceterum, vix aliter explicabis quaedam puncta, omnino particularia, juris internationalis, quae etiam in bello sunt observanda, nec tamen formaliter fuere conventa : v. gr. quod altum nullius nationis subest jurisdictioni; gentes tamen quae mare adjacent tractum possident trium milliariorum.

Nec inde, ut objicit R. P. Schiffini [3], timendum est libertati atque autonomiae regnorum, cum societas illa et quam consequenter possidet jurisdictio sit certis finibus circumscripta. Nonne jam ipsa civitas sancte observare debet jura domesticae societatis?

Ut patet, societas illa est *formae* perfecte democraticae, ita ut ad totam gentium multitudinem pertineat condere legem ; *membra* quibus componitur immediate sunt societates perfectae ; *objecto* suo est incompleta atque amplior vel angustior pro numero bonorum quae in communi sunt supplenda. Quare non repugnat plures numero esse hujusmodi societates; arctioremque constitui inter populos finitimos, dum universalior complecteretur omnes gentes excultas.

De hoc argumento late disserit Taparelli [4]. Idem probatur R. P. Van Gestel [5]; nec dissimilem tuetur sententiam R. D. Pottier [6]. Accedit aliqua confirmatio ex reprobata prop. LXII Syllabi. « Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non interventu*. »

---

[1] Ut distinguamus hanc conjunctionem ab ea quae consociat status foederatos.

[2] *De legibus* l. 2, c. 19, n. 9.

[3] *Philosophia moralis* n. 219.

[4] *Saggio teoretico* et a n. 1357 ad 1403.

[5] Op. cit. n. XLII.

[6] Op. cit. Diss. 3 n. 39-42.

CAPUT II

DE JUSTITIA DISTRIBUTIVA

S. Thomae I. II, q. 60, art. 3; II. II, q. 61; ***Molina***, tr. 1 d 12; ***Sanchez***, *Consilia moralia*, L. 2, c. 1, d. 36; ***Lessius***, c. 1, d. 4; c. 32, d. 2, 3; ***J. de Lugo***, d. 1, s. 3; d. 34, 35; ***Waffelaert***, op. cit. II n. 404-413; ***Van Gestel***, op. cit. c. 1 § 1; ***Pottier***, op. cit. d. 2, s. 2, c. 4.

ARTICULUS I. Prima informatio controversiae

55. Munus justitiae distributivae. Speciali illi juri quo bona communitatis mediate pertinent ad socios (cfr. 8) oportet ut respondeat in communitate, id est in eis qui eam repraesentant, cura, *distincta a procuratione boni communis*, qua nituntur ut cives participent utilitates communes, non utcumque, sed ita ut ex bonis communibus cuique sua tribuantur: sua, inquam, ratione illa peculiari qua ea quae sunt communitatis ad partes communitatis referuntur. Atque haec cura mandatur distributivae justitiae.

56. Ad quosnam pertineat haec provincia. Porro cura ista distribuendi communia proprie ad eos spectat qui pro communitate agunt, gerendae reipublicae praeficiuntur, verbo, qui summas imperii tenent. Isti tamen munus hoc aliis delegare valent: quod duplici fieri potest ratione. Interdum enim delegatus proprie sustinet personam distributoris. Exempla habemus in ministris regiis quibus quotannis, inter impensas praevisas *(le budget)* et probatas a legislatore, summae quaedam committuntur in certum finem erogandae, ita tamen ut tota negotii administratio ad eos pertineat. Ministri tunc tenentur, erga rempublicam, *commutativae* justitiae obligatione adhibendi istam pecuniam ad propositum finem: e. gr. fovendi artes, scientias; qua autem ratione per praemia etc. id faciant, ipsorum arbitrio est permissum, ita ut cultores artium non possint nisi *distributivae* justitiae titulo ab eis quid postulare.

Non raro autem ipsa ratio faciendi distributionem ab imperantibus ita definitur, ut, facta definitione, officialibus non tribuatur nisi exsecutio; socii autem quorum interest suam quisque ratam partem ex *commutativa* justitia sibi vindicare valeant. Quod obtinet in foro judiciali. Nemo dubitat quin judex laeserit commutativam justitiam erga partem cujus simpliciter vel recusaverit vel nimis distulerit audire causam. Hujus rei quaenam est ratio? Quia ad legem quidem seu Principem spectat providere *ex distributiva* justitia ut cuique civium pateat aditus fori; sed, constituto foro, quilibet civium jus strictum habet deferendi suam causam ad competens tribunal.

57. Disputationis objectum. Postquam specificam ostendimus differentiam inter justitiam distributivam et alias justitiae species, jam levi calamo possumus *formalem* ejus describere rationem. Supersunt autem binae aliae quaestiones, difficiliores, quae suo non carent momento. Altera est de objecto *materiali* hujus justitiae, altera de *regulis* justae distributionis.

58. Variae sententiae de natura et materia hujus justitiae. Prioris quaestionis occasionem captabimus, ut recenseamus quid potissimi doctores de hac senserint justitia.

S. Thomas videtur dubius haesisse circa *naturam* justitiae distributivae ejusque distinctionem a commutativa. Cfr. I. II, q. 60 art. 3 ad 3. Deinde vero, II. II, q. 61, eam statuit justitiam proprii nominis, distinctam a commutativa propter diversam debiti rationem: « alio enim modo debetur alicui id quod est commune et id quod est proprium. » De *objecto* autem circa quod versatur haec justitia, S. Thomas docet eam praecipue occupari in distribuendis bonis [1], quamvis distributio onerum ab ipsa non sit plane aliena. Cfr. in l. 5 Eth. c. 5 et II. II, q. 61 art. 3. Haec denique virtus accipit *medium*, non

[1] Cfr. II. II, q. 61 art. 1.

secundum aequalitatem rei ad rem, quod pertinet ad commutativam, sed secundum proportionem rerum ad personas. Cfr. eumdem art. 2. Postremum istud placet omnibus qui scribunt de hac justitia.

MOLINAE distributiva justitia est de bonis distribuendis quae redundant. Cfr. Tr. 1 d. 12 n. 3 et 8.

LESSIUS ipsi assignat provinciam distribuendi *res communes, officia* et *onera communia*. Cfr. c. 1 n. 20 et sqq.

C. DE LUGO admittit quidem justitiam istam versari circa bona et onera communia distribuenda [1]; abjudicat vero ab ea electionem ad munera [2]. Secundum ipsum virtus ista improprie vocatur justitia et « respicit honestatem distributionis cum proportione debita inter subditos (d. 1 n. 50, 61). »

Recentiores satis consentiunt eam esse justitiam minus proprie dictam, quae versatur circa bona et onera communia distribuenda, ita ut ipsa munera generaliter censeantur inter bona distribuenda comprehendi. Cfr. Carrière n. 7; et praesertim Ill. D. Waffelaert, qui, a n. 404, late agit de munerum collatione. R. P. Van Gestel, op. cit. p. 14, 16, existimat magis ad mentem S. Thomae se respondere non assignando distributivae justitiae nisi bonorum et honorum publicorum aequam partitionem.

59. Sententiae de regulis justae distributionis. Quaestio de regulis observandis a distributore apparet, si parumper attendas, duabus partibus composita. Ut enim recte distribuas, novisse inprimis oportet quinam titulus, qualitas seu conditio, sit consideranda in civibus; ut deinde, pro modo quo titulum possidet, quisque majorem vel minorem obtineat partem.

Id quovis exemplo fit manifestum. Agitur v. gr. de munere notarii quod Titio conferre velis. Prius in genere definiendum fuit

---

1 Cfr. d. 1, n. 43.

2 Cfr. d. 34, n. 19. In hac re cogitat refellere Sanchez, qui in opere *Consilia moralia*, l. 2, c. 1, d. 36, fuse agit de obligatione servandi justitiam distributivam in collatione officiorum ac munerum.

quinam de tali munere contendere possent, ac tum inter eos qui conditionibus satisfaciunt tibi eligendus est Titius. Similiter quum sodalitiis ad suppetias mutuas (*sociétés de secours mutuels*) assignantur subsidia ex aerario, bina haec fuere deliberanda : cur his potius quam aliis sodalitiis tribuas subsidia et quantum sit erogandum in hunc finem ; — quomodo aeque inter illa sodalitia partiaris summam.

Porro posterior pars sat facilem recipit solutionem : pro titulo qui est considerandus cives sunt tractandi ex aequo « ut si sunt duo quorum unus habet merita ut quatuor, alter ut octo, posterior excedat priorem in distributione secundum duplum [1]. »

De priore autem parte S. Thomas, II. II, q. 61 art. 2, haec pauca habet : « In distributiva justitia datur aliquid alicui privatae personae, in quantum id quod est totius est debitum parti. Quod quidem tanto majus est quanto ipsa pars majorem principalitatem habet in toto. Et ideo in justitia distributiva tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa persona *majorem habet principalitatem in communitate*. Quae quidem principalitas in aristocratica communitate attenditur secundum virtutem, in olicratia secundum divitias, in democratia secundum libertatem et in aliis aliter. »

Qui autem, post S. Thomam, inter scholasticos eminuerunt, praecipuam istam et difficiliorem partem non videntur attigisse.

Ex recentioribus controversiis duplex sententia colligitur.

Quamplures, innixi verbis Angelici Doctoris « tanto plus alicui... datur quanto majorem habet principalitatem in communitate » regulam statuunt universalem : *pro merito* erga rempublicam seu pro dignitate bona communia esse partienda ; nec videntur alieni esse ab hac interpretatione secundum quam classibus superioribus major quam inferioribus tribuenda foret pars bonorum communium.

Recens autem, in praeclara lucubratione, *Il concetto*

[1] J. de Lugo, d. 1 n. 45.

cristiano della democrazia, cl. professor Toniolo plane diversam proponit regulam, secundum quam, in recto ordine societatis, onera forent distribuenda secundum capacitatem, bona vero secundum impotentiam seu necessitatem [1].

Denique commemoranda est peregrina ratio qua *socialistae* intelligunt justitiam distributivam. Ipsi enim communem esse volunt possessionem omnis rei frugiferae; laboris autem *collectivi* fructus unicuique cedere secundum praestitam operam, donec profectus in cultu et moribus permitteret regulam perfectiorem qua pro suis quisque viribus contribueret, acciperet autem pro suis necessitatibus [2]. Cfr. thesim de socialismo.

Restat nunc ut assumpta positione sententiam nostram de his punctis distincte aperiamus, modeste tamen, ut in re parum explorata.

ARTICULUS II. Formula et argumenta conclusionis

THESIS V

Distributiva justitia versatur directe circa bona communia partienda; circa onera autem indirecte tantum.

Proportione autem quam observat intendit adaequare speciale jus quod in bona communitatis sibi vindicant socii.

Cujus juris quantitas demetienda est inprimis exigentiâ boni communis, secundario normâ aequalitatis.

60. I. Status quaestionis. 1. Scopus thesis satis per se ostenditur triplex esse, ita ut prima parte definiatur objectum *materiale* istius justitiae; secunda vero ejus objectum *formale;* tertia denique *modus mensurae* quo objectum formale sit quantitative aestimandum; seu, quod in idem recidit, quae regulae sint servandae in aequa distributione.

---

[1] Ita ad literam effert suam sententiam « In quest' ordine sociale gerarchico, rivolto alla tutela ed all' aiuto reciproco nell' assegnimento del bene comune, *chi più può più deve, chi meno può più riceve.* »

[2] « Notre idéal, .. c'est le communisme : *de chacun selon ses forces, à chacun selon ses besoins*.... Mais, en attendant,... nous disons : *à chacun selon son travail.* » Vandervelde, *Le socialisme en Belgique,* 2 P., II, § 3.

2. EXPONUNTUR VOCES.

Distributiva justitia versatur directe circa bona.... circa onera autem indirecte tantum. Mediam ergo tuemur sententiam, qua onerum distributionem non quidem ablegamus ab hujus justitiae provincia, ad hanc tamen non referimus nisi indirecte. *Directe,* inquam, hoc est *in se,* sub hac ratione bonorum distribuendorum; *indirecte,* hoc est, *in alio,* quatenus inaequalis onerum distributio reducitur ad inaequalem bonorum partitionem.

Bonorum autem nomine amplectimur etiam *munera publica.* Hanc tamen comprehensionem non distincte efficiemus argumentando, cum satis esse nobis videatur si in corollario rationem C. de Lugo arguamus esse vanam.

Circa bona communia partienda. Hac postrema voce negamus ad justitiam distributivam pertinere curam de modo quo cives inter se partiantur privatas possessiones.

Proportione autem quam observat. His verbis describimus materialem virtutis hujusce functionem : tenere proportionem in distribuendo.

Intendit adaequare, id est ad aequalitatem reddere.

Speciale jus quod in bona communitatis sibi vindicant socii. Jus illud adumbratum habes supra, n° 8.

Cujus juris quantitas, seu quid justum sit.

Demetienda est inprimis exigentiâ boni communis. Justus ergo distributor prius considerare debet quae ratio distributionis conducat ad communem utilitatem.

Secundario, hoc est quoad permittit praevalens ratio boni communis.

Normâ aequalitatis. Ita ut perpetuo occupetur studio tribuendi idem omnibus, nisi quatenus bonum commune postulat diversitatem. Aliis verbis, quantum patitur finis societatis, distributor nititur ad aequalitatem inter cives tenendam.

Positionem autem istam proponimus in societatibus hodiernis, ubi aequali jure fruuntur cives, quanquam

etiam in societatibus aristocraticis veritatem suam retinet. In his enim societatibus, ad eas tunc inaequalitates habet justitia distributiva respectum quae legitimo facto consistunt; et, dum praeter istas nullam inaequalitatem considerat, rursus dici potest tendere ad aequalitatem.

II. **Probatio.**

61. A. PRIMAE PARTIS. 1. *Justitia distributiva directe versatur tantum circa bona communia distribuenda.*

Ad justitiam directe pertinet tribuere *alteri,* non autem exigere sibi.

A. In sola bonorum distributione aliquid alteri tribuitur. Qui enim onera distribuit, definit quid sibi vel communitati sit praestandum.

E. Justitia distributiva, quae, qua est *distributiva,* versatur circa distributionem, non potest directe, qua est *justitia,* versari nisi circa bona.

De bonis autem non agi nisi *communibus,* ex eo jam constat quod justitia illa residet unice in communitate, utpote quae sola referatur ad membra, tanquam totum ad partes. Jam vero communitas quae institueret alia distribuere quam communia, violaret dominia privatorum.

2. ***Indirecte tamen versatur circa onera*** [1].

Etenim a) liberum esse ab onere habet rationem boni, utique negativi, sed quod persaepe plurimi aestimatur; b) sicut alicujus patrimonii bona non intelliguntur nisi subtracto aere alieno, seu obligationibus, ita summa bonorum quibus quis in societate fruitur comparanda est cum annexis oneribus.

E. Justitia distributiva versatur circa onera, quatenus, imponendo unicuique illud tantum quod par est ut ferat, non plus aequo deminuit de ejus bonis eique hoc modo servat ratam partem utilitatum communium; aliis verbis,

---

1 Idem argumentum versat de Lugo, d. 1, n. 55-57; et, quamvis ejus explicationem existimemus insufficientem, plura tamen profert quae plane digna sint consideratione. Optime, v. gr. in fine n. 56, exponit difficultatem.

quatenus distributio onerum recidit ad quamdam bonorum partitionem.

62. B. SECUNDAE PARTIS. 1. *Proportione quam observat intendit justitia distributiva adaequare jus.*

Reddere enim jus, et quidem ad aequalitatem, est ratio formalis generica justitiae proprie dictae (n. 29).

2. *Jus illud est speciale quod in bona communitatis sibi vindicant socii.*

Etenim, opus est *speciali* jure, ut sit specialis ratio debiti. Specialis autem ratio debiti potest sola inducere speciem novam justitiae, quippe quae respiciat debitum (cfr. n. 29).

E. Opus est speciali jure reddendo, ut justitia distributiva sit species distincta justitiae. Constat autem speciale jus quod in praesentia agitur esse illud quo communitas tenetur erga socios ut suas partes.

63. C. TERTIAE PARTIS, quae est de norma ad quam exigenda est justa distributio, praesertim in societate ubi aequali regimine fruuntur cives. Agedum, bifariam esse illam normam, alteram primariam, quam suppeditat ratio boni communis [1], alteram secundariam, servandae aequalitatis inter cives, ita paucis arguimus.

Arg. 1. Adaequata norma perfecte respondere debet naturae juris cujus est mensura. **A.** Id facit tantum duplex quam indicavimus norma. **E.**

Prob. min. Bonum enim quod praestat distributiva justitia essentialiter subordinatur bono communi: est enim bonum partium; bonum vero partium *qua talium* cedere debet bono communi. Praeterea bonum illud *per se* et *in hodierno regimine* aequali modo tribuendum civibus: debetur enim partibus qua talibus, et cives sunt per se eodem modo partes societatis, quae aequalitas conservatur in regimine quo hodie utimur. **A.** Respectus ad bonum commune respondet subordinationi juris; intentio servandi aequalitatem respondet modo quo jus inest civibus;

[1] Quomodo istud sit intelligendum, cfr. infra, n. 71.

omissa autem alterutra consideratione, imperfecta tantum habetur ratio juris. **E.**

Confirmatur ex Enc. *Rerum Novarum,* ubi S. Pontifex, nostrum argumentum aggrediendo, ita exorditur : « Illud praeterea considerandum.... unam civitatis esse rationem, communem summorum atque infimorum. Sunt nimirum proletarii par jure cum locupletibus natura cives, hoc est partes.... unde constat corpus reipublicae. »

Arg. 2. Paucis id quod de norma dicebamus hac altera ratiocinatione confici potest.

Ad eam partem — omnem et solam — bonorum communium unusquisque civium jus habet, quae ex recte administrata republica ipsi obventura est. **A.** Haec pars duplici ista norma definitur. **E.**

Ad min. Recte enim administratur respublica, quum in primis habetur ratio boni communis, deinde formae qua ipsa societas in concreto est constituta. Haec autem hodie nititur aequalitate.

64. ***Quaeres,*** **quomodo secundum has regulas reapse ordinanda sit distributio.**

Praestat enim factae probationi statim jungere illud corollarium, quo melius appareat quorsum recidat nostra sententia et quo facilius solvi possint vel adeo proponi difficultates.

Omittimus autem casum societatis inaequalis. Itaque, in nostris civitatibus, fere ad *bona* quae materia sunt distributionis et ad *finem* societatis civilis [1] est attendendum.

Bona distribuenda sunt : munera varia, tutela libertatis et jurium, pecuniae quibus tum creantur institutiones, ut scholae publicae, etc., tum foventur artes et scientiae vel varie levatur indigentia civium.

Neque hoc est praetereundum, hodie opes moraliter omnes fisco suppeditari ex vectigalibus et tributis.

---

[1] De politica enim potius quam de religiosa, ut jam monuimus, agimus societate.

Finis societatis civilis complectitur duas partes: efficacem protectionem jurium et positivam procurationem earum rerum quarum communiter interest, quum irriti forent privati civium conatus ad ea assequenda.

Animadvertendum praeterea, esse e republica ut sua maneant praemia virtutem et praeclare facta, et ut propulsetur ea multorum civium egestas quae minime conveniat cum generali societatis cultu ac felicitate. Nisi enim huic occurras miseriae, vix vitaveris indignationes et turbas.

Paucis nunc exponamus quae ratio distributionis videatur nobis ineunda :

a) Sunt bona, v. gr. munera publica, quae, etiam postquam uni fuere addicta, praecipuum retineant ordinem ad bonum commune. Haec semper intuitu reipublicae inprimis sunt conferenda. Quare eorum omnium ex quibus sperare licet bonam muneris procurationem *(administration)*, principalis est consideratio. Hujusmodi sunt scientia vel ars, probitas, prudentia, rerum usus seu experientia, quandoque ipse animi consensus cum iis quibuscum munus est gerendum [1]. Dein, ceteris paribus, ratio est habenda meritorum. Munera enim, quum sibi adjuncta habeant honorem, lucra et varia commoda ac paucis tantum tribui possint, videntur natura sua praemii indolem habere. Consonat usus et sensus communis, qui, praeter idoneitatem, jubent ut consideretur a quo tempore quis coeperit se reipublicae dare, quibus jam functus sit magistratibus, etc.

b) Circa nonnullas alias utilitates quae cives a sua sibi communitate merito sperant, omnes eadem premuntur necessitatis specie, etsi fortasse non eodem gradu. Omnes

---

[1] Hoc mutuamur a S. Th. II. II, q. 63, art. 2 ad 1, ubi scribit : « Quandoque vero consanguinei praelati ecclesiastici sunt aeque digni, ut alii. Et sic licite potest absque personarum acceptione consanguineos suos praeferre: quia saltem in hoc praeeminent quod de ipsis magis confidere potest ut unanimiter secum negotia ecclesiae tractent. »

enim indigent publico praesidio ad quietam possessionem bonorum ac jurium. Haec tutela erga omnes erit exercenda, pro quantitate jurium quae periculo sunt obnoxia. Si tamen, quod certam jurium speciem spectat, discrimen sit proprium alicujus classis, huic erit speciali provisione opitulandum [1].

c) Denique, licet civitati sibi ex fortunis civium congruas comparare facultates quibus foveat artes et literas atque omnibus copiam faciat consequendi eam mediocritatem fortunarum *(modeste aisance)* quae generali prosperitati videtur respondere.

Earum igitur facultatum distributio hoc modo est ordinanda, ut praemia tribuantur eis qui merito sunt priores, quae vero rationem habent adjumenti et subsidii ut quisque magis indiget praestantiorique caret bono.

65. III. Difficultates.

1. JUSTITIA ILLA VIDETUR ETIAM VERSARI IN ALIIS BONIS DISTRIBUENDIS QUAM COMMUNIBUS.

Etenim, si privatus testamento haeredem scripserit aliquod collegium personarum, puta capitulum, ita ut singulis canonicis, pro sua quisque dignitate in capitulo, rata competat pars bonorum, distributio erit facienda secundum uniuscujusque dignitatem. *A.* Hoc genus distributionis pertinet ad justitiam distributivam. *E.* Justitia illa versatur etiam circa alia bona quam communia.

R. Nego antec.; Ad prob. autem, *D. maj.* Erit facienda distributio proprie dicta, *N;* Erit facienda distributio analogica, quae aliquam figuram ac speciem retinet distributionis, *C. Contradist. min.* Genus istud distributionis (secundum dignitatem) pertinet ad distributivam justitiam ubi agatur de distributione proprie dicta, *C.;* secus, *N.*

---

[1] Haec est apertissima doctrina Enc. *Rerum Novarum* : « Jura quidem, in quocumque sint, sancte servanda sunt: atque ut suum singuli teneant, debet potestas publica providere, propulsandis atque ulciscendis injuriis. Nisi quod in ipsis protegendis privatorum juribus, praecipue est infimorum atque inopum habenda ratio. »

Non enim omnis distributio pertinet ad speciem justitiae distributivae, sed ea qua satisfit juri peculiari quo servando communitas perfecta tenetur erga socios. Hanc vocamus proprie dictam. In specie autem objecta, singuli canonici habent, post mortem testatoris, jus strictum seu commutativae justitiae ad ratam bonorum partem.

2. VIDETUR ALTERA NORMA ASSIGNANDA JURIS QUANTITATI : JUSTA RECOMPENSATIO PRO OPERA CONLATA IN PUBLICAM UTILITATEM.

Etenim, a) Perpetuum est in societatibus quas jungunt mercatores seu cives, ut pro rata quam attulerint parte lucrum commune participent.

b) Neque altera norma insinuatur a S. D. N. LEONIS XIII in sua Encyclica *Novarum Rerum ;* siquidem, in loco ubi servandam commemorat justitiam distributivam ejusque explicat partes, ita effert conclusionem : « Jubet igitur aequitas curam de proletario publice geri, ut ex eo quod in communem affert utilitatem, percipiat ipse aliquid. »

R. Nego assertum, si ita accipiatur ut operae praestitae sint norma vel principalis vel universalis quae sit attendenda.

Non enim negamus rationem promeriti inter eas esse rationes quae, cum augeant dignitatem, in collatione munerum sunt considerandae.

Neque infitias imus valde expedire ut quasi in medio posita sint praemia quibus cives ad bonas artes et praeclara facinora alliciantur.

Verum : a) Quatenus praecise se *gratam* exhibet respublica, officio satisfacit quod neque est juridicum, neque proprium est communitatis, neque solis civibus est praestandum. Quae triplex nota satis arguit recompensationem ex *gratitudine* formaliter esse alienam a provincia distributivae justitiae.

b) Stipendium quod solvitur iis qui certis administrationibus praeficiuntur ipsis, ut pacta merces, debetur ex justitia commutativa.

c) Multa sunt bona quorum distributione Status nullatenus remuneratur promerita, sed allevat indigentias.

d) Atque in universum definire quid varii civium ordines conferant utilitatis in rempublicam, eorumque inter se comparare merita: est opus opimum difficultatibus et erroribus quod nemo hucusque est aggressus.

Quocirca in remunerandis meritis constitui nequit norma universalis; imo, si quando eorum habetur ratio, non sunt tamen titulus quem immediate spectat justitia, sed ex utilitate communi vel ex servanda aequalitate inter cives sumitur causa conferendi bonum illi qui merito ceteros superat. Sin aliter, vix distingueretur illa justitia a virtute quae grates rependit.

His praestitutis, sic paucis formalem ad objectas difficultates adornamus responsionem :

Ad a) *Dist. rationem.* Atque haec rata lucri pars obtingit singulis ex justitia distributiva, *N;* ex commutativa, *C.*

Etsi enim, ob facilitatem commercii, societates istae imitantur aliquo modo personam moralem, haec est mera fictio juridica et aliquod artefactum. Reapse bona non pertinent ad personam quamdam distinctam a sociis, qui pro sua quisque parte servant dominium patrimonis communis et partem lucri exigere possunt ut fructus propriae rei, secundum illud : *res fructificat domino.*

b) Docet S. Pontifex quaedam bona esse pro merito in rempublicam distribuenda, neque etiam sub hoc respectu negligendum esse ordinem proletariorum, cum et ipsi, quamvis minus directe, publicae inserviant utilitati, *C.* S. Pontifex hanc rationem statuit universalem et supremam faciendae distributionis, *N.*

Superius enim arguit ex ratione *partis* quam aeque divites ac plebei habeant; inferius autem docet in juribus privatis tuendis singularem curam esse habendam mercenariorum. « Siquidem natio divitum, suis septa praesidiis, minus eget tutela publica : miserum vulgus, nullis opibus suis tutum, in patrocinio reipublicae maxime nititur. Quocirca mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet cura providentiaque singulari complecti respublica. »

3. S. Thomas vult ut partitio bonorum communium fiat secundum *principalitatem.*

R. Dist. assertum. Secundum principalitatem quamlibet, v. gr. divitiarum, ingenii, *nego ;* secundum principalitatem quam quis habet reduplicative ut pars, *C.*

Statuendo hujusmodi normam pro qualibet societate, S. Thomas non repugnat normae magis definitae quam ponimus pro

societate hodierna. In democratia, sic pergit, « principalitas attenditur secundum libertatem. » Quid hoc sibi vult? Ni fallimur, istud praecise : in democratia homines aeque liberos nulla per se principalitate distingui. Restat ergo ea quam per accidens, ex facto suo libero vel conditione, pro varia qualitate bonorum acquirent. Haec plane consentanea sunt nostro modo dicendi.

4. Ex norma tradita, pecuniae quae ex aerario erogantur in levamen egenorum regerentur distributiva justitia, dum potius ad caritatem vel misericordiam sunt referendae.

R. Dist. assertum. Ex norma tradita, regerentur justitia distributiva ea subsidia publica quibus inopiae occurritur quantum postulat bonum commune, *C.* Alia subsidia, *nego ; et nego etiam suppositum :* alia tribui posse. Alienum enim est ab hodierno regimine exercere misericordiam proprie talem. De suo enim liberalitas est facienda. Hodie vero, nequidem necessarias impensas potest ex suo dominio privato civitas vincere, sed, ut saepe dictum est, per exactiones sibi opes comparare cogitur. Tributorum autem quantitas ad boni communis necessitatem est exigenda. Civitati ergo non licet exercere misericordiam nisi per bona sibi in hunc finem relicta. Sed ad aequam distributionem hujusmodi redituum videntur pauperes rursus habere jus justitiae distributivae.

ARTICULUS III. **Doctrinae supplementa**

I. ***COROLLARIA.***

66. De aliis normis. Admitti nequeunt binae aliae normae propositae sub finem articuli I.

a) Norma quae ex *merito* aestimat jus non cadit in onera distribuendá nec adhiberi potest de omni ratione bonorum communium.

b) Nimis absolute etiam cl. Toniolo vult secundum necessitates ordinare partitionem.

67. An munera sint distributionis materia.

Quia publica munera secum ferunt plures utilitates, quae a magistratibus capi possunt sine detrimento boni publici propter quod sunt potissimum instituta, patet

munera ista in eorum bonorum numero esse ponenda quae aequabiliter inter cives sunt distribuenda.

Frustra autem objeceris rationem C. de Lugo [1]. Ultro enim ei concedimus, officia ista quae mere accedunt ad munus aliquod principale, ita ut officiales a quibus implentur sint mere auxiliares adjuncti alicui qui non possit per se omnia praestare, non pertinere ad justitiam distributivam ; et satis esse ut praepositus muneris principalis sibi idoneos adsciscat administros [2]; sed vehementer deciperetur qui, hodie praesertim, omnia munera publica consideraret ut partes unius *totius potestativi* quod unus, v. gr. Rex, possideret. Quam plurima enim munera ut aliquid principale consistunt, de quibus objecta ratio nullatenus tenet ; ita ut procul dubio suae hic partes deferendae sint distributivae justitiae, quemadmodum illud optime explicat Sanchez, inter *Consilia moralia* l. c. c. 1, d. 36.

Quid autem obtineat, quum *suffragio populari* designantur magistratus, habes infra, in scholio.

68. De propria distributivae justitiae aequalitate.

Quia distributiva justitia et commutativa justitiae proprie dictae sunt binae species, utraque adaequat *debitum*. Debitum autem illud in distributiva justitia constituitur secundum justam proportionem inter cives servandam ; dum in commutativa secundum quantitatem quae jam ad aliquem pertinet. Ad definiendum quid sit tribuendum Caio, prior observat quid pro conditione vel merito suo obtinuerit Petrus ; altera vero, neglecta Petri consideratione, observat quantum sit jam Caii ut huic tantumdem reddatur. Quare *distributiva* justitia attendit, ut ait C. de Lugo d. 1, n. 45, 46, *ad aequalitatem inter duas proportiones ; commutativa, ad aequalitatem inter rem et rem*.

Aliis verbis, justi distributoris intentio fertur in aequa-

---

[1] *De Just. et Jure*, d. 34, n. 19.

[2] Puta eos qui gallice appellantur : *secrétaires, chefs du cabinet d'un ministre*.

lem proportionem servandam inter cives ita ut sicut se habent personae inter se, ita se habeant res quae tribuuntur. Quae proportio definietur tum quantitate rei distribuendae, si haec est divisibilis ut summa pecuniae eroganda in subsidium, tum gradu quem unusquisque tenet pro titulo qui est attendendus. Aequalitas illa *formaliter* exprimitur comparando inter se, non duos simplices numeros, sed binas proportiones, hac fere ratione: Titio, habenti titulum ut 1, contingunt 5; ergo Caïo, cujus titulus duplo excedit titulum Titii, tribuenda sunt 10. Quod huc recidit: $\frac{1}{5} = \frac{2}{10}$. Aequalitas ista a scholasticis, post Philosophum, dicitur *geometrica;* estque proprietas qua distributiva justitia secernitur a commutativa. Hujus enim aequalitatem vocant *arithmeticam* [1], quia constituitur inter praestationem et rem quae jam ad aliquem pertinet ita, ut per se nulla sit habenda ratio aliorum civium vel hominum: quantitas rerum mearum non mutatur ob ea quae forte possederit Titius. Porro hujusmodi aequalitas hac formula figuratur: $5 = 5$.

Negare videtur Suarez [2] aequalitatem geometricam esse proprietatem distributivae justitiae. Quod conatur efficere exemplis. Sed per ea potius illustratur discrimen quod intercedit inter utramque justitiam, commutativam et distributivam. Exemplum enim affert debitoris, qui, cum non possit integre satisfacere universis creditoribus, solvit singulis partem ex justitia commutativa.

Jam vero si distributiva ageretur justitia, servata proportio responderet perfecte intentioni virtutis et debitum adaequaret; nunc autem, omissa quaestione an debitor stricte teneatur inter creditores hanc servare aequalitatem ut suam cuique tribuat ratam partem, manet ipsi obligatio perficiendi solutionem, quam primum possit, ut singulis reddat tantumdem quantumdem ab ipsis acceperit, et sic perveniat ad arithmeticam aequalitatem.

Nec majus facessit negotium altera objecta species, de societate mercatoria cujus lucrum pro rata parte cedit singulis sociis. Cur enim observatur illa proportio? Non praecise ut aequabiliter tractentur personae, sed ut suae quisque rei proprios fructus

[1] Cur autem nomina ista sint adinventa, inutiliter aliquis moveret quaestionem, ut jam monebat Cajetanus, in II. II, q. 61, art. 2.

[2] Opuscul. *de justitia Dei*, s. 3, n. 4-8. Ceterum, ob ea quae habet n. 19, verbis potius quam re a nobis dissentit.

percipiat. Inde facta est inter socios pactio qua, communi consensu, aestimarunt quid quisque in medium afferret, atque *immediate* ex illa pactione unusquisque jus habet vindicandi *pro suo* hanc vel illam quantitatem.

Paucis sic idem dixeris. Interdum justitia commutativa speciem servat distributionis, sicut distributiva videtur nonnunquam absolutam tribuere quantitatem, ut cum quaedam jura civium ex toto protegit ac tuetur. Sed commutativa justitia ratam partem constituit tanquam medium definiendi absolutam quantitatem juris, dum distributiva hanc tribuit absolutam quantitatem ut sic observet justam proportionem.

Aliis adhuc verbis: $1 = 1$ et $\frac{5}{5} = \frac{5}{5}$ idem sonant *materialiter*. Sed commutativa justitia *formaliter* considerat priorem rationem scribendi, distributiva alteram.

Neque haec altera est negligenda ratio discriminis, a justitia commutativa conferri per se res ejusdem ordinis: si teneas alterius horologium, reddendum est horologium vel pretium. Quare, si nequeas reddere aliquid ejusdem ordinis, rem alterius ordinis praestare stricte non teneris [1]. In distributiva, e contrario, plerumque titulus et res quae tribuitur pertinent ad diversum ordinem. Largitur v. gr. pecuniam pro virtute. Quod rursus postulat aequalitatem geometricam, qua virtus ad pecunias non immediate conferatur, sed, comparatis inter se virtutibus, eadem inter praemia quam quae inter virtutes servetur proportio.

69. De privilegiis. Non laeditur justitia distributiva, quando vera ratio boni communis vel non permittit ut aequalitas servetur inter cives vel postulat inaequalem distributionem. Ratio est, quia ipsa distributio non est facienda nisi salvo bono communi.

Quare privilegia quae causam habent publicam minime repugnant distributivae justitiae.

70. De subsidiis quibus ex aerario juvantur instituta, civitates, societates. — Duplex est ratio legitima concedendi haec subsidia. Nam vel tribuuntur tanquam praemia quibus cives excitentur, sive omnis sive certi ordinis, ad virtutes colendas, puta sobrietatem, parsimoniam; vel vera sunt subsidia in levamen alicujus inopiae. Utroque casu, eatenus sunt tribuenda, quatenus ad bonum commune conducit ut ope istius medii hae virtutes floreant

---

[1] Id intelligas *per se* et ante judicis sententiam.

in societate, vel talis inopia levetur. Et qui alia ductus ratione decerneret subsidia, faceret contra justitiam distributivam, praeter aliud peccatum definiendum ex titulo quo tenetur curare rempublicam. Eadem deinde justitia distributiva providebit ut subsidia pro rata parte aequabiliter dividantur.

Jure ergo ac merito, potestas publica auxiliatur municipiis in perficiendis operibus quae vel directe cedunt in bonum totius reipubiicae, v. gr. portu quo amplificentur commercia alicujus nationis; vel quorum utilitas, etsi loco circumscripta, sit talis quam publice intersit in oppidis vel vicis foveri.

Verum hoc sedulo cavendum est, ut aequabiliter omnibus faveatur.

Aliquid nihilominus loci nobilitati impune conceditur: tum quia bonum urbis principis diffunditur in subjecta loca; tum quia splendor capitis splendorem addit toti reipublicae.

Similiter duplicem ferunt explicationem subsidia, si quae concedantur societatibus generis earum quibus, in certum finem, alii aliis mutuas ferunt suppetias (gallice, *les sociétés mutualistes*). Per ista enim respublica excitare vel alere cogitat in humilioribus classibus studia quibus futuris rebus prospicitur *(prévoyance de l'avenir)*; simulque cupit minuere egestatem et miseriam operariorum. Nec practice, si animum attendas ad rationes quae vulgo proponuntur, negligitur consideratio quam ipse S. Pontifex appellat: aequae nempe compensationis pro artibus quibus etiam vulgi homines prosunt communitati universae.

II. *SCHOLIA.*

71. Qua ratione exigentia boni communis sit norma superior justae distributionis. Quia secundum exigentiam boni communis definiendum est quanta bonorum massa sit distribuenda et quo titulo pars conflatae massae civibus competat, ideo haec exigentia posita est pro norma superiore. Respectus tamen debiti boni communis pertinet

ad justitiam legalem ; atque ex commutativa justitia tenetur potestas publica illud respicere bonum. Princeps ergo, quatenus attendit ad bonum commune, non distributivam sed legalem et commutativam exercet justitiam. Subintrat deinde distributiva justitia qua ipse obligatur civibus aequam facere partitionem. Res fit manifesta in publici muneris collatione. Quisnam sit munere dignus, apparet potissimum ex consideratione boni communis ; et ex justitia commutativa erga rempublicam debet Princeps assumere dignum. Dein per se ex justitia distributiva imperat ut ex dignis dignior praeferatur.

Ne autem mireris sic e legali justitia accipi normam distributivae justitiae, fac advertas medium cujuspiam virtutis non debere constitui per virtutem quae illud intendit.

Ita temperantiae medium manifestatur per corporis habitudinem ; medium justitiae commutativae, per factam quarumdam rerum occupationem : nihil ergo prohibet quin medium distributivae justitiae ex legalis exigentia remote sit repetendum.

72. De acceptione justitiae distributivae apud veteres. Interdum quaecumque figuram habeant distributionis referuntur ab ipsis ad justitiam distributivam : haec tunc nullatenus supponit pro virtute speciali. Sic a S. Th. II. II, q. 63 art. 4, ipse judex, dum rem vero domino addicit, exercet quandam distributivam justitiam.

Ceterum, veteribus fere unice ante oculos obversabatur distributio bonorum (pecuniarum) quae redundarent in republica. Aliis verbis, fingebant facultates ea copia praesto esse reipublicae quae vinceret necessitatem boni communis. Bona ista pronunciabant dividenda inter cives, jure horum proprio. Sed illud quam rarissime accidere jam sapienter monebat Molina [1]. Hodie autem haec hypothesis amandari potest inter vanissimas.

---

[1] Tr. 1, n. 3.

73. Quomodo observetur distributiva justitia in uno munere conferendo. Sicut res *divisibilis* pro rata parte inter eos est partienda qui titulum habent, ita justitia distributiva postulat ut res *indivisibilis* ei tribuatur qui merito sit potior [1]. Sic enim fit justa comparatio inter cives, et suo quisque loco veniet in partem hujus generis bonorum. Hac ergo ratione, etiam quum unum tantum munus est conferendum, locus est servandae justitiae distributivae. Cfr. de Lugo d. 1 n. 43, 44.

74. De electione populari. Duabus de causis non debet populus in deligendis deputatis respicere ad justitiam distributivam. Jus enim eligendi ipsi conceditur minus ut officium quoddam quam ut praerogativa et privilegium habendi sibi acceptos reipublicae moderatores ; deinde deputati participant aliquo modo rationem mandatariorum qui rem publicam gerant pro populo, cui directa administratio reipublicae committi non possit.

Ita fit ut populus, dum quosdam eligit, magis conferre censeatur quid *suum*. In nostris autem negotiis committendis soluti sumus consideratione justitiae distributivae.

Quare personis quae merito sunt primae, ad certum munus assequendum : a) interdum competit jus *commutativae* justitiae, ut si, indicto concursu, satis appareat collatorem se ex justitia obligasse ad eligendum qui vinceret ; b) interdum jus *distributivae* justitiae, ut si munera ab aliquo conferantur ex officio eisque insit secundaria ratio boni privati ; c) interdum jus *nullum*, ut si electio permittatur arbitrio populi. Cfr. dicta superius.

75. *Quaeres* an justitia distributiva sit observanda in minoribus communitatibus. Quaestio haec moveri nequit de societatibus mere profectis a pactione privatorum qui, in finem sive lucri sive recreationis, vel simili quadem ducti intentione, in communi possident quaedam bona,

---

[1] Quod si moraliter sint ejusdem meriti, optio videtur relinqui distributori.

artem exercent, etc.: hic, jura, si quae sunt, pertinent omnia ad commutativam justitiam; sed agitur de societatibus personarum quae veram efficiunt communitatem et quae generalitate finis ac tota specie exteriore quasi imaginem referunt societatis perfectae cujus sunt partes. Hujusmodi sunt, pro societate civili, municipia et quadamtenus provinciae; hujusmodi etiam communitates religiosae pro Ecclesia.

Jam vero istis societatibus arbitramur inesse distributivam justitiam eo fere modo quo legalis. Ut supra vidimus, legalis justitia quae in eis partem obtinet eadem est atque illa quae tuetur jura communitatis perfectae ad quam minores istae pertinent communitates; et similiter earum auctoritas, quatenus publicam induit rationem, simul cum jurisdictione participat officium distributivae justitiae eorum qui perfectae praeficiuntur societati.

Haec etiam tenent de communitate religiosa, praesertim quoad bona spiritualia. Simul tamen professio continet quamdam rationem pactionis cujus obligationes, pro causa motiva ob quam sunt susceptae urgentur potissimum virtute religionis.

76. ***Quaeres*** **de ratione qua peregrini atque externi in partem veniant bonorum communium.**

R. Ubique hodie externi homines multa civium participant bona: causam dicere permittuntur in foro, contrahunt, bona emunt, vendunt, etc.

Haec imprimis explicantur ex hodierno jure gentium, quo externi, praesertim incolae, in pluribus rebus assimulantur civibus, ita ut etiam stipendia mereri debeant in regione qua degunt. Deinde humanitas ista interest ipsorum civium, ut hi apud alias gentes eodem fruantur beneficio. Nec deest ratio aequitatis. Si enim, ut exemplum demus, exteri prohibentur vindicta uti privata, nonne aditus ipsis patere debet ad forum judiciale; si tributa solvunt, nonne tuenda sunt ipsorum bona et jura?

PARERGON

DE DEMOCRATIA CHRISTIANA

Toniolo, *Il concetto cristiano della democrazia*[1]; **Chiaudano**, *Democrazia cristiana e movimento catholico*[2]; **Gayraud**, *Les Démocrates chrétiens, leur Doctrine et leur Programme*[3]; **Antoine**, *Démocratie politique et démocratie chrétienne*; *La Démocratie chrétienne*: opusculum, sine nomine auctoris vulgatum Leodii 1899, apud *Bien du Peuple*.

77. Qua ratione dicamus de Democratia. Aeque ab argumento hujus operis, quod est de principiis absolute veris, et a mente nostra alienum foret eas aggredi quaestiones quae pro aliis adjunctis et temporibus aliam recipere possunt solutionem. Non ideo tamen prohibemur distinctas exhibere rationes sive dictionum sive controversiarum, praesertim quum justa rerum ratio initium soleat esse concordiae animorum.

Quocirca, quum in plerisque regionibus frequentissime agatur de *Democratia christiana,* atque in tribus ex istis : in Belgio, in Gallia et in Italia, non leviter de re ac de nomine disputetur, visum est nobis exponere, majore qua possumus perspicuitate, quo spectet ista dictio et quaenam, omissis controversiis, inter catholicos de hac re constare debeant. Accedit haec specialis ratio, quod nomen istud videtur primo inventum in Belgio, circa annum 1893.

78. Qua varia ratione usurpetur nomen. Negari non

---

[1] Lucubratio ista, quae maximam nacta est celebritatem, primo prodiit in periodico *Rivista internazionale di scienze sociali e discipline ausiliarie* Roma 1896. Gallice reddita est hoc nomine: *La notion chrétienne de la démocratie.* Paris, maison de la Bonne Presse.

[2] Contra opportunitatem istius denominationis.

[3] Quod opus non levem movit quaestionem circa catholicam democratiae indolem, in qua quaestione auctor adversarios habuit tum scriptorem literarum quarumdam quae mense martio missae sunt ephemeridi *L'Univers*, tum ephemeridem *Osservatore romano*, tum praelaudatum Toniolo.

Documenta ista habes in periodico *Questions actuelles*, T. 48, 49.

potest multas affingi isti dictioni significationes : ex his dabimus praecipuas, ad quas, ni fallimur, ceterae definitiones revocari possunt.

1) Primigenia ac maxime propria significatione, *democratia* designat *regimen politicum* quo multitudo seu plebs fit aliquo modo *particeps reipublicae :* id est ex toto vel ex parte obtinet principatum. Quae democratia dicitur *directa*, quum populiscito feruntur leges, res statuuntur ; *indirecta*, si populari suffragio constituuntur magistratus qui rem publicam gerant ; dicitur *mixta*, si quodam populi imperio temperatur forma monarchica vel aristocratica ; *pura*, si aliae formae penitus excluduntur [1]. Inde patet hodie fere ubique locorum regimen esse *democraticum*, plerumque tamen *mixtum ; directae* autem democratiae, qua plures utebantur civitates antiquae, vix alicubi, e. g. in Helvetia, superesse vestigia.

Si sic accipias democratiae nomen, dicendi sunt christianae democratiae causam suscipere tum ii qui inter catholicos studio atque opere laborant ut inducatur vel servetur forma regiminis democratica [2], tum ii qui, invalescentem populi auctoritatem tamquam aliquod factum accipientes, hoc efficere satagunt ut regimen istud principiis et moribus christianis informetur [3]. His finis est religiosus, nec magnae curae est democratia ; priores, contra, affectu suo ipsam complectuntur democratiam atque in votis habent ut Ecclesia democratiam sibi societate et foedere adjungat.

2) Omissa dein consideratione formae politicae, *democratiae christianae* nomine signari potest factio popularis

---

1 Cfr. de Parieu. *Principes de la politique*, ch. 4.

2 Ita, in congressu Blesensi (4 april. 1899), ii qui in Gallia appellantur *démocrates chrétiens* se professi sunt esse : *un parti nettement républicain, nettement démocrate, nettement chrétien.*

3 Hac ratione proponebantur studia democratica in epistola quae prodiit in *Univers*, 10 martii 1899. Cfr. *Quest. actu.* T. 49. Invictam facti necessitatem his verbis effert E. Schérer *La Démocratie et la France.* « Il est indigne d'un homme sérieux, quelque sentiment que la démocratie lui inspire, de se flatter qu'on en puisse venir à bout. »

eorum qui, veritati catholicae adhaerentes, sub quolibet regimine plebem fovent ejusque student bono et commodis. Hi favent rationibus plebeiorum (gallice dixeris : *les intérêts du peuple, des ouvriers),* sicut alii utilitatibus artium, ordinis medii *(les intérêts de l'industrie, de la bourgeoisie).*

3) Sed ab aliquot annis vocabulum *democratiae* coeptum est adhiberi alia ratione, *sociali*, qua societatem designat in qua, suppressis privilegiis, cives aequalibus fruuntur juribus, libere artes exercent et ad omnia munera aspirare possunt [1].

Satis affinis, non tamen plane eadem, est acceptio *democratiae* apud eos qui christianae democratiae partes tenent. His enim democraticum regimen est regimen quod peculiarem curam gerit de plebeiorum sorte ; et ipsa democratia nihil aliud est quam *complexus relationum socialium* seu *ordo socialis in quo habetur generalis omnium conspiratio in bonum classium inferiorum.* Cui tamen conspirationi non repugnat moderata procuratio aliarum classium. Hancque democratiam appellant *christianam*, quia principiis Evangelii haec ratio ordinandi societatem apprime responderet [2].

79. Itaque, ut plenius exponamus **quae** *communiter* [3] **placeant iis qui** *veram* [4] **tueantur Democratiam christianam :**

1) Maxime sunt infensi *liberalismo oeconomico* et *socialismo. Liberalismo* praesertim objiciunt individualismum et mancam theoriam politicam secundum quam Statui non

[1] Cfr. v. gr. M. Block, *Petit dictionnaire politique et social.* Parisiis, Perrin, 1896; v° *Démocratie.*

[2] Provocant v. gr. ad hunc locum Enc. *Rerum Novarum.* « Quarum rerum haec summa est : quicumque majorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum. »

[3] In concreto enim, ut varietas fert adjunctorum, alii aliter edicunt quas res habeant in votis (leur programme).

[4] Ementitam enim esse speciem patronorum Democratiae Christianae ambigi nequit postea quae fieri vidimus in Belgio et alibi.

competeret nisi negativa quaepiam jurium tutela. *Socialismum* rejiciunt propter odium quo separat civium *ordines bellumque quod indicit familiae et privatae bonorum possessioni.*

2) Nulla regiminis forma ipsis repugnat, nec affectant suppressionem regiae dignitatis ; satis tamen favent amplificandis populi juribus politicis. Per ea enim sperant se magis causam populi esse promoturos. Aliunde, quo magis opibus crescit populus atque perficitur civilis omnium cultus, eo magis quasi prono alveo venitur ad democraticam formam regiminis politici [1].

3) In suas partes asciscunt cives omnium ordinum noluntque pro privata haberi factione. Quod si magis populo uti videantur, id tribuendum aiunt desidiae vel praejudiciis quibus multi melioris fortunae cives impediuntur ne ipsorum obsecundent consiliis.

4) Cur tantopere intendant promovendae utilitati opificum, duplicem assignant rationem : tum quia autumant, in hodierna societatis ratione, plebem inique tractari multisque laborare malis ; tum quia, ut contendunt, genuina reipublicae procuratio in bonum classis quae numero ceteras superat potissimum cedere debeat.

5) Perpetuo nituntur Encyclica *Rerum Novarum ;* maxime fovent sodalitia fabrorum corporatorum *(corporations) ;* in pluribus rebus, ubi operarii non possunt sibi ex sola libertate sperare efficacem jurium tutelam, Status vel legis appellant praesidium. Exemplo sint : sarcienda damna fortuita *(réparation des accidents),* cura mulierum, minorum natu atque etiam eorum qui viribus pollent, quod attinet ad laborem vel nimis protractum vel sine necessitate diebus festis aut noctu impositum.

Praesentem vero rerum ordinem plurima indigere correctione affirmant [2] ; reformationis autem praecipuum

---

1 Cfr. Gayraud, opere cit. p. 140-180.

2 « Le parti démocratique chrétien est avant tout *un parti social,* qui veut et poursuit, premièrement et directement, des réformes profondes dans l'organisation économique de cette société. » Gayraud, op. cit. p. 159.

instrumentum et quasi cardinem melioris ordinis existimant fore collegia civium ejusdem conditionis *(corporations)*.

80. Quaenam de his inter catholicos constare debeant.

1) « Nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent quod doctrinae catholicae repugnet.... Imo neque illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum reipublicae : quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitatem, sed etiam ad officium pertinere civium. » Haec scribebat Pp. Leo XIII in Enc. *Immortale Dei* (1 nov. 1885). Antea, idem Pontifex monuerat « seditionum licentiam cum ratione repugnare. »

Inde sequitur integrum esse christianis, pro sua quisque persuasione, *legitimis artibus* fovere democraticam regiminis politici formam, vel ei repugnare. Ut autem regimen facto consistens principiis christianis imbuatur, omnis verus christianus id votis et opera procurabit.

Hucusque de *prima* dictionis acceptione.

2) Ad *secundam* quod attinet: sicut legitime consociantur nobiles, divites, homines medii ordinis ut suae utilitati prospiciant, ita profecto honeste constituuntur partes in peculiarem gratiam opificum. Hujusmodi tamen factio a generaliore causa bonorum ut pars a toto distinguetur.

3) De *tertia* autem significatione quid observandum ?

a) De *fine* societatis primum, rejiciendus nobis est error plurium rationalistarum, qui bonum aliquod publicum *abstracta* ratione conceptum, seu Entis cujuspiam collectivi, pro fine ultimo habent societatis civilis atque huic tribuunt despoticam in cives auctoritatem : ille error non minus rejiciendus est atque alter, qui practice magis quam theoretice invaluit, et ex quo reges *sibi* regnarent; verum « procurationem reipublicae non ad utilitatem eorum quibus commissa est, sed ad eorum qui commissi sunt, natura pertinere, philosophia pariter et fides christiana

consentiunt [1]. » Quod autem illa procuratione debeat *magis* intendi infimi quam aliorum ordinum bonum, id inter catholicos impune disputari potest.

b) In hodierna societate homines qui artibus servilibus addicuntur pluribus vexari malis, eisque esse opitulandum, nimis aperte inculcatur in Enc. *Rerum Novarum* quam ut a catholico viro negari possit [2].

Satis est istos afferre locos. « Plane videmus, quod consentiunt universi, infimae sortis hominibus celeriter esse atque opportune consulendum, cum pars maxima in misera calamitosaque fortuna [3] indigne versentur. » « Quod ad tutelam bonorum corporis et externorum, primum omnium eripere miseros opifices e saevitia oportet hominum cupidorum, personis pro rebus ad quaestum intemperanter abutentium. » Eodem loco varia indicantur quae sunt tutanda. « Ex una parte factio praepotens quia praedives... Ex altera inops atque infirma multitudo. »

Quousque tamen in hac vel illa regione plebs hujusmodi opprimatur malis: illud pontificiis literis in medio relinquitur.

c) Opifices per instituta et leges « solitarios atque indefensos » esse traditos; plurimumque valere eorum sodalitia ad medendum praesentibus malis, atque locum esse opportuno interventui potestatis publicae: haec diserte docentur in memorata Encyclica; quousque tamen mala cohaereant cum hodierna ratione exercendi

---

[1] Enc. *Rerum Novarum*.

[2] Dum ita loquimur, eam tribuimus his literis auctoritatem quae per se communis est Encyclicarum. Per eas enim solent SS. Pontifices proponere *auctoritative* doctrinam, *infallibiliter et exclusive securam*, cui, ut legitimi Pastoris et universalis Legislatoris, externus et internus debetur assensus; non tamen *intensive* summam quam possident explicant auctoritatem, nisi ea adhibeant verba quae clare significent voluntatem *definiendi*, i. e. obligandi, per sententiam *definitivam*, universam Ecclesiam ad assentiendum doctrinae ut *infallibiliter verae*. Hujusmodi usus est verbis e. g. Pius IX, in fine celebris Enc. *Quanta cura*.

[3] Haec ipsa vox et rationes quae statim subjunguntur non permittunt ut ad significationem *miseriae moralis* detorqueas dictionem.

artes (cum *machinismo* et *capitalismo*, ut aiunt) ; qua ratione reipublicae praesidio sit opificibus auxiliandum, atque adornanda eorum sodalitia ; quousque tandem sit in melius mutanda praesens ordinatio socialis : de his, quantum est ex Encyclica, libera permittitur optio.

81. De quibusnam potissimum discrepet inter catholicos.

1) Utrum necne expediens sit nomine novo *(Democratiae christianae)* appellare *universam* causam bonorum.

2) Quid, circa quaedem puncta theoretice sit tenendum : e. g. *quo titulo* solvendum sit salarium familiale.

3) Quid de praesenti rerum statu sit sentiendum, cum alii in pejorem, in mitiorem alii interpretationem propendeant.

82. Consectaria dictorum.

1) Omissis tum iis qui sat manifesto placitis liberalium astipulantur, tum iis qui vix non aperte odia et discordias seminant instar socialistarum, illi qui vero catholicorum nomine compellantur, ad rem quod attinet, saltem si *doctrinas seu principia consideres* [1], non magnopere inter se dissentire videntur ; et tam multa sunt studia communia, ut pauca quae controvertuntur nequeant magnopere obstare animorum concordiae [2]. Addas adhuc, plura, quae minus liquido patent, temporum ac rerum opportunitati esse ab utraque parte permittenda. Nam omnes qui sapiunt, sive adhaereant sive repugnent democratiae, neque imprudenter societati obtrudent novas res, nec, si postmodum constiterit aliquid praesentis ordinis esse emendandum, suam detrectabunt operam.

---

[1] Hoc addimus, quia de exsecutione *(mise en pratique)* major fortasse, in quibusdam regionibus, est inter catholicos dissensio. Qui enim opibus pollent sibi facile timent molesta sustinenda officia, pluriumque rerum faciendam jacturam. Sed ad eorum movendos animos qui pii sunt ac religiosi, satius semper erit fortiter sed prudenter instare, quam si, violenti vel praecipiti modo agendi, causam praebeas aperte tuis resistendi incoeptis, atque obfirmandi pristinam viam tuis contrariam votis.

[2] Idem affirmatur a cl. Toniolo in initio ejus lucubrationis.

2) Minus ex argumentis quam ex modo dicendi et agendi quo personae offendebantur acerbae manarunt dissensiones; inprimisque deplorandum est quomodo in certis ephemeridibus ea quae a catholicis viris, alterius sententiae fautoribus, dicuntur et aguntur majori obnoxia sint irrisioni, vituperiis vel suspicionibus quam si aperti hostis forent dicta vel facta.

3) Nihil magis nocuit Democratiae quam evidentes quorumdum excessus [1]; maximeque est illi causae optandum, ut omnium ordinum opera utantur ad perficienda ea quae in gratiam plebeiorum meditantur. Hoc enim modo efficacius servietur utilitati pauperum et opificum. Qua in re valde juvabimur, si eas adhibeamus artes quae christianam non tantum redoleant firmitatem sed etiam mansuetudidinem et longaminitatem.

4) Sincera voluntate illuc est ab omnibus enitendum, ut votis S. Sedis et sacrorum Antistitum non semel expressis obtemperent [2], omissisque intestinis concertationibus, nisi quando pacifice de iis deliberandi detur copia, « conspirantibus animis studiisque » id universi contendant « quod est commune omnium propositum, religionem remque publicam conservare ». Operae pretium est, in fine hujus commentationis, recolere alia monita quae in fine Enc. *Immortale Dei* tradit S. Pontifex de ratione qua disputanda sint ea de quibus « potest esse honesta dissensio ». « Si quid igitur, ita porro pergit Pastor supremus, dissidiorum antea fuit, oportet voluntaria quadam oblivione conterere : si quid temere, si quid injuria actum, ad quoscumque demum ea culpa pertineat, compensandum est caritate mutua, et praecipuo quodam omnium in Apostolicam sedem obsequio redimendum. »

---

1 Quare non desunt, qui, ut ansae amputentur errandi, *christianae democratiae* nomini substituendum censeant vocabulum *democratiae catholicae*.

2 Quae magis proprie ad Belgium spectant documenta, habes in nostro *Manuel social*, p. 219, 232-234. Adjungenda foret epistola R^mi Episcopi Leodiensis Roma missae ad A. R. D. Rutten, die 18 aprilis 1899, cum prooemio *Bien Public* ejusdem mensis.

QUAESTIO TERTIA
DE JURE SUFFRAGII & DE TRIBUTIS

CONSPECTUS QUAESTIONIS

83. Quaestionis opportunitas ac locus. Quamvis versemur adhuc in generalioribus argumentis, visum tamen est superiori quaestioni subnectere aliam, compositam binis partibus, satisque particularem, sed quae cohaeret cum traditis principiis de legali et de distributiva justitia, et post quam de utraque hac justitia jam non erit nobis in specie disserendum. Quaestio ceterum ex iis est quae hodie nunquam non animos tenet suspensos atque divisos, ita ut hujus operis intentioni plane respondeat.

84. Quaestionis tractatio. Quod propositum, quomodo exsecuturi simus, paucis jam aperiemus :

a) Nullo pacto examinabimus quid ferant praesentia adjuncta, quodve, his observatis, in leges inducendum videatur systema sive suffragiorum, sive tributorum : id enim foret agere politicum, quod plane abhorremus ;

b) Neque ea decantabimus argumenta quae in philosophicis institutionibus disputari sunt solita et satis liquent catholicis : ad hodiernas enim controversias speciatim animum attendimus ;

c) Verum quae genuina sit *indoles* tum juris suffragii tum obligationis solvendi tributa inquiremus ; dein, quas sibi in hac re partes deposcat *justitia* et quid ex *absolutis* principiis erui possit circa modum ordinandi jus suffragii et exactiones tributorum, nonnihil definiemus.

CAPUT I

DE JURE SUFFRAGII

S. Thomae I. II, q. 105, art. 1; ***Waffelaert***, Op. cit. nº 406-413; ***E. de Parieu***, *Principes de la science politique.*

ARTICULUS I. Prima informatio controversiae

85. Argumentum hujus capitis pressius definitur. a) De eo unice dicemus jure suffragii quo populus eligit magistratus, eos praesertim per quos leges feruntur (deputatos).

b) Porro bina haec versabimus puncta: α) Quaenam sit exacta *ratio* istius juris; β) Ex quibusnam principiis sit *recta* ejus facienda *ordinatio.*

86. Doctorum placita. Fere nulli nobis sunt praesidio *plerique doctores scholastici*, quippe qui nostram quaestionem silentio praetereant.

Excipiendus tamen est S. THOMAS, ex quo haec accipimus documenta:

α) Quamvis trium civitatis formarum: monarchicae, aristocraticae et democraticae [1] nulla sit absolute bona vel mala, per se tamen praeferendum esse regimen tribus istis aliquo modo compositum. Haec enim habet I. II, q. 105, art. 1. c. « Talis enim est optima [2] politia bene commixta ex regno, in quantum unus praeest; et aristocratia, in quantum multi principantur secundum virtutem; ex democratia, id est potestate populi, in quantum

---

[1] Non miraberis S. Doctorem alio loco *(De Regimine Principum)* verbis duriusculis definire *democratiam*, si observaveris vocabulum istud, apud Philosophum, designare corruptam formam regiminis popularis, fere ut tyrannis opponitur monarchiae et oligarchia aristocratiae; genuinam autem democratiae formam appellari *politiam*. Cfr. 3 Polit. c. 5. Hoc jam monet Molina, d. 23, nº 13.

[2] Alii legunt: « Talis vero est omnis. »

ex popularibus possunt eligi principes ; et ad populum pertinet electio principum [1]. »

β) Oportere tamen ut populus non sit indignus jure quo donatur. Cfr. I. II, q. 97, art. 1. « Si paulatim idem populus depravatus habeat venale suffragium et regimen flagitiosis sceleratisque committat, recte adimitur populo talis potestas dandi honores, et ad paucorum bonorum redit arbitrium. »

Ex his principiis arguere fortasse licet, futurum fuisse ut Angelicus Doctor non abhorruisset ab hoc placito Ahrens [2] : « La combinaison (des formes politiques) pour être juste doit être telle qu'elle permette un agrandissement successif de l'élément démocratique, à mesure que la civilisation s'étend sur une plus grande partie de la nation. »

b) Quod attinet ad *recentiores :*

α) Qui de theologia morali scribunt, jus suffragii in numero habent privilegiorum, quorum usus positivus non praecipitur ex virtute justitiae commutativae. Cfr. Ill. D. Waffelaert, *De Justitia et Jure* II, n° 406, Génicot, *Theol. mor.* I, 359.

β) Alii vero, qui in politicis studiis versantur, in binas potissimum abeunt partes. Rationalistis enim jus suffragii *(l'électorat)* est jus populi naturale et innatum, per quod ii qui potiuntur summa rerum obtinent delegationem sine qua nullus legitime imperaret. Hac enim solummodo ratione hominem spoliare se sua ingenita libertate atque independentia, suamque autonomiam transferre in communitatem. Spoliationem autem volunt absolutam, unde ad civitatem jam pertineret quidquid in singulis inesset juris atque autonomiae.

---

[1] In hac re S. Thomas adhaeret perpetuae traditioni eorum qui moderate sentiunt. Ita enim jam pronunciaverat Aristoteles; ita Cicero. « Quartum quoddam genus reipublicae maxime probandum esse censeo, quod est ex his, quae prima dixi, moderatum et permixtum tribus. » (*De Republica* I, 29. Cfr. et 1, 45). Consonant recentiores, ita ut hujusmodi moderatio videatur respondere universalioribus conditionibus hominum.

[2] *Cours de droit naturel*, p. 386. Ipse docuit Bruxellis.

Ex quo errore manant bina haec, tanquam necessaria corollaria : a) suffragium stricte universale, omnibus aeque concessum, cum omnium sit una conditio ; b) singulorum emisso suffragio, omnimodam servitutem et Status omnipotentiam, nisi quod fortasse maneat civibus jus consurgendi ad novas res *(droit de révolution)*.

His autem omissis, satis convenit inter ceteros, jus suffragii civibus committi tanquam *munus* aliquod ab ipsis gerendum.

Non pauci tamen imperfectam tantum fatentur esse hanc muneris rationem [1], ita ut idem videantur opinari ac plerique theologi.

Si nunc de modo quaeramus quo suffragii jus sit ordinandum, non desunt qui ex absolutis principiis hanc vel illam formam velint aut commendatam aut reprobatam. Quod recens in Belgio observatum est de systemate quo cuivis notabili parti eligentium, pro numero suffragiorum, permittuntur eligendi nonnulli deputati (*La représentation proportionnelle*). Alii enim contendebant, sine illo systemate regimen quod vocant *repraesentativum* veritate carere, dum alii per idem infitias iri putabant jura veritatis, atque induci politicum scepticismum.

ARTICULUS II. **Formula et argumenta sententiae**

THESIS VI

Jus suffragii est facultas legalis atque onerosa designandi magistratus per quos, ex parte saltem, regatur respublica.

Quare, in ejus ordinatione, primario spectandum est ad bonum commune ; secundario ad aequalem juris distributionem.

---

[1] Ita D. M. Block, *Petit dictionnaire politique et social*. Paris, Perrin, 1896 v° *Électorat*. « *L'électorat peut être conçu comme étant, à un certain degré, une fonction.* » Pariter, in Parlamento Belgii, cum D. Beernaert *(Annales de la Chambre*, 1893, p. 812) dixisset : *Le droit de vote « est une fonction dont la société investit ceux qu'elle estime en état de la remplir ;* » D. Woeste (Ibid. p. 898) observavit munus istud ab aliis muneribus esse distinguendum : « *Autre chose est une fonction acceptée, autre chose est une fonction conférée : le droit de suffrage est une fonction conférée et non une fonction acceptée.* »

87. I. Status Quaestionis. 1. INTENTIO THESIS. Binas proponimus partes, quarum priore definimus tum naturam tum objectum juris suffragii: et *naturam* quidem, quum dicimus jus suffragii concedi ut privilegium onerosum et sic astipulamur tum communi placito theologorum tum eorum sententiae qui jus suffragii ascribunt ad genus munerum imperfectorum; *objectum* vero, quum subjungimus privilegium huc spectare ut designentur magistratus per quos regatur respublica. His enim verbis amputamus falsum intellectum, secundum quem jus suffragii esset modus quo populus gereret rempublicam per deputatos tanquam per stricte dictos mandatarios.

In altera parte jam, ad instar corollarii, regulas tradimus optimae constitutionis istius juris, simulque explicamus quas interdum partes justitia pro suis in hac re vindicare possit.

2. EXPONUNTUR VOCES.

Jus suffragii, popularis nempe, quo potissimum eliguntur deputati.

Est facultas. Per hanc vocem abjudicamus a jure isto rationem muneris proprie dicti. Facultas enim *directe* signat aliquod beneficium, honorem, emolumentum personae privilegiatae.

Legalis: quia ex lege manat iisque competit quos lex aestimat hac instruendos esse facultate, nedum sit jus de se singulis a natura conlatum.

Onerosa, quatenus parit obligationes.

Designandi magistratus per quos... regatur respublica. Per haec verba contendimus, eos qui eliguntur proprie praeesse reipublicae veraque ornari potestate, ut suo ipsorum nomine suoque arbitrio procurent rempublicam, nec mere accipere mandatum ad res ex eligentium arbitrio definiendas. Repudiamus ergo mandata quae dicuntur *imperativa.* Non tamen prohibentur electores, quin sibi assentientes quaerant deputatos vel etiam quasdam cautelas exigant. Unde videmus a candidatis praenunciari quae agere desti-

narent (*leur programme*) ; ac, suadente aequitate, se suo abdicare munere deputatos si qui, in re praecipua, ab electoribus dissentirent.

Ipsa designatio non semper est immediata. Non raro enim, saltem quod attinet ad senatores, populus designat tantum electores qui rursus eligunt senatores.

Magistratus, ii solent esse, ut jam monuimus, qui leges ferunt et *deputati* vel *senatores* vocantur. Sed si, ut in foederatis Americae septentrionalis statibus, ipsi judices, vel, quemadmodum in Anglia, distributores vectigalis quod pro sustentandis pauperibus exigitur, vel denique alii magistratus suffragio sint nominandi, plane iisdem, ut patet, principiis res fuerit definienda.

Ex parte saltem. Quod addimus, quia, ubi regimen est mixtum, sunt qui alio quam suffragii titulo in partem veniant publicae potestatis.

Quare, in ejus ordinatione, primario spectandum est ad bonum commune. Haec ergo debet esse directa et praecipua consideratio eorum qui de jure suffragii ferunt leges : qua ratione jus suffragii conferre possit ad optimam reipublicae administrationem, secundum illas qualitates quas constat requiri in administratoribus : voluntatem boni communis, prudentiam, efficaciam imperii, etc.

Nefas enim est ita ordinem statuere, ut praevaleat privata tua de republica sententia [1].

Secundario ad aequalem juris distributionem. Si ergo primas damus bono communi, non ideo nullam vel spernendam habemus rationem justitiae distributivae. Quantum ergo patitur bonum publicum, huc est nitendum, ut iis qui pari titulo jus istud possident eadem sit vis suffragii ;

---

[1] Hodie tamen nihil frequentius usu venit. Et, quod pejus est, dum verae religionis rationes negliguntur, tanquam inconcussa praedicantur vana cujusdam liberalismi dogmata ; et, sine scrupulo, jura et libertates constituuntur ita ut « *superiori* isti ideae » nullum possint detrimentum afferre. Hoc praesertim apparet in Gallia, circa leges « *intangibiles* » impiae reipublicae, idem in Italia, circa modum concipiendi politicam regni unitatem.

et ut aeque illud possideant qui aeque per illud bono publico auxiliari valent. Sic enim distributivae justitiae fiet satis.

II. Probatur thesis.

88. 1. PRIOR PARS, QUAE EST DE NATURA JURIS SUFFRAGII.

A. ***Jus suffragii est facultas legalis.***

1m Arg. Etenim, nisi est jus ingenitum civium [1], committitur a lege sive ut munus proprie dictum, sive ut facultas. **A.** Neutrum duorum priorum. **E.**

Majoris veritas, h. e. non esse optionem nisi trium, satis constat tum per se tum ex recitatis sententiis.

Prob. minor. a) *Jus* enim *ingenitum* : α) ab iis tantum defenditur qui societatem perfectam falso fingunt similem privatae societatis, ita ut ex voluntate et consensu sociorum iniretur et dissolveretur. Huc tunc spectat jus suffragii, ut copia sit unicuique missam faciendi suam autonomiam, vel assentiendi societatis formae et regimini.

Sed civilis societas, cum sit institutum naturale, ab ipsa natura hausit jus existendi aeque atque habendi hanc rei publicae temperationem quae expediat ad bonum commune. Ut haec inducantur minime opus est *singulorum* consensu; nec fas est alicui ea tantum lege civitati assentiri ut per jus suffragii particeps sit reipublicae.

β) Logice inferret suffragium universale mulierum et omnium qui rationis satis sunt compotes. Quod tamen valde paucis hucusque placet.

b) Ratio *muneris* proprie dicti etiam est excludenda.

Etenim : α) Munus proprie dictum gerendum est ex obligatione justitiae commutativae, quasi ex contractu. Contractus autem nititur mutuo consensu, ac potissimum consensu illius qui suscipit obligationes. Quare, desperatis tantum rebus, ut quum inclinabat imperium romanum, nonnulla munera publica coepta sunt injungi

[1] Ita D. Janson, in aula deputatorum Belgii, 1893, p. 921.

civibus. Suffragii autem lationem non ii tantum obtinent qui illam postulaverint vel non defugerint, sed quicumque legitimis ornentur dotibus. Munus ergo si foret, inducerétur fere omnium civium perpetua atque involuntaria muneri addictio.

β) Praeterea, si ad objectum respicias muneris proprie talis, objectum istud est quaedam *necessaria* procuratio reipublicae, sicut leges ferendi, jus dicendi, etc. Hic autem agitur de electione magistratuum : qui modus eos constituendi minime de se est civitati essentialis.

γ) Nostrae positioni consonant tum doctrina theologorum [1] tum sensus hominum communis : nemo est qui existimet se, ad suffragium ferendum, justitia quasi ex munere teneri. Imo valde paucae sunt regiones ubi cives aliqua lege adigantur ad se conferendum ad comitia [2].

2^m *Arg.* Est ipsa ratio qua celebrari et efferri solet jus suffragii, ut libertas politica, praerogativa liberi populi, etc. Haec enim satis produnt facultatem, minime autem munus proprie sumptum.

B. ***Est facultas onerosa.***

a) Ex illo enim jure, cives-electores aliquid possunt ut reipublicae praeficiantur optimi rectores: quae res, quantum intersit ad bonum commune societatis civilis, nemo non videt. Imo ad Ecclesiam ipsam ejusque pacem et incolumitatem maxime referre quinam politicae praesint societati, extra dubium est positum. Jam vero, qua cives Ecclesiae et Status, perpetua tenemur obligatione consulendi, pro posse, necessario bono communi. **E.** Qua cives sumus et christiani, nobis ex jure suffragii accrescunt obligationes.

b) Praeterea, si jure tuo uti volueris, jam, eligendo magistratus, negligi nequit jus strictum (commutativae justitiae) quod habet Societas, ut qui muneribus hono-

---

1 Cfr. v. gr Ill. Waffelaert, Génicot, ll. cc.

2 Videsis dicta a D. Woeste, in aula Deputatorum Belgii, *Annales parlementaires*, 10 mars 1893, p. 898.

rantur sint digni. Quare ex justitia commutativa non possis, *efficaci* [1] saltem suffragio, suffragari nisi candidato qui, sive absolute, sive relative existimetur dignus. Relative dignum vocamus eum cujus electio minora detrimenta allatura videtur bono communi [2] quam electio adversarii, ita ut, saltem ad arcendum pejorem, fas sit illi favere.

C. ***Est facultas designandi magistratus per quos, ex parte saltem, regatur respublica.***

Haec enim est obvia rei interpretatio. Eaedem leges quae populo deferunt suffragium, non populo sed deputatis (*collective* sumptis) tribuunt jus ferendi leges. Conclusio confirmatur ex eo quod, quando popularia fiunt comitia, ignorantur adhuc pleraeque res deliberandae. Nec unquam deputatus arguitur strictae injuriae erga electores, quia has potius quam illas leges seu decreta probasset. Praeterea, si deputatus foret proprie mandatarius, eorum solum qui eum elegissent teneret locum ; nec, praetergrediendo fines mandati, jam ageret deputatum. Nunc autem, in quantulacumque fuerit designatus regione, totius imperii bonum ipsi committitur [3], nullaque de observandis alicujus mandati finibus geritur sollicitudo. Ceterum, in hac re consentiunt doctores. Neque aliud vult S. Thomas, quum dicat, in mixto regimine hoc pertinere ad democratiam, ut populus eligeret principes [4]. Principes enim non sunt nisi qui vere imperant.

89. 2. PROBATUR ALTERA PARS DE REGULIS AD QUAS EXIGENDA EST ORDINATIO JURIS SUFFRAGII.

---

[1] Efficax dicimus suffragium quod probabile habet momentum ut hic potius quam ille eligatur.

[2] Consulto his utimur vocibus. Fieri enim potest ut electio personae in se pejoris (v. gr. socialistae) minus videatur damnosa quam personae ascriptae partibus magis temperatis liberalismi. Quia autem ex bono communi res est aestimanda, persona in se pejor dicenda est, hoc casu, minus indigna.

[3] Quare Constit. belgica haec habet, art. 32. « Les membres des deux chambres représentent la nation et non uniquement la province ou la subdivision de province qui les a nommés. »

[4] I. II, q. 105, art. 1, c. Cfr. supra, nº 43.

A. Quare, in ejus ordinatione, primario spectandum est ad bonum commune.

Facultas enim seu praerogativa cujus causa est *publica*, communis boni intuitu praecipue est ordinanda.

A. Hujusmodi est jus suffragii. Quum enim, in societate *aequali*, videmus facultatem quampiam aliis tribui civibus aliis negari, omnis justa ratio discriminis ex *publica* debet repeti causa.

Praeterea, objecto suo, jus suffragii versatur in designandis magistratibus. Sed, quum jus strictum sit societatis ut a dignis regatur, ita profecto ordinandum est privilegium ut conducat ad optimorum electionem. Sed sic rursus intuitu boni communis facienda est primaria juris ordinatio.

B. Secundario spectandum est ad aequalem juris distributionem.

Patet ex eo quod jus istud habet rationem boni, privilegii pertinentis ad communitatem. Cfr. thesim superiorem.

90. III. Difficultates.

Omissis difficultatibus quae cohaerent cum erroribus circa naturam societatis politicae (de quibus confer libros qui jus naturale tractant), una tantum videtur attingenda. Proficiscitur autem a lege quae, ut ab aliquot annis in Belgio est lata, cogit cives ut electionibus sese immisceant. Inde sic arguitur:

Tale est jus suffragii, quod interdum ex lege sit necessario exercendum. *A.* Hujusmodi jus nihil differt a muneris functione.

Respondetur tamen hoc interesse discriminis, quod obligatio illa mere ea est quam pariunt leges poenales, dum ad munus exercendum tenemur ex commutativa justitia.

Non majorem esse obligationem legis de suffragio emittendo suadent tum communis rei intellectus [1], tum ipsa ratio legis. Ratio enim est, tum ne nimis multi cum detrimento boni communis abstinerent electione, praesertim quum hac desidia infici consuescant cives qui magis pacis

[1] Cfr. Génicot, I, 359.

civilis sunt amatores ; tum ut qui humilioris sunt conditionis haberent praesidium quo declinare valerent artes praepotentium qui vellent eos sui juris exercitio prohibere. Jam vero ad hunc finem satis est sanctio poenae sustinendae.

Idem ex eo confirmatur, quod in legem non committit qui consulto dat suffragium nullius valoris.

ARTICULUS III. **Doctrinae supplementa**

1. ***COROLLARIA.***

91. De conscientiae obligatione. Obligatio conscientiae qua quis tenetur ad suffragandum non oritur formaliter *ex jure* suffragii, sed ex *generali* legalis justitiae obligatione qua quis tum patriae civili, tum Ecclesiae obstringitur [1].

Quare qui mere abest a comitiis nunquam violatae commutativae justitiae fit reus, etsi praeviderit injurias committendas ab electis.

In ferendo autem suffragio observandum est, *ex commutativa justitia*, jus quod habet societas ut a dignis magistratibus regatur. Ac pro indigno scribere tabellam est committere erga illam communitatem injuriam per se damnosam, quae, *pro efficacia et damno secuto,* ex principiis generalibus [2] gignet restitutionis obligationem. Causam autem esse efficacem hujusmodi electionis qua indignus digno praeferatur, est intrinsece malum.

Praeterea eidem suffragio inest ratio cooperationis ad omnes injurias quas, ex munere obtento, facturi praevidentur indigni magistratus contra jura sive Status, sive Ecclesiae, sive privatorum.

---

[1] Quandoque ratio religiosa jubet ut abstineas suffragio ferendo. Ita in Italia.

[2] Consulto haec addimus, ut moneamus prudenter huc transferendas esse regulas de culpa, de vero influxu in damnum ceterisque conditionibus quae requiruntur ut oriatur restituendi obligatio, deque causis excusantibus. Sat magna hic est casuum varietas. Hos autem dicendo persequi a scopo nostro est alienum. Adeundi sunt scriptores qui in practica disciplina occupantur.

Haec cooperatio potest esse *formalis*, ut si ad dandum suffragium movearis fine obtinendi decretum injuriosum. Secus erit *materialis*.

Agedum, ut genus materialis cooperationis pressius definiamus, in primis non potest haec existimari cooperatio *mandantis*. Per eam enim mere de se committitur munus bene gerendi rempublicam. Nec per se est est *consentientis* (accipiendo vocem prout usurpatur in tractatu morali de cooperatione), quandoquidem suffragium non est de aliqua *lege* ferenda sed de *persona* designanda. Sed est cooperatio *mediate participantis*, satis similis venditoris qui arma cedit alicui quem novit armis abusurum. Haec ergo cooperatio, ex proportionata causa, potest excusari. De hac cooperatione cfr. Ill. D. Waffelaert, *Nouvelle Revue Théologique*, T. XIV, p. 490.

92. Probantur quaedam dicta.

a) Merito S. Thomas, I. II, q. 105 art. 1, commendat quamdam participationem populi in republica, ut conservetur pax populi, totumque regimen magis fiat populo acceptum. Nec minus sapienter, in resp. ad 2, regimini pure monarchico objicit periculum tyrannidis.

b) Recte etiam de natura juris suffragii plures viri civiles Belgii dixerunt in aula deputatorum. Quaedam juvat hic recitare :

« L'élection législative n'est pas un mandat, c'est un choix... le choix de l'homme que l'on estime le plus capable de bien remplir les fonctions de législateur et au besoin celles de gouvernant... Cet homme n'est pas lié à l'électeur par un contrat qui le subordonne à celui-ci : l'électeur le désigne, mais c'est la loi qui le nomme et l'investit de la fonction souveraine dans l'intérêt de tous ses concitoyens quelle que soit leur opinion politique ou la région qu'ils habitent. » Ita D. de Smet de Naeyer, 4 maii 1892. *Annales*, p. 1148.

« L'objet de l'élection consiste à appeler aux affaires les plus capables, les plus accrédités, en vue de constituer le meilleur gouvernement possible. » Sic D. de Brocqueville, 12 septembris 1899, *Annales*, p. 2552.

« Le droit de vote ne s'exerce pas dans l'intérêt de l'électeur, mais dans celui de la société, qui peut, par cela même, en subordonner l'exercice aux conditions qu'elle juge opportunes.

Et ces conditions sont nécessairement variables et contingentes : elles dépendent des circonstances, elles dépendent des milieux, elles n'ont, elles ne peuvent avoir de caractère absolu.

Telle est bien la vraie notion du droit électoral. C'est une fonction, un devoir plutôt qu'un droit. » D. Beernaert, 28 febr. 1893, Annales p. 799.

Priora omnibus placebant catholicis. Postremum illud, de munere, cum videretur orator nimis urgere, bene correctus est a D. Woeste, loco supra citato, qui ostendit desiderari *acceptationem* ut de munere proprie dicto agi posset et haberetur quasi contractus.

93. Unde recte fiat judicium de aliqua juris suffragii ratione. Ex dictis haec sane constant. Ut quis certo judicio ponderet varias quae proponuntur ordinandi suffragii rationes, complura perpendere debet adjuncta; atque haec imprimis quibus fiat manifestum quaenam ordinatio majorem det spem bonae administrationis. Cautione autem adhibita bono communi, potior habenda est ea ordinatio quae inter cives aequalius distribuet auctoritatem illam politicam quae suffragio continetur.

Utrum autem id praestet systema illud quod nomine suo gallico appellabimus *représentation proportionnelle,* an constitutio aequalium regionum quibus singulis unus tribuatur deputatus *(système uninominal),* quaestio est quam pro scopo nostro praeterimus silentio.

Quid autem de iis qui contendunt sine *représentation proportionnelle* veritatem non consistere regiminis quo utimur *représentatif;* vel qui, ex adverso, impugnant eamdem ordinationem ut contrariam principiis catholicis de jure veritatis et vitiatam lue scepticismi politici [1] ?

Utrosque errare arbitramur.

Priores quidem quia, ut ostensum est, non huc spectat suffragii jus ut eo se gerant modo deputati quo se gereret universus populus vel saltem universitas electorum, si in comitiis leges ferrent. Insuper, si genuino regimini *repraesentativo* non repugnat plerosque cives omni destitui suffragio, — quod diu viguit in Belgio, — quomodo

[1] Haec in Parlamento Belgii objecit D. de Brocqueville, *Annales parlementaires* 1899, p. 2551.

repugnaret non omnes pari esse jure sed varia pollere auctoritate?

Dicet aliquis : « Oportet, ut *Parlamentum* imaginem exactam referat eligentium. »

Si illud *oportet* accipias de absoluta necessitate, simpliciter id negamus. Inprimis enim opus est ut *Parlamenti* constitutio et agendi ratio ad bonum commune conducant. Si vero secundariam tantum significes convenientiam, illam concedemus ; sed nobiscum jam fatendum tibi est, eam ad regiminis essentiam minime pertinere.

Ad posteriores quod attinet, profecto non ii sumus qui negemus esse veritates quasdam praecipuas quae in bene ordinata societate non deberent disputari. Atque etiam quando, ut in hodiernis societatibus, maximus numerus dissidentium non patitur ut verae religionis jura positive agnoscantur, minime tamen ambigimus retinendas esse, quantum fieri potest, eas certe veritates morales quibus innititur hominum convictus. Quare iis jure ac merito auferrentur suffragia qui vix non aperte moliuntur destructionem praesentis ordinis.

Haec, inquam, omnia libenter concedimus ; neque infitias ibimus fieri posse ut pro systemate *représentation proportionnelle* eo arguatur modo qui sapiat haeresim et scepticismum politicum.

Verum : a) haec non est necessaria ratio tuendi istud systema. Nam, si in comitiis designantur personae, nulla autem fit rerum definitio, *de se* huc non pertinent quaestiones de jure veritatis et de erroris usurpatione. Bene enim fieri potest atque interdum usu venit, ut partes adversae sint ambae catholicae ac patrocinentur dignis candidatis [1].

b) In regione ubi jam, nullo facto opinionum delectu,

[1] Ratio tamen suffragii quae recens obtinuit in Belgio, et quae *singulis* electoribus fere omnem ademit optionem personarum, id efficit ut quasi necessario de ipsis « *opinionibus,* » ut hodie dicunt, decertetur.

socialistis non minus quam catholicis competit jus suffragii quo possint omnino praevalere in republica, facilius fortasse quam alibi, de omni scepticismi specie purgatur haec ratio ordinandi comitia.

Ibi enim ad meram distributionem legalium jurium jam concessorum omnia revocantur; et quaestio his finibus circumscribitur : quid, pro adjunctis, magis videatur expedire [1].

II. *SCHOLIA.*

94. De suffragio universali. Qualiter de eo sentiendum sit breviter dicere velimus.

1. *Rationabiliter* commendari potest universale suffragium, si de iis rebus ferendum est suffragium de quibus, pro cultu ad quem est in societate perventum, cives universi mature judicare queant ; vel saltem si rudiores in republica parati existimentur astipulari peritioribus qui fide sint digni. Haec si habeantur, suis non caret commodis istud systema, cum pollere quadam auctoritate gratum sit populo, magisque hoc regimine cogantur ii qui imperant bono populi consulere ejusque honestis votis obsecundare.

Eidem systemati potissimum objiciuntur ambo haec :

a) Quod in comitiis fere solius numeri ratio habetur, neglecta consideratione utilitatum specialium quibus varii cives intendunt. Ita arguunt non pauci qui propugnant id quod gallice dicitur *la représentation des intérêts*. Cfr. Cathrein, *Philosophia moralis*, n. 624.

b) Quod a parte majore facile minor opprimitur etiam quum haec numero vix alteri cedit.

Ut temperamenta horum vitiorum laudantur :

a) Suffragium *plurale*, quo iis qui praestare videntur scientia vel probitate plura tribuuntur suffragia. Objiciunt tamen alii majorem hanc vim, quae primoribus tribuenda dicitur, jam ipsis competere ob auctoritatem quam connaturaliter in electores habent ii qui divitiis, doctrina,

[1] Ita fere D. Vanden Heuvel. *Annales parlementaires de Belgique*, 1899, p. 2666.

virtute eminent. Verum enimvero, non raro eos potius praepollere qui audacia sint priores et certis artibus noverint plebis captare gratiam, non videtur negari posse.

b) Jus minori parti concessum designandi nonnullos deputatos. Respondent vero hujus systematis adversarii per illas concessiones factas minoribus partibus, enervari reipublicae regimen atque illo destitui robore quo opus est ad procurandum bonum commune.

His controversiis abstinemus. Negari tamen nequit naturae, quae homines fecit varii ingenii atque loci, magis congruere ut qui praevalet peritia, vel cujus magis, ob fortunas suas, interest bene rempublicam administrari, etiam vi suffragiorum sit potior. Maxime autem retinenda est praerogativa qua patrifamilias bina vel terna tribuuntur suffragia.

Etenim, non tantum per se studio boni communis videntur patres familias junioribus vel iis qui coelibem vitam agunt longe praeferendi, sed, etiam si mere in aequalitatem tendas, suffragium patris familias, ut virtuale familiae, id est plurium personarum, suffragium, plus valere debet quam suffragium hominis singularis.

95. *Quaeres,* **cur, ubi venitur ad suffragia, id obtinere solitum sit quod majori placuerit parti ?**

Duplex assignari potest causa : 1. Quia, quum non constet quisnam ingenio et consilio sit prior, et omnes quibus est suffragii latio censeantur periti, *praesumitur* melius et verius esse id quod plures censuerint praeferendum.

2. Quia, ubi perfecta consensio haberi nequit, major pars ad hanc consensionem propius quam minor accedit; ita ut, *quoad ejus fieri potest,* hoc modo res ex omnium geratur sententia [1].

96. *Quaeres,* **cur populus, dum eligit magistratus, existimandus sit, magis quam alii collatores, veluti rem suam dispensare.**

[1] Videsis, quomodo eamdem solvere conetur quaestionem D. A. Fouillée, *La philosophie du suffrage universel.* Revue des deux mondes, t. 65, p. 111-113.

Hanc enim supra, n. 74, dedimus rationem propter quam populus in committendis muneribus non teneatur obligatione distributivae justitiae.

R. Quia, in regimine democratico, universus populus existimatur aliquo modo primum subjectum cui inest potestas publica. Haec dein ceteris tribuitur exercenda ex populi consensu et veluti nomine populi, cum is non possit per se rempublicam procurare [1].

Vel, si malueris, fit quaedam prima distributio qua omnes honores electivi tribuuntur populo eo quem bonum commune patitur modo. Modus is est ut exerceantur per personas quae populo sint acceptae, dummodo sint dignae.

CAPUT II

DE JUSTITIA OBSERVANDA IN EXIGENDIS TRIBUTIS

S. **Thomas,** *De Regimine Judaeorum;* **Molina,** t. 2, d. 661, 662, 666, 669, 674; **Suarez,** *De legibus,* l. 5, c. 13-18; **Lessius,** d. 33; **J. de Lugo,** d. 36; **Cathrein,** *Moralphilosophie* II, l. 2, c. 5, art. 3, § 3; **Cauwès,** *Cours d'Économie politique,* t. 4, l. 2, s. 3; **Wagner,** *Finanzwissenschaft;* **R. Stourm,** *Système général des impôts;* **P. Leroy-Beaulieu,** *Traité de la science des finances;* **L. Cossa,** *Scienza delle finanze;* **Conrad,** *Handwörterbuch der Sozialwissenschaften,* V. *Einkommen, Einkommensteuer, Erbschaftsteuer, Finanzen,* etc.

ARTICULUS I. **Notiones praecipiendae**

97. Quid proprie tributum. Quo variis sufficeret functionibus, sibi ex sua provincia competentibus, socialis

---

[1] Hac ratione dicitur in nostra lege fundamentali (art. 25). « *Tous les pouvoirs émanent de la nation.* » Quibus verbis significatur quid factum sit apud nos, seu quomodo apud nos constitutum sit regimen politicum, minime autem quid necessario sit faciendum. Insuper eadem ratio boni communis quae postulat ut a paucis regatur societas, postulat etiam ut, intra fines traditae potestatis, populi arbitrio minime obnoxiam possideant auctoritatem. Non potest ergo populus ad se revocare potestatem quam concessit regi ejusque legitimis successoribus, sed tenetur formali vel virtuali pactione quae plenam obtinet firmitatem.

auctoritas opus habet non paucis facultatibus, quas, secundum divisionem jam inductam ab Adamo Smith, qui oeconomicae scientiae veluti pater habetur, percipit vel ex *propriis bonis* seu *industria,* vel ex *civium fortunis.*

Propria bona sunt variae rationis; ut agri, sylvae, fodinae, monopolia quae socialis auctoritas per se aut per alios exercet; et dicuntur quandoque Status (si de ipso agitur) *dominium fiscale* (*domaine fiscal*), ut distinguatur a *dominio publico,* quod illa bona complectitur quae, in nullius privati possessione, publicis et non quaestuosis destinantur usibus : ita plateae, viae publicae, horti publici.

Diu, in pluribus certe regionibus, potuit politica auctoritas ex fiscalis dominii reditibus publicas liberare impensas. Quare in Gallia vectigalia *perpetua* una cum perpetui exercitus (*armée permanente*) delectu, i. e. a° 1444, coepta sunt exigi; et in Anglia eadem ignorata fuere ante exiens saeculum 17^{um}. Hodie, in principatu Monacensi exemplum adhuc habemus immunitatis satis perfectae, cum redemptores ludorum fere omnibus sufficere debeant impensis. Verum haec est singularis exceptio; et communis regula jam habet, ut per exactiones confletur longe maxima pars aeris publici [1].

Ex civium autem fortunis Status exigit contributiones quae duplicis sunt rationis. Aliae solvuntur ab iis in quorum utilitatem immediate cedit quaedam auctoritatis publicae actio aut opera, ut compensent suaipsorum gratia factas impensas. Hujus rationis est pecunia danda a transeuntibus pontes, navigantibus per fluvios canales, etc., quamdiu non superat ea quae publicum debuit erogare aerarium. Contributiones istae dicuntur gallice : *taxes* et *péages.*

Aliae sine hujusmodi immediate capta utilitate imponuntur civibus : sunt proprie *tributa.*

Materialiter ergo describere possumus tributa seu vecti-

---

[1] Id minime improbant *oeconomistae.* Imo potius censent, si pauca quaedam excipias capita, ut monetarum cusionem, in quibus intercedit causa publica monopolii, ad generalem conferre prosperitatem ut Status alienet ista bona. Cfr. L. Cossa, op. cit. s. 3, p. 1, c. 3.

galia : *Res pretio aestimabiles, seu,* nam in nostris regionibus haec est jam fere unica earum ratio, *pecuniae quas cives praestare seu solvere ex lege debent, sine relatione immediata ad ipsorum privatam utilitatem, sed ut publicis sumptibus fiat satis.*

Quibusdam reditibus quos Status percipit duplex vel etiam triplex ratio inesse potest. Consideremus, e. c., administrationem justitiae. Res est quae ad commune bonum interest, et quae simul tamen, ubi civilis lis agatur, in quorumdam specialem cedit utilitatem. Quare opportune impensae praestantur, parte ab iis qui litis fuere causa, parte ab universa communitate. Et re quidem vera, pecuniae a litigantibus solvendae non adaequant ea quae ad judices constituendos aerarium impendere debet.

Similiter, quum Status regit vias ferreas, literarumque etc. vectiones (*les postes*), videri potest exercere fructuosam industriam, vel publicae utilitati consulere per munus quod tamen nonnullis peculiariter prodest. Quocirca, si ab iis qui v. gr. vehuntur viis ferreis, vix solvitur quod respondeat impensis, pecunia ista potius pro *taxe* est habenda. Si vero ex administratione ista Status facit lucrum, eadem pecunia existimari potest vel pretium proprie dictum, sicut privatae cuipiam societati foret tribuendum, vel tributum. Eritque certo tributum, si publica taxatio superet pretium quod privatus petere posset. Hoc modo, in Gallia, exercet fiscus *tabaci* monopolium (*régie du tabac*).

98. Variae notiones minus praecipuae quae huc pertinent.

Tributorum distinguitur *basis* (*la base*), *status* (*l'assiette*), *partitio* (repartition), « *incidentia* » (*incidence*) quam plures dividunt in *directam* et *indirectam*. Posteriorem hanc, post de Parieu, vocant *repercussum* (*répercussion, réflexion*) tributi.

Quamvis non eodem ab omnibus modo vocabula ista intelligantur, eorum tamen propria vis ita videtur praecise indicari posse :

Basis est res omnis (lato sensu) cui tributum imponitur: v. gr. famuli, mobilia, sal [1].

Huic satis affinis est ratio *status*. Status tributi enim designat vel ipsum modum quo res tributo afficitur seu ipsam tributi collocationem in aliqua basi; vel etiam, objective, ipsam facultatem (*la ressource*) cui directe imponitur vectigal. Itaque, si vectigales reditus, qui prius ex *praesumptionibus* aestimabantur, jam definiantur per *directam* inquisitionem, mutatur status tributi, secundum priorem vocis significationem, Secundum alteram vero, tributo cujus basis sunt potulenta (*les boissons*) pro *statu* erunt partim

[1] *Impôts sur les domestiques, le mobilier, le sel.*

eorum compositio (*la fabrication*), partim eorum venditio. Haec enim gignunt opes. Similiter lucrum futurum (*le bénéfice commercial*) est status tributi quod ab exercente artem vel commercium exigitur (*patente*).

Partitio est ratio qua singulorum onus definitur.

Incidentia tributi est, secundum communiorem sententiam, ejus casus in personam quam onerat. Cum tamen non raro is a quo petitur tributum non idem sit qui subit onus, sunt qui *directam* vocant *incidentiam* in personam quae immediate solvit vectigal, v. gr. in mercatorem qui defungitur pro licentia exercendi negociationem (*qui acquitte les droits de patente*); dum *indirecta* [1] esset in illum qui, etsi nihil fisco tribuit, reapse tamen onere afficitur. In allato exemplo erit emptor mercis, si in justo pretio computatur rata pars solvendi supradicti vectigalis. Alii priorem incidentiam dicunt *legalem*, posteriorem *realem* (*effective*),

De incidentiis prodiere sententiae nimis absolutae scriptorum qui contendebant suam cuique tributo veram assignare *incidentiam*, dum nunc satis convenit rem esse valde intricatam et obscuram [2]. In genere dici potest onus ab illo ferri cui contraria est lex *oblati et rogati (loi d'offre et de demande)* seu penes quem minus est arbitrium pretii, quia majore necessitate premitur contractum perficiendi. Ita, si ad aes alienum solvendum cogaris vendere domum, tributi hac occasione solvendi tibi erit onus sustinendum potius quam emptori. Is enim, etiam si lege civili teneatur quibusdam impensis, has de summa deducet quam ut pretium solvere constituit. Contra, is qui res conficit *(le fabricant)* non raro in emptores vectigal conferre valet.

N. B. Repercussus non fit statim, sed intervallo est opus. Aliunde, ob varios qui fiunt repercussus, modo sat multiplex fuerit ratio tributi, existimant *oeconomistae*, quasi ultro res ita componi ut omnes aequa proportione vectigalia pensitent. Inde regula illa, cui consentiunt, sed alia de causa theologi [3], tributorum rationem non sine periculo mutari ; et quo antiquiora essent eo justiora esse tributa. Malim dicere *per se ;* nam neque nimis absolute hoc sumi potest. Cfr. Cauwès n. 1240.

---

[1] Doctrina de incidentiis indirectis non latuit Molina d. 667, n. 7 et 669, n. 2, nec J. de Lugo. Cfr. d. 36, n. 25.

[2] « Son incidence réelle dépasse les limites visibles de son assiette, et se répartit de mille manières, sans qu'il soit possible de suivre exactement ses mouvements. » Stourm, op. cit. Préface. « La ripercussione, senza dubbio intricatissima, è erroneamente apprezzata da molti teorici. » L. Cossa, op. cit. sez. 3, p. 2, c. 5.

[3] Antiqua enim vectigalia videntur theologis praesumptione justitiae ornata. Cfr. S. Alph. l. 4, n. 617. Idque fortasse sumpsere ex c. *Pervenit* 5, *De Censibus* (III, 19) ubi tamen antiquitas mere fundat praesumptionem legitimae causae, quae secus ab exactore foret probanda.

99. Tributorum divisiones.

a) Pro *praestatione* quae exigitur, distinguitur tributum quod per se aliqua opera personae exhibendum est [1] et illud quod ex bonis est solvendum [2]. Plerumque hodie tribuenda est pecunia. Prius genus dici possit personale, alterum reale; sed cfr. infra, alteram harum vocum acceptionem quae hodie est usitatior.

b) Pro *basi et statu*, distinguunt α) Tributum *directum* et *indirectum* [3]. Harum dictionum trademus notionem quae placet juristis; discrepant enim *oeconomistae*. Porro, ex legibus nostris, directum est tributum quod post singula intervalla a persona nominatim designata exigitur [4]; dum indirectum est quodlibet aliud tributum [5]. Cfr. Cauwès, 1229.

β) Tributum *personale*, et tributum *reale*. Personale attingit personam, vel quatenus civis est: ita aequalis seu simplex exactio capitum (*capitation simple*), vel quatenus certam vim habet facultatum [6]. *Reale*, contra, directe attingit possessionem aut industriam determinatam, quatenus, sine respectu facultatum, a quolibet rei possessore, mercatore, etc., est solvendum. Imponi potest possessionibus, et effectionibus rerum [7]; earum motui seu permutationibus (*sur la circulation*) [8]; earum absumptioni (*consommation*). Cfr. H. Denis, *L'impôt*, p. 71-76, D. Cauwès, 1229.

γ) Tributum dicitur *sumptuarium*, quod imponitur rebus ad luxum pertinentibus: cujus finis etiam esse potest coërcendi nimiam luxuriem. Huc revocantur tributa in alcoholum et noxios potus.

---

[1] *Prestations personnelles*, cujusmodi erant olim *les corvées* et nunc adhuc obligatio militandi, hospitandi milites, etc.

[2] *Prestations réelles*.

[3] Cfr. Cauwès, n. 1229. De origine scientifica distinctionis, cfr. H. Denis, *L'impôt*, p. 146.

[4] Ex. gr. *l'impôt foncier, l'impôt sur la valeur locative, la patente*.

[5] Ex. gr. *droits de succession*, et potissimum *droits de fabrication, de douane ou droits sur la consommation*.

[6] *L'impôt sur l'ensemble des revenus*.

[7] *L'impôt foncier, l'impôt sur le capital, sur les bénéfices industriels*.

[8] *Droits de transport, de douane, de mutation*.

c) Pro eorum *partitione*, est tributum cujus directe definitur summa fisco obtinenda, ad quam dein exigitur singulorum rata pars (*impôt de répartition*) ; et tributum de quo directe statuitur quam quisque bonorum suorum partem solvere debeat, ita ut variare possit summa collecta. Quae perfectior et hodie fere universalis ratio tributorum dicitur gallice : *impôt de quotité*.

d) Denique, *pro modo quo definitur quid sit solvendum*, aliorum tributorum fit aestimatio *directa*, sive ex declaratione subditi sive ex judicio officialium, sive utroque simul modo ; aliorum contra aestimatio fit *indirecte* ex indiciis seu *praesumptionibus*. Prioris rationis exemplum offert, in Belgio, tributum in fundos ; alterius, tributum personale. Cfr. hic infra **102**, a et b.

100. Tributorum quantitas.

Consentiunt in hanc regulam, tributum, excepta necessitate superioris ordinis, quantitate haerere debere infra summam redituum, ne secus paulatim ad inopiam redigeretur societas.

Quare, etsi multae sunt bases, reditus dicuntur unica *materia capax tributi* [1], et, pro parte proventuum quae tributis solvendis absumitur, haec dicuntur gravia vel levia.

Ne tamen inde putes oportere ut solis reditibus directe imponatur tributum. Imo viget tributum quod dicitur *in vivum* (*capital*), ob modum taxationis quo consideratur *vivum* potius quam reditus.

Sine tamen communi detrimento, detrahi aliquid potest *de vivo* cujuspiam haereditatis, inter *collaterales* consanguineos erciscundae : cum haec bona tunc accrescant plane distinctis patrimoniis. (Haeredes linea recta potius idem conservant patrimonium atque auctores a quibus accipiunt bona).

Gravitas autem tributorum non est aestimanda ex sola quantitate absolute sumpta, sed considerandae sunt vires societatis et utilitates quae per tributa procurantur. Ita, v. gr., quamvis Galliae tributa sexies hodie superent ea quae a° 1789 exigebantur, concedunt, cives non magis

[1] *La seule matière imposable c'est le revenu.*

nunc quam ante saeculum onerari. Cfr. Denis, op. cit. p. 39; Cauwès, n. 1226.

Ex *Leroy-Beaulieu* [1], *leve* est tributorum onus, quod non superet vicesimam (5 aut 6 %) redituum perceptorum; *temperatum* est istud quo exiguntur circiter 8 p. c.; *grave* est quod decimam redituum partem exhaurit; *immodicum,* quando excedit 14 p. c.

Quocirca tributorum onus putatur in Belgio leve [2] (5-6 p. c.); moderatum in Anglia (8 $\frac{1}{2}$); grave in Gallia (11 $\frac{1}{2}$-12); fere immodicum in Italia (14 p. c.).

101. Tributorum varia systemata.

a) De exigendis tributis traduntur quaedam *regulae* quae repetuntur ex moribus, bona reipublicae procuratione, utilitate oeconomica.

Regulae *morales* huc redeunt, ut a legitima auctoritate, ex intuitu boni communis imponantur et aequo modo inter cives partiantur; dein ut non faveant vitiis nec fraudibus. Si per certas vectigalium rationes aliquo modo vitia inhiberi possunt, haec utilitas non est negligenda. Non constat tamen tributa ad hunc finem multum valere.

Regulae *politicae* postulant tributa : a) quae sufficiant impensis horumque varietati commode aptentur; b) quorum exactio sit facilis nec civibus odiosa.

Regulae *oeconomicae* requirunt ut tributa : quam minime noceant temporali societatis prosperitati.

b) Agedum, tributorum systemata variant :

α) *Ex numero basium :* alii enim commendant tributa unius rationis quae directe afficerent proventus [3]; dum alii praeferunt varias species exactionum. Hi arguunt

---

[1] Op. cit. L. II, c 1. Fac advertas in hac computatione reditus sumi secundum eorum vim absolutam (*revenu brut*) non autem detractis necessariis impendiis (*revenu net*).

[2] D. Denis existimat tamen tributa esse in Belgio relative graviora quam aº 1831.

[3] *Impôt général sur le revenu.* Servarentur tamen tributa latius dicta (*les taxes*) et si quae forte ex altiore ratione tuendi mores, protegendi industrias evaderent necessaria: ut tributa quaedam sumptuaria, nonnulla portoria.

potissimum ex regulis politicis, dum priores celebrant simplicitatem et majorem justitiam qua, in systemate unico, distribuitur civibus onerum summa. Verum aestimatio redituum res est valde ardua, quae complurium errorum praebet ansam. Quare satis ficta videtur celebrata illa simplicitas ; et de majore justitia dubitari licet.

Hoc certum est: hodie nimia sunt ubique tributa quam ut unica possit esse eorum ratio, sed omnino necesse est exactionibus variis et potissimum indirectis eorum obtegere gravitatem. Cfr. Scholion n. 116.

β) *Ex partibus quae tribuuntur tributis directis et indirectis.* Tributa directa praestant simplicitate, certitudine, minore sumptu quo exigi possunt, ac praeterea in eis minus arbitraria est ratio distributionis; indirecta tamen sunt magis quaestuosa leviusque feruntur.

Suadenda ergo videtur utriusque speciei apta compositio.

γ) *Ex formali ratione distributionis.*

Haec enim mutatur, prout tributorum *realium* vel *personalium* major est copia; et prout solvenda rata pars statuitur singulis eadem vel major ditioribus (*système proportionnel et progressif*).

102. Vigentis systematis praecipuae notae.

Ubique magna varietate et satis empirica ratione constituuntur tributa, alia directa, indirecta alia, alia realia, personalia alia. Atque hucusque vectigalia personalia civibus plerumque imperantur aequabiliter pro portione redituum ; in quibusdam tamen regionibus jam aliquo modo pro cujusque censu crescunt solvendae ratae partes.

Verum quomodo non pars tantum sed ipsa summa vectigalium quae ab unoquoque exiguntur ad inaequales proventuum vires referatur, adhuc plane est in incerto. Ipsa tributorum multitudo obstat huic computationi.

In Belgio, exempli causa, exiguntur :

a) Tributum *in fundos* (*contribution foncière*), quod ex aestima-

tione *cadastrali* [1] ob possessa agros vel domus a domino est solvendum.

b) Tributum quod dicitur *personale* (*contribution personnelle et mobilière*). Sedet in valore locationis domus (*valeur locative*), in januis et fenestris (*portes et fenêtres*), in valore rerum mobilium (*le mobilier*), in focis (*foyers*), *in famulis et equis:* quatenus haec omnia praesumuntur esse signa redituum. Reditus enim sunt verus *status* hujus tributi.

c) Tributum quod dicitur *la patente,* et ab exercente certas artes vel industrias est solvendum.

Hactenus de tributis *directis*. *Indirecta* autem sunt:

d) Tributa *in confectionem, in motum* (*circulation*) et *absumptionem rerum confectarum* (*les produits*). Dicuntur *droits d'accise* vectigalia quibus gravatur absumptio (*la consommation*). Motus gravatur per portoria (*droits de douane*). Inde, generalius, vocabula *droits de douane et d'accise* designant haec tributa indirecta.

e) Tributa *in haereditates*. (*Droits de succession.*)

f) Tributum quod nomen habet a *publico sigillo* quo charta certis usibus destinata est imprimenda (*droits de timbre d'affichage*).

g) Tributa quae persolvuntur in rerum *venditionibus* et *permutationibus*. (*Droits de mutation.*)

h) Tributum quibusdam *monopoliis* contentum (*régie, monopole*). Tributum enim est, quatenus privat cives facultate (pretio aestimabili) exercendi certa artificia, et quatenus non raro plus solvendum est quam pretium commune. In Belgio habemus *la régie des postes et des poudres*. Alibi, v. gr. in Gallia, fisco etiam reservantur *le tabac et les allumettes*.

Quantum autem momento suo indirecta tributa praestent directis, satis apparebit, si reputes fiscum, per annum 1899, percepisse ex tributis directis 50.795.325 fr.; ex indirectis 411.200.252.

In non paucis jam aliis regionibus, una cum similibus Belgii exactionibus, viget vectigal generale in reditus, in quo plerumque observatur quaedam ratio crescentis progressionis, praeter immunitatem concessam modicis fortunis. Ita in Anglia (*Income Tax*), in Austria, in Borussia (*Einkommensteuer*), in Helvetia, in Italia, etc. Subsunt tamen ista vectigalia variae interpretationi, ita ut qui repugnent formae *progressivae* [2] in his fere nihil sibi contrarium esse contendant [3]. Ceterum, si Italiam excipias, ubi exiguntur 12 vel 13 p. c., intra fines valde mites se continet haec ratio tributi, ita ut a nemine plus quam 4 vel 5 p. c. sit solvendum.

---

[1] Gallice *le cadastre* designat catalogum omnium dominiorum (*de toutes les propriétés foncières*).

[2] Brevitatis causa, deinceps, in designandis hodiernis systematibus, utemur appellationibus modernis systematis *proportionalis, progressivi,* etc.

[3] Cfr. Cauwès, n. 1267 c.

Consideranti variarum regionum vigentes leges, fit perspicuum in plerisque, ut in Belgio, ab aequalitate longe distare rationem qua onera dividuntur inter bona mobilia et immobilia. Bonis enim immobilibus imponitur speciale tributum, dum ob possessionem nominum *(actionum, obligationum)* quibus quis partem habet in societatibus mercatoriis, etc. nihil est solvendum. Merito complures illud deplorant et conqueruntur; nisi quod, ob difficultatem aestimandi quantum quisque habeat pecuniarum vel titulorum, emendatio istius vitii non leve facessit negotium.

ARTICULUS II. Introitus controversiae

103. Res tractandae. In vectigalium quaestione, quae multis adhuc dubitationibus et controversiis est implicata, ad rationem *justitiae*, quae nostra est, animum intendimus; omittimus autem aut in scholia rejicimus ea quae magis pertinent ad scientias politicas et oeconomicas. Duplex porro punctum examinamus: 1. *Quo titulo debeatur tributum, et cujus naturae sit illud onus.* 2. *Quae sit justa ratio ejus distributionis.*

Denique, in subjectis quaestiunculis, agemus in specie *de obligatione suscipiendi militiam,* accuratiusque perpendemus quamnam *conscientiae obligationem* pariant hodiernae tributorum leges.

104. Variae sententiae.

1. Circa *priorem quaestionem,* non ambigebant *scholastici* doctores. Uno ore tradunt, tributum intelligi illud quod subditi, seu membra reipublicae, ad communem utilitatem et publicas necessitates contribuunt [1].

Contra, apud *recentiores* istos qui plane rudes sunt in principiis scholasticis nec a theologis regulas mutuantur mira est varietas opinionum.

Si de *natura* debiti quaeras, nonnulli, qui liberali oeconomiae favent, contendunt esse *onus reale*, quod proinde *immediate* afficeret bona, ita ut cives obligarentur *formaliter* qua

---

[1] Cfr. de Lugo, d. 36, n. 1.

possessores certae quantitatis bonorum [1]. Praevalet tamen sententia secundum quam est obligatio *personae*.

Si *ad finem* ad quem ordinandum est attendas, a *socialistis-politicis (socialistes d'État)* systema vectigalium inter media reponitur quibus persequuntur majorem fortunarum aequalitatem. *Hegelianis* contra, qui Statum concipiunt ut ens quoddam abstractum propter se ultimo existens, *Selbstzweck* (quibus partibus aliquo modo favent multi oeconomistae Germani, ut Wagner), tributa sunt pars cultus qui isti debetur divinitati, ejusque bonum pro fine habent.

Alii denique, magis solliciti *de titulo* quo tributum exigitur, fontem obligationis indicant esse *contractum*. Ipsis enim tributum est vel pretium quo emuntur a civibus variae utilitates quas ipsis procurat Status, ita ut haberetur hic mera *officiorum commutatio (échange de services)*: sic Bastiat; vel *pretium assecurationis,* pro juridica tutela bonorum. Quod Thiers visus est tueri, post Mirabeau.

Non desunt tamen inter eos, qui formula magis obscura ad nos accedunt. Ita Cauwès, 1218.

2. Ad *alteram quod attinet quaestionem,* DD. *scholastici* hoc utuntur principio, solvendum esse *pro viribus*, rem autem pressius non definiunt. Cfr. Molinam d. 668 n. 1, Lessium, c. 33 n. 6, J. de Lugo, d. 36 n. 23.

Maxima inter *recentiores* suborta est controversia de ratione seu forma justae distributionis.

Duo autem imprimis observanda sunt :

a) Hoc loco, de ea agitur forma quae integram summam tributorum figuret et non mere aliquam eorum partem. Quod enim nonnulla tributa constituantur formae progressivae, id etiam iis placere potest qui *proportionalis-*

---

[1] Hanc theoriam, quae placere debet iis qui propugnant systema proportionale, ita praecise professus est Ginouilhac : « L'impôt n'est pas une charge, mais une part des produits accordés à l'Etat en vertu de sa coopération. » Pro hac sententia adducuntur apud Cauwès (n. 1219) Ménier, V. de Broglie, Yves Guyot.

tarum complectuntur causam, si velint hoc modo compensari inaequalitatem quo plebeii homines a non paucis putantur magis quam alii indirectis gravari tributis.

b) Praeterea, ipsa quae praeferenda videtur forma induci potest medio directo tributi quod unice proventus afficeret, vel mediis indirectis, apte ad istam formam temperando tributorum varietatem.

Agedum, ut nunc varia et diversa digeramus placita, fuere qui hanc regulam statuerent : *tanto plus cuique solvendum esse quanto majorem partem in bonis communibus haberet ;* quae regula prorsus est reprobanda : quippe quae et aestimationem requirat nimiis difficultatibus obnoxiam et id fortasse effectura videatur ut pauperum majora onera sint quam divitum [1].

Sed, dum id ultro fatentur, non pauci alii simul existimant *praesumi* posse partes quas quisque habeat in bonis communibus quantitati divitiarum privatarum aequabiliter respondere. Quare, inde ab Adamo Smith, altera ratio increbuit inter eos quotquot sunt *scholae liberalis asseclae:* qui docent *tributum ita cujusque opibus esse mensurandum, ut ab unoquoque eadem pars redituum exigatur.* Nec tamen vetant, quominus qui vera egestate premuntur ex *pietate* quadam ab omni onere levarentur, vel quominus *praemii* nomine minus exigeretur a fructibus proprii laboris : dummodo ne multa bona sic a communi lege eximerentur [2]. Id systema, cui gallicum nomen factum est l'*impôt proportionnel (tributum proportionale)* ab illis defenditur quasi solum certa ac definita ratione nitatur solumque arceat periculum iniquae vel casu et temere factae exactionis. Ei etiam adhaerent D. Cauwès, pluresque catholici, ut D. Périn.

Socialistae, contra, uno ore clamant *tanto majores redi-*

---

[1] Cfr. Cauwès, n. 1220 in fine.

[2] His notis systema quod gallice vocatur *dégressif* distinguitur a systemate quod appellatur *progressif* (Leroy-Beaulieu, p. 180).

tuum partes esse a singulis exigendas, quanto majores sint redituum summae, ita ut hoc modo ad aequalitatem redigerentur civium facultates. Ipsi etiam unius vectigalis collocandi in reditibus [1] sunt acerrimi fautores.

Longe alia moti ratione, non pauci e *catholicis* scriptoribus, qui liberalium placita respuunt, aequius putant onera distribui, si, *ut quisque ditior est, ita pars modice major proventuum ab eo exigatur.* Exemplo sint Taparelli [2], Liberatore, R. P. Cathrein [3], e S. J.

Similis ratio probatur plerisque scriptoribus Germaniae, ut DD. Wagner, Schaeffle, qui contendunt hoc esse conandum, ut onera aequabiliter ab omnibus *sentiantur* [4].

Systema istud, quod gallico nomine appellatur *impôt progressif* (*tributum progressivum*), jamdudum in Gallia nactum est classicos patronos, J. B. Say [5], Courcelle-Seneuil.

Ex iis autem qui nolunt partes tributorum partibus proventuum aequabiliter respondere bene multi non magis aperiunt suam sententiam. Quare haec a non paucis, ab adversariis praesertim, ita declaratur, quasi ipsa ratio incrementi debeat esse *constans* et *perpetua.* Proinde exigerentur, e. c., 3 p. c. ex annuo reditu quinque millium fr., 4 ex decem millium, 5 ex 15 millium, et sic porro, ita ut post certas progressiones tota redituum vis consequenter absumenda foret.

Verum, non ita pridem, coepta est proponi alia ratio progressionis, quae nunquam superare possit temperatam vectigalis taxationem. Alia ab aliis forma proponitur.

Sunt qui paucas numero classes redituum definiant, quorum onera gradatim quidem augescunt, at, intra clas-

---

1 *Impôt général, unique et progressif sur le revenu.*

2 *Saggio teoretico* n. 1178$_3$, in nota.

3 *Moralphilosophie,* II, 566.

4 *Il faut baser l'impôt sur l'égalite des sacrifices.*

5 « Je ne craindrai pas de prononcer que l'impôt progressif est le seul équitable. » *Traité d'économie politique.* Cfr. et alios citatos a Cauwès, n. 1221.

sem, eadem sunt : sive plus copiarum habeas sive minus. Ejusdem ergo classis reditibus exactio fit aequabilis *(proportionnelle)*, nulli autem, ne supremae quidem classi, onus fit nimis grave [1].

Ipsos denique reditus distinguunt sive ex *origine* sive ex *functione* seu destinatione connaturali.

Ex *origine,* quatenus minore vectigali onerarentur reditus laboris proprii quam bonorum haereditate acquisitorum, reditus momentosi (temporales) quam stabiles, etc. Cfr. H. Denis, *L'impôt,* p. 100, 122, 128, 129.

Ex *functione,* quatenus redituum prima pars, unde victus comparandus est (*Existenzminimum*), ex toto vel ex magna parte statueretur omnibus civibus esse immunis ; altera deinde pars, quae impensis fere necessariis destinata putatur, minus onus sustineret quam tertia, quae secundariae est utilitatis ; haec demum minus quam genus quod vulgo dici potest pertinere ad opulentiam. Ab hoc genere vigesima vel decima peteretur contributio.

Hujus fere rationis est *Income tax* Angliae, nec valde ab ea discrepant systemata quae in pluribus Helvetiae partibus obtinent.

Magis scientifica videtur, re tamen haud absimilis, haec forma propositionis in qua *tributi additamenta jugiter quidem amplificentur sed minoribus semper incrementis ; ita ut vectigal cujusque civis ad partem redituum vergat quae maxima dicitur :* sive ad hanc partem ille motus pertingat et in ea sistat, sive ad eam, ut ad mathematicam limitem, semper propius accedat neque perveniat [2].

---

[1] Gallice, systema istud dicitur : *système de la progression rationnelle limitée* ; *système progressionnel* (Joseph Garnier), *impôt progressif par tranches.*

[2] Gallice, sic paucis dicas : La taxation est progressive, mais la progression du taux décroît de plus en plus, soit pour disparaître et faire face à un taux fixe, maximum, soit pour s'approcher indéfiniment de ce maximum comme d'une limite mathématique vers laquelle on tend toujours sans l'atteindre jamais. Cfr., ad calcem hujus capitis, schema ex quo simul apparet haec parum inter se *practice* differre.

Quod magis patebit supposito exemplo.

Summa redituum.	*Pars solvenda.*
1 — 1000 fr.	0
1000 — 3000 »	1 — 3 p. c.
3000 — 5000 »	3 — 5 »
5000 — 7000 »	5 — 6 $^{1}/_{2}$ »
7000 — 9000 »	6 $^{1}/_{2}$ — 7 $^{3}/_{4}$ »
9000 — 10000 »	7 $^{3}/_{4}$ — 7 $^{9}/_{10}$ »
10000 ad infinitum	7 $^{9}/_{10}$ — 8. »

Istud systema, quod Leroy-Beaulieu ducit esse negligendum, plures tamen jam habet patronos inter *oeconomistas*. Ipse indicat scriptores Hollandiae et praeterea Seligman, *Progressive taxation in theory and practice;* E. Saa (professor Pragensis) *Die neuesten Fortschritte der nationalökonomische Theorie.*

Juvabit varia placita gallico idiomate praecise sub oculis ponere.

1. Systèmes de *taux uniforme :*

a) Impôt *proportionnel* pur.

b) Tempéré d'une combinaison *dégressive.*

2. Systèmes de *taux différentiel :*

a) Impôt *progressif à raison constante,* adopté soit pour faire prévaloir l'idéal socialiste, soit pour égaliser les sacrifices.

b) Impôt *progressif par tranches,* proportionnel dans chaque tranche, et s'arrêtant à un taux maximum modéré. (Système mixte.)

c) Impôt *progressif continu,* mais à progression de plus en plus lente; tendant indéfiniment vers une limite modérée, et ne tardant pas à se confondre sensiblement avec l'impôt proportionnel.

A ces deux derniers systèmes s'applique l'épithète récente de *progressionnel.*

ARTICULUS III. **Formula et argumenta conclusionis**

THESIS VII

Tributa non sunt onus reale immediate bonis impositum, sed respondent personali obligationi qua cives tenentur, ex justitia legali, conferendi de suo ad bonum commune.

Perfecta autem distribuendi vectigalis ratio, ad quam oportet quam maxime sed prudenter accedere, non est ut partibus proventuum partes tributi aequabiliter respondeant, neque ut, pro cujusque censu, constanti lege, secundum arithmeticam

vel geometricam proportionem augeantur; sed ea ratio perfecta est quae, quasi media inter utramque incedens, nititur variis proventuum functionibus.

105. Scopus et divisio thesis. In priore thesis parte tuemur, contra paucos, communiorem sententiam de *specie* obligationis solvendi tributi, qua haec existimatur onus non rerum sed personarum. In altera, in primis monemus ut vere sed prudenter tendatur ad perfectam tributorum ordinationem, quatenus copia detur et id permittat procuratio boni communis; perfectam deinde rationem reponimus in systemate quod ultimo loco adumbravimus. Ex functione tamen potius quam ex origine distinguimus redituum classes.

Prior Pars.

106. I. EXPONUNTUR VOCES.

Tributa : proprie talia, quae distinguuntur a variis retributionibus, *les taxes,* quibus cives compensant obtentas utilitates.

Non sunt onus reale immediate bonis impositum : Haec est enim propria realis oneris nota, ut propter rem afficiat personam.

Sed respondent personali obligationi : Personalem hic intelligimus obligationem eam quae, etiam si forte, ut non raro, reali praestatione sit adimplenda, nihilominus afficit directo personam, res autem quatenus pertinent ad personam.

Qua cives : Hoc nomine compellamus hic membra communitatis quae propriis regitur legibus.

Tenentur ex justitia legali : Hic est ergo formalis titulus obligationis.

Conferendi de suo : i. e. de iis quae in propriam utilitatem sunt ordinata, ut labor proprius et praesertim fortunae propriae.

Ad bonum commune : Praestatio ergo illa est quaedam ratio positiva et debita cooperandi ad bonum commune.

107. II. PROBATIO.

Argumentum 1. Solvendo enim vectigalia, cives per

aptum et lege impositum medium procurant bonum commune : supplent enim inopiam aerarii, ita ut communiter praesto sit unde publicis satisfiat impensis.

A. Cives tenentur personali legalis justitiae obligatione procurandi bonum commune per media apta et lege praecepta.

E. Positive stat prior thesis conclusio.

Alias adhuc : Obligatio solvendi vectigalia respondet juri ea exigendi, quod nomine communitatis, qua talis, exercet politica auctoritas.

A. Jus proprium communitatis adaequatur per justitiam *legalem,* cujus officia sunt propria membrorum. *E.*

Argumentum 2. Obligatio de qua agitur vel est personalis, ut eam descripsimus, vel est onus reale. Haec major dilemmatis non ambigitur.

A. Non est onus reale. *E.*

Prob. min. a) Onus reale non intelligitur sine jure in re competente societati politicae in bona quae dicuntur onerata. Illud jus autem undenam proficisceretur? Dicesne, eo ipso quod cives habent vel gignunt quaedam bona, immobilia vel mobilia, statim ratam partem eorum bonorum pertinere ad dominium fiscale ? Quis non viderit quam gratuitum, quam mirum foret hujusmodi effatum? An hoc potius modo rem explicabis, quod cives, eo ipso quod societatem ineunt politicam, in medium censeantur afferre universas suas fortunas ad conflandam massam communem *(capital social),* deinceps pertinentem ad Statum, qui, imponendo tributum, videretur sic proprii agri colligere aliquos fructus ? Haec ratio dicendi videtur reapse placuisse nonnullis ; sed repugnat verae notioni societatis perfectae quae non est societas pecuniarum sed personarum.

b) Onus si foret reale, tributo afficerentur bona sine respectu patrimonii ad quod pertinent. Alienum foret considerare quo aere alieno teneatur eorum dominus, sed omnia tributa deberent esse stricte realia (ratione supra

explicata n. 99, b) : quod tamen, ut contrarium distributivae justitiae, ad unum rejiciunt omnes oeconomistae.

108. III. DIFFICULTATES.

1. Etiam peregrini solvunt tributa. *E.* Obligatio non est propria civium. Sic Cauwès.

R. a) *Indirecte.* Exteri etiam aliis quibusdam legibus tenentur. Si quid ergo efficeret difficultas, negandum foret officium parendi legibus esse personalem civium obligationem.

b) *Directe. D. antec.* eodem titulo quo cives, *N.*; alio titulo, *Trsm. :* nam non omnia ferunt tributa.

Vectigalibus autem astringuntur, quatenus, v. gr. ob bona quae possident, participant commoda quaedam administrationis regni, unde aequum est ut participent etiam onera ; vel quatenus hac justa conditione admittuntur ad possidenda bona aut exercendum commercium. Reapse ergo, quod ipsi solvunt, magis cujuspiam retributionis induit rationem. Denique, quum id fiat universaliter, habetur etiam qnaedam compensatio inter nationes. Cfr. hanc difficultatem jam solutam a Molina, Tr. 2, d. 668, n. 2 et 669, n. 3. Lugo n. 28.

2. Objici possit ex aliis sententiis quas recitavimus supra n. 104, neque directe in ipsa probatione redarguimus. Ut illas praecise refellamus :

a) Si dixeris per tributa persequendam esse *majorem aequalitatem* fortunarum, respondemus non posse, ob disparilitatem, quam fatemur non paucis videri nimiam, permitti, ut vellent socialistae-politici, invasionem Status in privata dominia ad restituendam directe aequalitatem : praesertim quum istud non radicitus malum evelleret ; sed potius, per opportunas leges *sociales,* impedienda sunt iniqua fortunarum incrementa ex usuris, fictis *speculationibus,* certis monopoliis, etc. Cfr. *Rivista internazionale,* 1896, p. 190-192.

b) *Hegelianum* cogitatum ruit cum ipso idolo seu Statu, qui probatur non propter se sed propter commune hominum bonum existere.

c) Ad obligationem *contractus* (ut alii volunt) reduci nequit obligatio tributorum, nisi sequaris errorem *con-*

tractus socialis. Insuper, obligatio tunc esset justitiae commutativae cum onere restitutionis ; et ea foret immunis civis ille qui merito conquereretur de male, saltem in ordine ad se, administrata republica. Quae consectaria quis probaverit ?

d) Si, ut ad speciales deveniamus explicationes, consideres contractum ut *commutationem beneficiorum,* uniuscujusque onus definiendum erit ex utilitate percepta. Jam vero debentur tributa ad solvendos sumptus effusos *(des prodigalités),* vel ob operam quae in individuam *(indivisible)* omnium cedit utilitatem : v. gr. ob publicam administrationem justitiae, etc. Quomodo aestimes quid cuique in his obtigerit ? Cfr. Cauwès, 1228.

e) Si dixeris tributo compensari *assecurationem bonorum (prime d'assurance),* munus auctoritatis politicae male ad solam jurium tuteiam revocaris. Insuper damna ab injuriis privatis profecta tunc sarcienda forent ex aerario publico. Cfr. Cauwès, l. c., H. Denis, p. 66-71.

Altera Pars.

109. I. EXPONUNTUR VOCES.

Perfecta ratio, seu quae ad amussim respondet principiis huc pertinentibus et supra traditis de utraque justitia, legali et distributiva. Gallice dixeris *l'idéal.*

Distribuendi vectigalis. Rejecta inter Scholia quaestione de justa *quantitate* quae civibus *simul sumptis* imponi possit, ad *distributionem* contrahimus materiam disputandam. Ponimus autem semper societatem civium aequalium, quae nunc ubique obtinet.

Ad quam oportet quam maxime sed prudenter accedere. His verbis, praeter obligationem intendendae hujus perfectae rationis, inculcamus fas esse, ex publica causa, a perfecta ratione deficere. Regulam statuimus quae adhibenda est quoad *prudenter* fieri possit. Quocirca maluimus dicere *perfecta ratio (l'idéal)* potius quam *justa ratio.* Nequit enim injustitiae argui systema minus perfectum quod licite retinetur.

Quod si fas est interdum minus curare ipsam *rationem* in se perfectiorem, multo magis licebit posthabere quaedam *media*, per se aptiora et efficaciora, sed quae sine praevalente boni communis detrimento non videntur usurpari posse.

Non est ut partibus proventuum partes tributi aequabiliter respondeant. His verbis describimus systema *proportionale*.

Neque ut, pro cujusque censu, constanti lege.... augeantur. Haec designant systema *progressivum*, ut communiter intelligitur et reapse a socialistis propugnatur.

Secundum arithmeticam vel geometricam progressionem. Bifariam enim concipi potest forma quam respuimus progressionis, ut constat his duobus exemplis :

Arithmetica progressio		*Geometrica progressio*	
Reditus	*Partes solvendae*	*Reditus*	*Partes solvendae*
1000 fr.	1 p. c. = 10 fr.	1000 fr.	1 p. c. = 10 fr.
3000 »	2 p. c. = 60 »	2000 »	2 p. c. = 40 »
5000 »	3 p. c. = 150 »	4000 »	4 p. c. = 160 »
7000 »	4 p. c. = 280 »	8000 »	8 p. c. = 640 »

Sed ea ratio perfecta est quae, quasi media inter utramque incedens. Media est, quia aliquid concedit utrique ex sententiis adversis ; et quia, pro definito modo quo intelligitur, plus vel minus miscetur utraque forma.

Nititur variis proventuum functionibus. Designamus hic genus distributionis quod in fine superioris articuli descripsimus. Non unus quidem est modus illud concipiendi. Plures supra tradidimus, inter quos liberam linquimus optionem, praesertim quum non adeo ingens sit discrimen practicum. Existimamus tamen aptam redituum distinctionem non ex origine sed ex destinatione esse repetendam. Quare hac nota positiva designamus formam distributionis quam ducimus praeferendam.

110. II. PROBATUR PRIUS MEMBRUM HUJUS PARTIS.

Ad perfectam distribuendi vectigalis rationem oportet quam maxime sed prudenter accedere.

Hinc enim, legislator qui negligeret perfectam rationem

distribuendi vectigalis iniquus foret vectigalis distributor et committeret contra commutativam justitiam ; illinc vero, necessitas boni communis postulat in hac re temperamenta quae sine ulla civium injuria a publica potestate adhibentur.

E. Enitendum quidem est ad perfectam distribuendi vectigalis rationem, sed quantum prudenter fieri possit.

Probatur utrumque antecedentis assertum.

a) Perfecta ratio ea dicitur quae respondeat aequali distributioni. *Per se* autem exigit justitia, et quidem *commutativa,* aequalem distributionem. Aequalem enim distributionem postulari a justitia distributiva constat ex superiore thesi ; inaequalitatem adversari etiam commutativae justitiae, ex eo patet quod potestas publica, dum a nonnullis majorem exigeret tributi partem quam aequa fert distributio, sine titulo seu jure cives propriis spoliaret bonis.

b) Praeter quam quod ob varios repercussus inaequalitas jam corrigi potest, aut etiam compensari per plura beneficia quae ditiores praestant reipublicae : semel usu receptum systema non sine periculo reclamationum et turbarum proindeque detrimenti reipublicae immutatur. Addas ferventem adhuc controversiam de veritate doctrinae propositae, difficultates multas quibus circumdatur ejus exsecutio ; et facile perspicies cur prudenter et sensim sine sensu ad aliquid perfectius sit conandum, neve existimet legislator plane evertendum aliquod vigens systema, antequam universalior facta fuerit persuasio de alterius justitia, et magis remota sint obstacula practicae rationis.

Atqui ex legali justitia cives aequo animo ferre debent oeconomicam inaequalitatem imperfecti systematis quam postulat bonum commune, ad quod norunt ordinandum esse regimen proprietatis privatae.

Ergo, sine ullius justitiae laesione adhibentur necessaria temperamenta prudentiae politicae.

Praeclaram hujus doctrinae confirmationem cfras. apud Suarez, *De Legibus,* L. 5, c. 16, n. 8.

111. III. PROBATUR ALTERUM EJUSDEM PARTIS MEMBRUM.

Pro rei momento separabimus tria quibus constat asserta.

1. ***Perfecta distribuendi vectigalis ratio non est ut partibus proventuum partes tributi aequabiliter respondeant.***

Nam proposita ratio :

a) Deficit ab aequalitate justitiae distributivae.

b) Vanis ac ficticiis fulcitur fundamentis.

c) Cogit suos patronos pugnantia loqui.

E. Tribus de causis est rejicienda.

Ad antecedens :

a) *Deficit ab aequalitate justitiae distributivae.* Haec enim vult ut cives solvant aequabiliter *pro viribus,* pro facultate solvendi. Ita docent Molina [1], Lessius [2], de Lugo [3]; ita etiam Smith et auctores quos impugnamus in conclusione.

A. Civium facultas solvendi non aequabiliter respondet partibus proventuum.

E. Vetat justitia distributiva ut partibus proventuum partes tributi aequabiliter respondeant.

Prob. minor. Quo enim tibi fuerit magis necessarius vel utilis usus proventuum, magis etiam erunt tibi pretiosi eoque minor erit copia aliquid de iis detrahendi.

Sed partes proventuum non habent eumdem usum: quae victui comparando destinantur magis necessariae sunt quam ceterae, inter quas etiam facile observaveris varios necessitatis vel utilitatis gradus.

E. Facultas solvendi non aequabiliter respondet partibus proventuum.

b) *Vanis ac ficticiis fulcitur fundamentis.*

Etenim, si rationes suae sententiae interroges patronos istius systematis :

---

[1] Op. cit. tr. 2, d. 668, n. 1.
[2] Op. cit. c. 33, n. 6.
[3] Op. cit. d. 36, n. 23.

α) Vel nituntur *praesumptione,* quasi percepta ex republica utilitas acquisitis fortunis foret dimetienda. Ita P. Leroy-Beaulieu [1], Cauwès, n. 1220.

Sed postquam ipsi confessi sunt penitus nos latere qua quisque ratione in partem veniat utilitatum communium ; postquam probarunt dicta a Stuart Mill quibus is contendit impensas publicas nulla certa ratione singulorum respondere facultatibus, potius tamen, si ex hujusmodi proportione, qualiscumque esset, quaerere velles normam, onerandos fore miseriores [2] : qua, quaeso, specie veri possunt hujusmodi allegare praesumptionem ?

Haec ceterum doctrina directe sic refellitur :

D. assertum. Justa foret praesumptio qua nititur, si bonum commune unice consisteret in facultate communiter facta augendi bona, *transm.,* secus, *nego.*

β) Vel hanc adducunt confirmationem : Qui centum possidet jugera fruitur protectione sociali quoad quantitatem bonorum quae decies superat eam quam protegendam habet dominus decem jugerum.

E. Aequitas postulat ut prior decies solvat tributum quo alter gravatur, ut habet systema proportionale.

R. Nego prorsus consequentiam, tum quia falso laborat supposito aes publicum ex toto vel majore parte absumi tutela possessionum, cum pleraeque impensae publicae sint alterius rationis ; tum quia tutela centum jugerum non exigit impensas decies majores decem jugerum tutela [3].

---

[1] Cfr. op. cit. p. 142, ubi hanc miram adhibet ratiocinationem : « La part de chaque citoyen dans le chiffre total des impôts devrait théoriquement et en stricte équité être proportionnelle aux avantages qu'il recueille des dépenses de l'État et à sa part de responsabilité dans l'établissement de la dette de l'État. » Hactenus, p. 142. Pergit p. 152 : « Comme cette estimation est impossible, on *présume* que les citoyens participent aux avantages et aux fautes du gouvernement en proportion de leurs revenus ! »

[2] « If we wanted to estimate the degrees of benefit wich different persons derive from the protection of government, we should have to consider who would suffer most if that protection were withdrawn : to wich question if any answer could be made, it must be, that those would suffer most who were weakest in mind or body, either be nature or by position. » Stuart Mill, *Principles of political economy,* L. 5, c. 2, § 2.

[3] Cfr. Cauwès, 1220.

γ) Vel denique ex eo arguunt quod systema proportionale praebeat unice regulam mathematice certam ac definitam.

Transmisso nunc asserto, respondetur regulam illam esse *certo falsam* nec proin esse praeferendam regulae fortasse minus definitae sed quae magis ad verum accedat. Quoties usu venit ut in re morali plura nequeant exacte definiri? Quaenam v. gr. est comparatio boni fortunae cum bono corporis *reduplicative* sumpto [1]? Non ideo tamen abstinent judices definienda summa qua sarciri debet laesio corporalis.

Si facilitas regulae probaret ejus excellentiam, ipsa exactio capitum *(impôt de capitation),* ob suam simplicitatem, omnium suffragiis foret probanda.

c) *Cogit suos patronos pugnantia loqui.*

Num sibi constant defensores istius systematis:

α) Quando negant adesse certam proportionem inter impensas publicas et bona possessa, et tamen in illam proportionem (praesumptione definitam) constituunt suum systema;

β) Quando fatentur munus auctoritatis politicae non esse meram tutelam jurium, atque ex juribus protectis eruere volunt partes tributorum quas singuli solvere deberent;

γ) Quando, non pauci certe ex ipsis, concedunt ex reditibus qui alimentis comparandis destinantur nihil esse conferendum, quia conferendi nulla sit copia; et negant tamen vel esse in aliis redituum partibus inaequalem copiam vel pro inaequali copia variare debere ipsam tributi quantitatem?

2. ***Perfecta distribuendi vectigalis ratio non est ut, pro cujusque censu, constanti lege, secundum arithmeticam vel geometricam progressionem augeantur partes conferendae.***

---

1 Hoc addimus, ut ansam amputemus errandi. Ex laeso enim corpore saepe quis patitur detrimentum fortunae quod pecunia compensari potest. Sed de hac compensatione hic non agitur, sed de summa quae formaliter jubetur solvenda ob vulnus inflictum vel aliam injuriam ordinis superioris.

Prob. Hoc enim systema est absurdum, contrarium utrique normae justitiae distributivae, et logice fluit ad placita socialismi.

a) Est *absurdum.* Nam, dum infinitam vult progressionem *(progression indéfinie)*, eam simul ita constituit ut mox desinat : partes enim secundum illud systema conferendae brevi adaequarent ditiorum proventus.

b) Est *contrarium utrique normae justitiae distributivae* (cfr. n. 63).

Superior norma repetitur ex bono communi. Huic adversatur ea tributi ratio quae communitatem privaret necessariis pecuniis. Jam vero quis non videt fore ut ditiores, ne nimium onus sentirent, in alias regiones asportaturi essent personas et opes ?

Inferior norma est aequalitatis servandae inter cives. In hoc systemate tum personae tum res inaequaliter tractarentur. *Res* quidem, quia, dum variae partes redituum varium habent usum et proinde valore sunt inaequali, idem tamen onus tributi singulis partibus imponeretur ; *personae* vero, quia quae redituum partes ejusdem sunt utilitatis inaequaliter gravantur pro conditione possessoris, ita ut ditiores, qui universos reditus fisco tribuere cogerentur, ne victum quidem sibi ex proventibus quaerere possent.

c) *Logice fluit ad placita socialismi.* Si enim serio velis, ut contendunt hujus systematis defensores, illud aliquo modo efficere ut onus ab omnibus aequabiliter sentiatur *(égalité de sacrifices)*, id obtinere non poteris nisi adaequatis fortunis : quod placet socialistis politicis.

Penitior ratio cur minus sentias onus si opibus abundaveris quam si exiguae fueris fortunae haec est, quia, priore casu, possis, dummodo temperatum sit tributum, ex reditibus qui supersunt (seu qui usum habent voluptarium) solidam summam conferre, dum pauperior vir cogitur aliquid demere de magis utili redituum parte.

3. *Sed ea ratio perfecta est, quae, quasi media inter utramque incedens, nititur variis proventuum functionibus.*

Probatio. Arg. 1 trahimus ex perfecta convenientia istius rationis cum utraque norma justitiae distributivae. (Cfr. n. 63.)

Has enim notas continet istud systema :

a) Cives moraliter omnes aliquam partem aeris publici conferre debent ;

b) Etiam a ditissimis moderata tantum exigitur pars.

c) Quo magis crescunt proventus, eo minus differunt partes tributi quae partibus proventuum respondent, ita ut sat brevi, postquam perventum est e. gr. ad censum annuum decem millium francorum, reliquae partes fere aequabiliter graventur. (Cfr. supra, n. 104 fine.)

A. Binae priores notae perfecte respondent normae superiori justitiae distributivae ; inferiori vero postremae. *E.*

Prob. minor. Bonum commune, quae norma est *superior*, exigit : a) ut ii quibus competit suffragium politicum, « moraliter » omnes, aliquid conferre debeant [1], ne temere tentent augere impensas publicas ; b) ut nemini imponatur onus nimis grave vel invisum ; c) ut non sit periculum ne majores fortunae in alias transferantur sedes ; d) ut tamen tributorum summa sufficiat procurandae reipublicae.

A. Tria priora puncta manifesto respondent binis prioribus notis. Facile etiam intellectu est, statim ac cives moraliter omnes aliquid pro censu conferre debeant, commode posse res disponi ut, sine nimio alicujus gravamine, aerarium necessariis non careat divitiis.

Nec minus bene servatur, per propositam rationem, aequalitas inter cives, quam statuimus *inferiorem* normam justitiae distributivae. Quod sic efficimus :

Tributum est onus personale quo cives communem facere jubentur partem bonorum quae possident. Vera ergo aequalitas habebitur, si cives eodem sint loco qua

---

[1] « Tout citoyen qui a le droit de vote doit payer un impôt quelconque. » Leroy-Beaulieu, op. cit. p. 209.

possidentes. Eodem autem erunt loco qua possidentes, si ad varietatem functionum quibus inter se differunt partes redituum accommodentur tributorum rationes.

Distinguendae sunt variae redituum functiones. Quia enim res exteriores ideo in bonorum numero habentur quoniam in hominum cedunt utilitatem, patet non posse, in praesenti argumento, eis tribui absolute eundem valorem; sed ex usu in quem res destinantur a possessore pendere ipsum earum valorem, ita ut is varius sit pro gradu necessitatis vel utilitatis qui competit isti usui. Apte ergo distinguitur prima quaedam pars, summi valoris, qua vitae necessitatibus consulitur; secunda, minoris jam pretii, quae sufficit impensis fere necessariis seu valde utilibus; et inde porro, ita ut statui possit haec regula: *redituum partes eo minus valere possidenti quo magis superaverint certam quantitatem*. Quod si inter se comparaveris ipsas differentias, sine negotio deprehendas magis ab invicem valore distare priores functiones quam posteriores. Etenim, dum valde notabile est discrimen inter destinationem necessariam et utilem; jam minus interest inter utilitatem majorem et minorem et fere nihil inter plures destinationes voluptarias.

Si ergo ita constituas tributum ut eamdem portionem, $^{7}/_{100}$ e. gr., de omnibus dempseris proventuum partibus, inaequaliter spoliaveris possidentem. Verum, ut aequalitas servetur, exonerata quantum fieri potest summa qua aluntur cives (*Existenzminimum*), augendae sunt deinde ratae partes conferendae in commune, secundum progressionem, non quidem constantem, sed cujus incrementa decrescant et fere fiant nulla. Haec autem ratio ea est quae hic in conclusione nostra proponebatur sub litera c).

Arg. 2, quod mere indicamus:

Perfecta ratio est ut pro suis quisque facultatibus seu viribus solvat. — Id ceterum plerisque probatur. — Sed vires, facultates uniuscujusque, sunt divitiae consideratae non simpliciter, sed observatis earum functionibus.

E. Perfecta ratio obtinetur distinguendo inter varias redituum functiones.

112. III. Difficultates.

1. Oportet ut singuli pretium solvant beneficiorum quae a Statu receperint [1]. *A.* Illud pretium non solvunt nisi partes tributorum partibus proventuum aequabiliter respondeant.

R. Nego maj. Ipsi adversarii negant per tributa compensari promerita reipublicae. Cfr. supra. *Nego min.* Cfr. modo dicta in probatione III. 1, b. *α.*

2. Solum systema aequalis proportionis certo nititur principio, dum progressio omni destituitur regula. Et cum non sit unde definiatur quae ratio progressionis sit inducenda, inconsulte ac temere altera ab altero proponitur assumenda [2].

R. Divido antecedens. Dist. 1rem partem. Systema aequalis proportionis nititur principio certo ac vero, *N.*, certo sed falso, *C.*

Dist. alt. part. Si progressio fuerit constanti lege crescens, *C.* si ea est qualis a nobis intelligitur, *nego.*

Inst. Neque si intelligatur ut in conclusione, prudenter definiri potest illa ratio. Opus enim foret inter se comparare varias functiones atque aestimare quanto alia sit alii anteponenda : quod nemo aggredi ausus sit.

R. Nego min. subsumptam, et *nego rationem.* Si enim fiat taxatio eo modo qui in probatione est explicatus, plane apparet non temere fieri hanc aestimationem. Fatemur quidem non posse definiri utrum duabus an tribus partibus gradus seu functio quae dicitur necessitatis superet gradum utilitatis; sed si, cavendo ab omni excessu, ad hoc enitaris ut potius a minus utili quam a parte fere necessaria exigas tributa; et si observes ceteras regulas quae in probatione sunt declaratae, jam prudens tibi praesto erit modus apte ordinandi vectigalia.

Quid, quod ex fautoribus primi systematis non pauci jam volunt

---

[1] « Il s'agit pour l'État de recouvrer de chacun des citoyens le juste prix des services rendus. » Leroy-Beaulieu, p. 160.

[2] « La proportionalité est un principe, mais la progression n'est qu'un odieux arbitraire. » *Thiers, De la propriété,* c. 3.

vel aliquam partem proventuum omni onere levari vel minus gravari aliis; nec tamen putant se quid temere definire [1].

3. Si moderata est progressio, fere nihil prodest populo [2].

R. Nego, si observes levamen etiam nonnullorum francorum jam gratum esse iis qui modicas habent opes. Cfr. infra, n. 120_5.

Ceterum, si nihil populo prodest, cur ipsi adversarii concedunt ut pluribus ex parte levetur onus solvendum ?

4. Systema propositum est inefficax. Minime enim impedit quin ditiores levius onus ferant quam pauperiores.

R. Nego antecedens ; et *ad prob. Dist.* Minime impedit, i. e. non procurat aequalitatem quantum vult et patitur justitia, *N.* ; i. e. non facit ut onus non magis a modico viro quam ab opulento sentiatur, *Trsm. vel conc., sed nego suppositum, id esse efficiendum.*

Verus enim respectus, nisi rursus velis per tributa corrigere fortunarum diversitates, is est, ut ex tributorum distributione non aggraventur inaequalitates sociales; et ut proin antecedenti inaequalitati unice, nullatenus autem distributionis rationi tribuendum sit quod alii aliis magis sentiant onus. Hoc autem habetur, aequiparando cives quoad similes bonorum functiones.

5. Functiones seu usus proventuum plurimum pendent ex voluntate domini. *E.* Non potest earum definitione niti justa tributorum destributio.

R. Hic, ut saepe solemus in moralibus, observamus id quod de se, id est plerumque, usu veniat.

ARTICULUS IV. **Doctrinae supplementa**

I. *COROLLARIA.*

113. Secundum ordinem crescentis perfectionis, **triplicem formam distributionis tributorum** distinguere

---

[1] « Nous n'admettons pas que les revenus de toute origine et de différente durée payent une même quote part. » Leroy-Béaulieu op. cit. p. 152 note.

[2] A Leroy-Beaulieu, post Proudhon, progressio vocatur *un joujou démocratique.*

possumus. Prima, nunc fere suppressa, est simplicis *capitationis*, qua a singulis absolute eadem summa exigebatur; secunda, distributionis *proportionalis*, qua pro suis quisque solvit reditibus *praecise* consideratis, seu sine respectu onerum vel aeris alieni quibus fortasse opprimatur possessor; tertia, ad quam tertio stadio contendimus, ubi ipsi reditus *comparate, cum adjunctione personae utentis* aestimentur.

Quomodo parum adhuc constet forma qua tributorum *summa* regatur; et qua ratione ipsi proportionalistae probare tamen possint aliquam in tributis directis progressionem qua compensetur inaequalitas indirectorum quae res afficiunt necessarias [1], habetur supra, n. **102** et **104**, 2, a.

Observes etiam fieri interdum ut specie progressiva obtegatur proportionale tributum : ut quum progressio mere *indicia* afficit redituum, non ipsos reditus. In Belgio v. gr., ei qui duos famulos habet personae suae addictos, plusquam duplicatur summa quae pro uno famulo exigitur. Ratio est, quia lex praesumit duplicatis famulis respondere plus quam duplicatos reditus : in reditibus autem tributum istud collocatur.

114. Aliae definiendi tributi **regulae** adhibendae sunt reditibus hominis coelibis quam **patris familias**; atque hujus varia onera (quis v. gr. numerus liberorum) sunt pensanda. Non potest, e. c., idem *existenzminimum* constitui viro qui sibi tantum providere debet et viro qui multam prolem habet alendam; atque idem dicas de ceteris quas distinximus functionibus.

II. ***SCHOLIA.***

115. Altera quaestio de vectigalium ordinatione. Quaeri possit utrum aequiparandi sint cives *in similibus* bonorum *functionibus*, an plus ex *solido censu* is qui ditior est solvere debeat. Res non videtur dubio vacua. Quia enim certae partes redituum etiam apud ditiores usum habent tam necessarium vel utilem quam apud pauperes — etiam ditissimus fame laborat et pecunia sua emit

---

1 Gallice dixeris: *Impôt progressif de redressement, pour compenser des impôts progressifs à rebours.* — Molina, d. 668, n. 2, jam inaequalitatem illam agnoscit atque inde disputat de justitia vectigalium indirectorum.

panem — videtur similibus partibus idem esse imponendum onus, quae demum cumque sit redituum summa. Objicitur tamen *comparativum* valorem cujuscumque partis variare pro summa ad quam pertinet.

Nobis magis placet prior ratio dicendi. Utraque tamen eodem schemate *mathematice* exhiberi potest. Quod facili ostenditur ratione. Sit, e. c., proventus constans frc. 900 + 1900. Si a 900 frc. exigas nihil (0 %), sed a 900 ad 1900 fr. 0,615 %: perinde est ac si a 2800 exigas 0,32 %. Utroque enim modo obtinueris 6,15 frc. Pariter, si 900 fr. fiant immunes, 900-1900 solvant 0,615 %, 1900-2900 solvant 1,75 %: perinde est ac si 5700 francis imperes pecuniam 0,6 %. Tributum attinget 23,66 fr.

Nihilominus praestat ut ex modo quo tributa imperantur facile appareat quibusnam principiis facta fuerit ordinatio.

116. Quibus notis forma quae gallice dicitur **impôt dégressif** distinguatur a moderata *progressione* jam supra, n. 104_2 est ostensum.

117. De tributo quod immediate imponatur reditibus. Dissimilis, sat connexa tamen cum forma progressiva distributionis, est quaestio de immediata collocatione tributi in ipsis redituum summis. In non paucis regionibus, Anglia, Borussia, Italia, viget hujusmodi tributum.

Nec pauci sunt variarum partium, etiam catholicorum, qui velint tributum illud fieri quasi angularem lapidem systematis [1], ita ut moraliter evaderet unicum, exceptis tantum quibusdam vectigalibus quae alia boni communis ratio vult servata : ut portoria sunt quibus *industria nationalis* protegatur, et taxae sumptuariae. Cfr. cit. art. *Rivista internazion.* p. 201 nota 1.

Istius tributi fautores potissimum efferunt ejus *justitiam.* Cum enim videatur esse sine *repercussu,* dum varia incer-

[1] Tuentur isti *l'impôt général et unique sur le revenu.* Cfr. ejus encomia celebrata ab H. Denis, p. 286 sq.

taque est aliorum tributorum *incidentia,* nulla alia ratione tam aequa obtinetur tributi distributio. Praedicatur etiam *facilitas (son élasticité)* quam procurat augendi pro aliqua necessitate publica vim tributorum : nam quum *statim* omnes pro rata parte afficiat, minus sentitur augmentum quam si primo caderet in aliquot cives, v. gr. dominos agrorum. Cfr. Denis, p. 294, 295.

Contra, objiciunt : a) Maximam *difficultatem computandi* civium reditus. Si auctoritative eos velis definire, multis vexationibus opponis cives, qui cogentur revelare secreta, etc. Inde reclamationes, quales v. gr. auditae sunt in Italia, anno 1897 [1]. Si permittas rem declarationibus civium, innumerabilibus res patet fraudibus. Inde honestiores magis aliis onerabuntur, et in societate, cum detrimento boni communis, inolescent malae mentiendi et defraudandi consuetudines. — b) *Offensionem popularem.* Hanc minus effugit tributum quod una vice solvendum est totum, quam varia tributa indirecta quae sensim sine sensu conferuntur. Satis nobis sit haec indicasse.

Sed, permissis his disputationibus, haec constant, hodie nimio censu annuo indigere plerasque respublicas, quam ut unico eoque directo tributo afficiente proventus sibi consulere possint. Talem enim exigere deberent ratam redituum partem, ut omnium animos in se concitarent potestates politicae, sed opus habent multa onera dissimulare formis indirectis.

118. Quid de magnis sentiendum sit tributis.

Fuere qui magnorum tributorum celebrarent utilitatem [2]. Sed immerito. Revera minime expedit ut cives plus quam necesse est onerentur. Nam, a) Tributa gravia multis querelis dant locum : e republica est ut cives sint contenti ; b) Praeter difficultates domesticas quas pariunt,

---

[1] Cfr. verba ministri Depretis, recitata a Denis, op. cit. p. 279.

[2] Unde axiomati : « Le meilleur impôt c'est le moindre, » respondent contraria : « L'impôt est le meilleur des placements ; l'impôt est le meilleur stimulant de l'epargne et de la production, » apud Cauwès, 1226.

id efficiunt ut pecuniae mitius sibi quaerant coelum quo minus graventur; **c**) Augent studia fraudum; **d**) Et experientia constat facile prodigi pecuniam publicam. Quae industriâ fiunt privatâ longe minus constant societati. Somnia autem sunt dicentium Statum rursus distribuere inter cives quod ab ipsis exigit : quasi gratis distribueret, aut saltem utiliter !

DE GRAPHICA VECTIGALIUM DESCRIPTIONE

119. Utilitates. Thesi de tributorum formis graphicam earum adjungimus descriptionem [1], ut ipsis cernatur oculis :

1. Quam facile possit mathematice ordinari systema tributorum quod consonet conditionibus propositis n. **104**, fine, ita ut: **a**) infinite accedatur ad limitem maxime temperatum; **b**) continuo tamen crescant partes ex censu conferendae; **c**) omnes cives fruantur exemptione afficiente definitam vim proventus (*Existenz-minimum*); **d**) eodem modo apud omnes graventur eaedem proventuum partes.

Curvae enim lineae exhibent istud systema; ipsoque schemate fit manifestum quae partes tributorum singulis respondeant proventibus.

2. Quomodo possit una eademque formula variis satisfieri postulatis; sive plus sive minus exonerare cogites humiles fortunas ; sive majorem sive minorem crescentibus partibus praestituas limitem ; sive augenda sive minuenda videantur ipsa publica vectigalia.

Proprietas ista apparet ex ipsa linearum varietate.

3. Frustra constitui gradus numero definitos certisque *intervallis* distinctos, quibus eadem imperaretur pecunia ; cum scansionibus *continuis* omnes prorsus quae ex ista graduum distinctione quaeruntur utilitates aeque certo sed modo justiore obtineri possint.

Id constat ex binis lineis quae in sinistro angulo sunt ductae. Linea enim quae fractionibus interrumpitur (*droite brisée*) prioris rationis exhibet systema, tot distinguendo classes quot borussica lege definiuntur. Vix tamen differt ab apposita linea curva quae numero infinitas facit classes.

4. Minime spernendum esse levamen quod cives tenuis conditionis obtinent ex inducta progressione, etiamsi haec intra angustissimos contineas fines. (Sic refellimus dictum a D. Leroy-Beaulieu). *Cfr. hic infra, n.* 120,5.

[1] Hanc nobis gratiose concinnavit R. P. Schaffers, e S. J.

120. Qua ratione sit ordinata tabula. 1. Mathematica qua usi sumus formula ex iis est quae aptantur lineis curvis quae a puncto unde profiscuntur (et quod possis variare) infinite accedunt ad lineam rectam, nunquam huic assimiles futurae (*courbes à asymptote*). Porro eam elegimus quae exhibet *hyperbolen*.

Exprimitur hoc modo : $x = -a + \sqrt{a^2 + \frac{y^2}{n^2}}$

Quo majorem feceris a, eo magis modicis faves fortunis ; et contra : ita ut si $a = o$, obtineas formulam proportionalem $\frac{y}{n}$. Quamdiu autem a superet o, utut crescant reditus y, nunquam habebis $x = \frac{y}{n}$ etsi infinite accedas.

2. In faciendis computationibus, accepimus *statistica* elementa (*les données*) tributi *progressivi* quod in Borussia censui imperatur. Lege ista cives, pro terminis (inferiore et superiore) inter quos eorum census continetur, in 26 distribuuntur classes, quibus varium imponitur tributum, donec perveniatur ad eos qui possideant plus quam annua 100.000 M. [1]. Hi enim conferre jubentur 4 p. c. : in qua quantitate, ut maxima, jam deinceps sistitur. Habes hic nonnullos gradus et onera.

Reditus	*Tributum* [2]	*Reditus*	*Tributum*
900 — 1050 M.	6 M.	2400 — 2700	44
1050 — 1200 »	9 »	2700 — 3000	52
1200 — 1350 »	12 »	3000 — 3300	60
1350 — 1500 »	16 »	3300 — 3600	70
1500 — 1650 »	21 »	3600 — 3900	80
1650 — 1800 »	26 »	3900 — 4200	92
1800 — 2100 »	31 »	4200 — 4500	104
2100 — 2400 »	36 »	4500 — 5000	118

etc. A 100.000 — ∞ exigitur 4 p. c.

Reditus qui haerent infra 900 M. omni eximuntur tributo. Iis denique civibus qui ex pietatis officiis erga filios, parentes, etc. peculiaria sustinent onera, tributum aliqua parte levatur, dummodo eorum census haereat infra 9500 M.

3. Si observaveris quot numero in singulis classibus reperti sint reditus in Borussia, anno 1897-98 ; et quanta ex iis conflata

---

[1] M. Hac litera designamus monetam germanicam cui nomen Mark et quae respondet fere 1,25 fr.

[2] Numeri huic vocabulo suppositi exhibent annuum vectigal toti censui impositum et non ei solum parti quae terminum superat inferiorem. Aliis verbis, quibus v. gr. est reditus 1075 M. imperantur 9 M., non autem 9 + 6.

sit publica pecunia, sine difficultate invenias singulis classibus hanc respondere mediam quantitatem redituum atque ita aestimari posse ratam partem quam conferre jubentur:

Reditus [1]	*Quot sint numero*	*Quantam vim faciant redituum*	*Quid aerario exinde acquisitum, in anno 1897-98*	*Media quantitas proprorum redituum*	*Exactio tionalis*
900— 1200 M.	1281 × 1000	1318,2 × 1000000 M.	9,1 × 1000000 M.	1030	0,7 p. c.
1200— 3000 »	1144 »	2019,5 » »	28,6* » »	1765	1,4 »
3000— 6000 »	217 »	888,9 » »	20,1 » »	4100	2,3 »
6000— 9500 »	60 »	444,6 » »	12,1 » »	7415	2,5 »
9500— 30500 »	50 »	765,9 » »	23 » »	15310	3,0 »
30500—100000 »	10 »	491,8 » »	17 » »	49180	3,5 »
100000— ∞ »	2 »	445,5 » »	17 » »	222750	3,8 »
Summae	2764 »	6374,6 » »	126,9 » »		

N. B. Systema istud est generis *proprie progressivi*, cum major pars redituum et collecti aeris publici inaequali subjiciatur oneri.

4. Idem publicum vectigal haberetur ope proportionalis exactionis qua solidis reditibus superantibus 900 M. imperaretur 1,99 p. c. Si vero omnium velles immunem facere primam partem, 900 M., necesse foret, ad obtinendam circiter eamdem annuam summam, exigere 3, 2 p. c. a reliquis reditibus. Fac autem advertas, admissa illa immunitate, jam hoc solo induci veram rationem progressionis quae solidos afficiat reditus. Res constat consideranti 900 M. esse totius summae redituum partem eo minorem quo major fuerit tota summa.

5. Si, in supraposita formula, faceres $a = 70$, sumeresque ut limitem 4 p. c., systema progressionis continuae daret Borussiae eumdem quem nunc habet proventum tributorum, sed magis parceretur parvis reditibus.

Dum enim 1030 solvebant 60 M., hac ratione conferrent 2,5;
Et dum 1765 » 26 » » » » 20,7.
E contrario, 4100, quae conferebant 92, jam conferrent 99,3 M.

Si terminum 5 p. c. substituas termino 4 p. c., possis facere $a = 200$ et aerario tamen fere eamdem colligere summam. Tum autem 1030 ferrent tantum 1,50; 1765, 14. Vides ergo, ut dicebamus supra, n. 119_4, levamen istud non esse spernendum.

---

[1] Quae quatuor prioribus exhibentur versibus *(colonnes)*, mutuati sumus ab *Handwörterbuch* Conrad v° *Einkommensteuer* (Deutschland).

QUAESTIUNCULAE RESIDUAE

QUAESTIUNCULA I. De obligatione capessendi militiam

121. Quaeret quispiam num **militiae obligatio** vere dici possit **tributum?** Plures ex oeconomistis id negant, qui tamen satis aestuare videntur in definiendo genere obligationis [1].

Et revera, si presse accipias vocabulum *tributi,* cum nulla tribuenda sit pecunia, non videtur ad militiam convenire. Si autem *formalem* obligationis militandi consideraveris rationem, eamdem esse reperies ac solvendi tributi. Est enim praestatio quaedam onerosa civibus in bonum commune imposita. Quare apte cum theologis ad genus tributi refertur, nec errat vulgus in nomine *tributi sanguinis (impôt du sang).*

122. Non parva hodie movetur quaestio de **facultate se redimendi pecunia ab hoc onere.**

1. a) Non pauci, inter quos DD. Beernaert et Cauwès (n. 1217), contendunt facultatem istam repugnare rationi ejus obligationis, utpote quae esset stricte personalis.

b) Alii existimant legem qua copia fiat quaerendi auro aliquem qui loco tuo fiat miles adversari distributivae justitiae, cum pauperes hujusmodi beneficio sint exclusi.

2. Verum enimvero ipsa vanitas argumentorum quibus utraque sententia defenditur, jam demonstrat eas parum valere.

a) Qua enim ratione dixeris obligationem militandi esse personalem?

Quatenus *omnes cives* teneantur per se pro virili parte conferre patriae securitati et incolumitati? — Non minus tenentur conjunctis viribus tribuere operam interiori paci ac prosperitati et omni boni communis rationi.

---

[1] Exemplo sit Cauwès n. 1217. « C'est une charge civique d'un caractère particulier. »

Quia tamen constat non esse opus ut cives haec praestent immediate ac per se ipsos, quo pacto ex illa generali obligatione efficias oportere ut omnes tendant in castra ?

Quatenus lege definiatur *certus numerus civium* qui sint conscribendi ? — Inde non sequitur eos ipsos qui v. gr. sorte designantur debere mereri stipendia. Quidni enim prohibentur conducere alium qui pro se id libenter praestet, dummodo definito numero adsint milites ?

Quatenus obligatio *ita de se adhaereret personae*, ut haec non posset per alium solvere istud debitum ? — Desideratur argumentum quo probetur dictum minime de se evidens [1]. Nam si munus alendi filios potest a patrefamilias permitti aliis exsequendum qui fide sint digni, qua ratione omnis mandatarii electio hic diceretur de se illicita ?

b) Ad alterum quod attinet assertum, seu objectam iniquitatem distributionis, non longe a vero distarent, si, pecunia soluta, ita ditiores fierent immunes ut alii *cogerentur* ipsorum loco dare nomen. Sed cum res ad *voluntarium* contractum *locati-conducti* recidat, unde nihilo pejor fit conditio pauperum, qui potius ibi habent non spernendam honesti lucri occasionem, non est hic invidiae locus nisi illi quam gignit iniquum odium alienae felicitatis et falsa aequalitatis ratio.

Addas non solis divitibus hanc prodesse facultatem, cum multae mediocres familiae hoc modo servarint filium sibi valde utilem vel adeo necessarium.

Addas hodie ita animos esse comparatos ut fere hac sola ratione servari possit legitima immunitas clericorum.

Allaborandum est ergo potius, ut, remotis erroribus ac praejudiciis, non jam in ceterorum contemptu vivere cogantur ii qui pretio conducti aliorum loco fiunt milites.

---

[1] Inde constat quam inani utantur ratiocinio, cum sic fere arguunt: Nefas est in alium rejicere onus personale. *A.* Hujusmodi est obligatio militandi. *E.* — Etenim neganda est major, nisi accipias onus personale de onere quod, ob peculiarem rationem, ipse per teipsum sustinere debeas et sic bis idem formaliter dicas (*tautologie*). Minor autem continet petitionem principii.

Justissima enim moveri possunt causa pietatis, etc.; et si fas est nec indecorum, lucri causa *honoribus* fungi militaribus, quomodo turpitudini foret, propter honestam mercedem, voluntarium *gregariae* militiae onus subire ?

Si tamen generalior facultas civibus fieri possit quaerendi sibi vicarium *(un substitut)* idoneum, iis conditionibus quae magis omnibus pateant : hujusmodi lex, ob ipsam suam aequitatem, apprime fuerit commendanda.

123. Ut nunc positive et praecise de ipsa re dicamus, huc redit quaestio. Utrum necne bonum commune, finis ob quem copiae comparantur, obtineri nequit quin cogantur cives per se ipsi fieri milites. Si res ita se habent, praevaletque utilitas obligationis personalis incommodis quae jure ac merito timentur, per legem onus tanquam personale civium cervicibus imponi potest. Sin autem, *debet* lex, nedum *possit*, permittere ut ex electo vicario allevetur onus. Quandoquidem tenet illud principium : ultra quam fert necessitas non potest auctoritas politica onere gravare cives.

Atque hic agitur de onere omnium gravissimo, quo libertate sua quamplurimi privantur cives et in publicam quamdam etsi temporaneam traduntur servitutem.

124. Satis astipulamur theologis qui arbitrantur **parum aequam** esse *per se* [1] istius tributi **distributionem.** Ab iis enim solis exigitur familiis quae prole masculina donantur ; et de compensando ipsis hoc onere saepe ne cogitat quidem legislator. Oporteret certe, si quid opinamur, ut qui dare nequeunt personas, pecuniam majorem conferrent qua impensis militaribus consuleretur, ut sic, quantum fieri potest, magis aequabiliter in omnes incumberet obligatio consulendi huic procurationi communi.

---

[1] *Per se*, inquam. Etenim si communiter distributio illius oneris existimetur justa, non possis « practice, » ob persuasionem paucorum, etsi veriorem, mutare illam formam vel exigere compensationem. Quare tunc *aequo animo*, ex studio boni communis, erit ferenda illa inaequalitas quae, quia vitari nequit, non jam formaliter repugnabit justitiae.

Ratio sarciendi damni etiam haec iniri potest ut conscriptis militibus congruum solvatur stipendium. Probanda ergo est lex belgica quae, abhinc aliquot annis, majus statuit salarium militibus, iis certe qui humilioris sunt conditionis. Omnes tamen, etiam ditiores, ad aequam compensationem videntur per se jus habere.

QUAESTIUNCULA II. Quomodo hodiernis tributorum legibus teneatur conscientia

Marrès, op. cit. n. 191-225; *Waffelaert*, op. cit. II, n. 414-425; *Crolly*, *Disputationes theologicae de justitia et jure*, vol. 3 n. 1001-1023, praeter laudatos auctores in initio hujus capitis.

125. Cur de hac materia scribamus. Quamvis nostrum non sit ex professo, more *casuistarum*, ad varietatem casuum mentem appellere, a nostro tamen proposito non declinabimus, si de conscientiae obligatione ea pauca observaverimus quae juvent intellectum doctorum injiciantque modum prudenter solvendi dubia.

Distincte agamus de tributis presse acceptis et de militia.

DE TRIBUTIS STRICTE ACCEPTIS.

126. I. Improbantur quaedam minus recte dicta.

1. In primis advertendum est nimis, hoc seculo, mutatam esse rationem tum decernendi tum partiendi tributa, ut *conclusionibus* quae superioris actatis doctoribus, etsi primi subsellii [1], placebant tuto fidere possimus, nisi simul constet rationes eorum ad hodierna etiam adjuncta convenire.

2. Minime astipulari possumus sententiae R. D. MARRÈS [2], qui obligationem tributorum a tacita pactione inter populum et gubernium arbitratur repetendam.

« Theologi, ita ipse, jam communissima sententia illud docebant. » — Sed quam frustra in hac re appelletur veterum auctoritas, facile patescet haec perpendenti: a) Quum scholastici doctores

---

[1] Suarez, C. de Lugo, S. Alphonso. Plura tamen sapientissime scripsit Molina quae praesentem retinent utilitatem.

[2] Op. cit. n. 196.

mentionem faciunt contractus, ipsi vel de tributis cogitant profectis a pactione « feudali », qua Princeps, sub certa pensione annua, concesserat emphyteusim bonorum ab initio ad suam sustentationem applicatorum [1], vel hanc genericam tributis affingunt rationem quasi essent « debitum alendi et sustentandi onera regis [2]. » Quod hodie de maxima tributorum parte dici nequit. b) Nihilominus tamen hoc statuunt principium: tributa eo modo deberi quo justa lex obligaret ut solvantur [3]; et concedunt fieri posse ut lex ista foret mere poenalis [4]. Quod si ita res se habent, quid jam efficit illa pactionis allegata ratio? Nonne jam cum Suarez l. c. fatendum est rem revocari ad communes regulas de obligatione legum et « nihil speciale in hoc habere leges tributorum [5]? »

« Hanc obligationem, pergit R. D. Marrès, ex tacito contractu natam esse, multo majore certitudine in jure recentiore quam in jure antiquo.... ostenditur, idque propter partes quae secundum pactum fundamentale in publicis expensis decernendis populo obveniunt. »

Id plane commenticium arbitramur. Etenim: a) Hodie abierunt speciales istae causae ob quas antiquitus quaedam tributa videbantur stipendii proprie talis induere rationem. Et dum olim magis ad scopum jam definitum exigebantur vectigalia, nunc ad probabilem exactionum proventum accommodantur impendia publica; nec minimum subest periculum ne, denegato tributo, in regem vel ministros incumbant solvenda debita: sed, deficiente aerario, potius ipsis sumptibus parcetur. b) Perperam omnino arguitur ex partibus quae populo obveniunt in publicis expensis decernendis. Partes enim istae in hoc sunt, ut populus suo suffragio eligat deputatos sine quorum consensu neve imponi possent vectigalia, neve aes publicum in aliquem impendi finem. Jam vero, exinde nihil habetur. Nam, praeterquam quod multi sunt cives qui suffragii jure carent: α) Nemo, dum suffragium fert, conscius sibi est obligationis quam ex justitia susciperet solvendi vectigalia; β) Nec, ut vidimus in thesi 6, deputati proprie dicto funguntur mandato; γ) Ideo quaedam partes concessae sunt populo ut onera aequiore ferret animo sibique cavere posset ab nimiis vel injustis exactionibus, minime autem ut augeretur obligatio solvendi; δ) Ratio qua tributa sint solvenda, debet talis indicari quae cadat in omnem tributorum speciem, dum ea quam refellimus non aptatur praestationibus personalibus, v. gr. militiae. An dices ex quasi-contractu teneri cives ad nomen dandum in militiam?

[1] Suarez, *De Legibus*, l. 5, c. 13, n. 2.
[2] Ibidem n. 9.
[3] J. de Lugo, d. 36, n. 39.
[4] Suarez, l. c. n. 6.
[5] Ibidem.

Nec firmiorem nobis videtur cl. auctor afferre rationem, commemorando civilem actionem quae fisco competit ad exigendas definitas partes tributorum. Civilis enim actio bene moveri potest, etsi debitum strictae justitiae non oriatur nisi post sententiam judicis. Ita plures mulctae, ita pecunia quae solvenda est ob damnum illatum in bonis animae vel corporis qua talis [1], stricte non debentur nisi post sententiam judicis [2]; et tamen civili actione petuntur.

Revera ergo, nullus agnosci potest *quasi-contractus* qui proprius sit hujus materiae tributorum; sola autem virtualis pactio quae intercedit inter populum et principes seu magistratus huc spectat, ut hi teneantur ex justitia bene procurare rempublicam, obtineant vero ipsius imperii honores et jura; populus autem reciprocis astringatur officiis legalis justitiae.

Quae ceterum jura imperantium plane sufficiunt, cum, ubi opus fuerit, valeat legislator ipsam inducere obligationem commutativae justitiae. Cfr. thes. 4.

3. Habemus quidem ut sententiam probabilem illam quae excusat cives a solvendis tributis quorum justitia ipsis sit positive dubia.

Nihilominus assentiri non possumus iis qui existimant non pauca hodie tributa ejus esse quantitatis vel distributionis, ut eorum iniquitas sit solide probabilis.

Profecto rem non evincunt eo quod ratiocinando aliquod fortasse patefecerint vigentis systematis vitium, vel nimia esse demonstraverint impendia quae fiunt v. gr. in rem militarem. Si enim qui praesunt rebus publicis versantur *practice* in morali necessitate perstandi in his sumptibus faciendis, cives ob bonum commune aequo animo tolerare debent onera, etiam quae per se sint graviora quam par est (Cfr. thesim 5).

Jam vero, nonne hujus moralis necessitatis indicia habemus sat manifesta? Sin aliter, quomodo explices ubique gentium vectigalia fere eamdem adaequare quantitatem, et parum variare

---

[1] Hoc addimus, quia detrimentum in bonis fortunae quod saepe manat ex laesione famae vel corporis compensandum est nulla exspectata sententia.

[2] Imo Ill. D. WAFFELAERT, n. 423 autumat ex obedientia tantum solvendam esse mulctam quam justa sententia judicis imposuit defraudanti tributa.

cum partibus quae praevalent in civitate? Addas, si quae sit nimietas, publicum tamen esse usum eorum quae impenduntur, neque opes absumi, ut interdum olim, privatis tyranni cujuspiam deliciis.

4. Paucis expedienda sunt *bina argumenta*, satis captiosa, quae non mediocriter movere solent viros seculares, ita ut mirentur theologos qui dubiam habeant obligationem conscientiae vel adeo justitiae necessitatem. Sunt autem hujusmodi:

a) Qui defraudat civitatem ea parte tributorum quae ipsi per legem erat indicta, *naturali* deest officio conferendi de suo ad communes impensas. *E.* Reus est peccati contra justitiam *legalem*.

b) Dum ipse suam negat contributionem, rejicit onus in alios qui exinde coguntur plus solvere. *E.* Aliis civibus videtur injuriosus, ita ut committat in justitiam *commutativam*.

R. ad a) *Dist. antec.* Ipse naturali deest officio, quoad illa conscientiae obligatio urgetur justa lege, vel quatenus, defraudata ista vectigalium parte, civitas non valeret necessariis sufficere sumptibus, *C.* Aliter, *nego*.

Per se quidem officium conferendi de suo continetur iis quos rationabilis lex praestituit terminis. Verum, hodie praesertim, lex valde rationabilis potest mere ad poenam obligare. Potestati enim publicae non desunt alia media seu exterior vis et efficacia quibus abundanter aerario provideat efficiatque ut per se omnes aeque solvant; ex parte autem subditorum, multi sunt qui parvi pendunt conscientiae reatum, ita ut vinculum conscientiae videretur bonos cives ad deteriorem adducere conditionem quam improbos.

Confirmatur responsum. Immunitas illa, quam ex sua fraude aliquis *per accidens* reportat, assimulari potest rationabili privilegio, cujus justissima causa non est quidem aliquod promeritum deceptoris, sed utilitas temperandi legem, minuendi peccata, atque aequandi civium jura.

Ubi autem defecerit obligatio ex lege positiva, supra, in thesi 4, vidimus opus esse publica necessitate ut de se consistant officia justitiae legalis. Quocirca, deficiente lege

humana, ex sola aerarii indigentia firmatur aliqua conscientiae obligatio.

N. B. Praeterea, commodum quod ex dolo sperare possis plerumque non afficit nisi minimam partem vectigalium, ita ut, computatis iis quae detrectare non valebis, etiam ob hanc rationem existimandus sis officium naturale non deseruisse.

Ad b) *Dist. ant.* Ipse rejicit onus in alios, negligendo officium commutativae justitiae seu faciendo aliis injuriam, *nego;* Rejicit onus in alios, non tamen violando commutativam justitiam, *transm. Dist. pariter conseq.* — Is enim solus reus est injuriae qui *per injuriam* causa est cur alii magis solvere debeant.

Sin minus, injuriae damnare possis eum qui consulto abstinet his rebus consumendis quae tributo gravantur. Abfuit autem injuria, cum nullo teneretur debito commutativae justitiae.

Mere transmisimus alteram distinctionis partem, quia, in tanta copia tributorum, quorumdam fraudes nullatenus augent aliorum contributiones.

Si velis *extra formam* idem confirmare ratione quae, licet magis vulgaris, pluribus fortasse magis ad persuadendum est accommodata, dicere possis, per legem pure poenalem omnibus sub disjunctione proponi sustinendum consuetum vectigal vel periculum mulctae; omnibus integrum esse illud adire discrimen, eosque quibus res secus acciderit longe majore pecunia privari. Quid ergo conqueramur nonnullos quibus favit fortuna aliquo frui beneficio quod aliorum poena compensatur?

127. II. **Sententiarum diversitas.** Revera in varias ac diversas abiere sententias recentiores auctores; in qua opinionum varietate suspicari fas est coeli seu regionis influxum.

Ita, post plures alios Germaniae doctores, R. P. Lehmkuhl, quod attinet certe ad tributa directa, omnium severissimam tuetur doctrinam, qua qui legitime jussus non eum declarat valorem bonorum quem solent probi manifestare, violaret ipsam commutativam justitiam [1].

[1] *Theol. mor.* I, 981, 984.

R. D. Marrès, qui in Hollandia scribit, tum demum ex commutativa obligat ad solvenda tributa, postquam pars qua tua gravantur bona legaliter fuerit definita. Declarandi autem bona, eo quo probi solent facere modo, non est, secundum ipsum, nisi obligatio quam tribuit virtuti obedientiae, cui, cum juramentum exigitur, — ut in Hollandia ab haereditatem accipientibus, — accedit religionis debitum [1].

In Belgio, Ill. D. Waffelaert satis consentit doctrinae et argumentis R^i D^i Marrès, nisi quod concedit leges esse mere poenales « qua parte declarationem imponunt [2] ».

Alteri auctori Belgae, Génicot S. J., verisimile videtur leges tributorum esse mere poenales [3].

Haec sententia complures patronos habet in Italia, ut R. D. Berardi [4], R. P. Bucceroni S. J. [5], R. P. Palmieri S. J. [6]. Placet etiam Crolly in Anglia [7].

C. Gousset [8] severius respondit in Gallia. Gury potius abstinet aliqua sententia promenda [9], ut ipse Konings in America. Is tamen in benigniorem propendet sententiam.

Ut de ipsis auctoribus quid proferamus, nullus nobis videtur insimulandus nimiae severitatis vel benignitatis. Sed dissensio quam inter eos observavimus duabus potissimum attribuenda est causis : diversis moribus legislatoris et variae populorum persuasioni.

In quibusdam enim regionibus, v. gr. in Gallia, legislator aperte profitetur indifferentismum, flocci facit reatum coram Deo, omnia *civili vinculo* fundare contendit. Vix tunc apparet quomodo ejus praecepta positiva obligarent conscientiam. Cfr. Konings n. 178 et 818.

In aliis contra, ut in Germania, Hollandia, divinam legum sanctionem minime parvipendit potestas publica. Ipsa populi persuasio quandoque, ut in Belgio, propensa

---

[1] *De Justitia*, I, n. 196, 197, 199, 209.
[2] Op. cit. II, 421. Cfr. 419-421.
[3] *Theol. mor.* I, 574.
[4] *Praxis Confess.* 1651, 3155.
[5] *Institutiones Theol. mor.* De Legibus, n. 81.
[6] In notis ad opus morale Ballerini S. J. De Legibus, n. 154.
[7] *Disputationes theologicae de Justitia et Jure*, n. 1001-1023. Cfr. praesertim a 1017.
[8] *Theol. mor.* I, 999.
[9] *Compendium theol. mor.* I, 737-744. Hanc quaestionem plane omittit Carrière.

est ad habendas hujusmodi leges ut mere poenales, dum alibi opinio quae negat directam conscientiae obligationem offendit piorum animos. Jamvero consuetudo est optima legum interpres.

Quare censemus oportere ut in sua quisque regione patrios, ex probatis, adeat auctores et caute accipiat quae ab extraneis in hac re definiuntur.

128. III. **Conclusiones generales.** Quaedam tamen subjicienda sunt de iis quae *generatim* statui possint.

a) Ubique *probabiliter* teneri potest, « jus strictum fisco oriri solum postquam commissarius regius quotam definiverit atque solvendam civi imposuerit. » Ita ipse R. P. Lehmkuhl, I, 984 nota 1.

b) Ubique etiam adhortandi sunt cives ut pro more in regione recepto solvant tributa.

c) Qui eis tantum partibus tributorum defraudat fiscum quibus solent ipsi timorati, — ut apud nos dissimulatur verum [1] pretium quo venditus est ager, summa quae haereditate alicui obvenit, — non est *hac de causa* alicujus peccati insimulandus. Hac inquam de causa : non enim fas est malis uti artibus, v. gr. mendaciis.

d) Nisi — quod raro autumamus usu venire, — satis constet injustitia legis, certo in commutativam committit justitiam qui corrumpit exactores tributorum vel eos *vi* ac *minis* prohibet ne munere suo fungantur exigendi tributum.

Etenim, etiamsi lex pro mere poenali habetur, fisco tamen negari non potest jus sumendi quod lege justa debetur. Quod jus violatur per vim vel corruptelas eorum qui ex officio tenentur utilitati reipublicae in hac re prospicere.

Quid autem si bona occultaveris, vel officiales deceperis sive mendaciis sive, quod pejus est, perjuriis ?

---

[1] Observes, ob receptum morem, ne mendacii quidem reatum inesse declarationi pretii inferioris.

R. P. Lehmkuhl [1] has artes non tantum illicitas reputat, verum inter injusta ponit media. Alii contra, ut Ill. D. Waffelaert [2], Crolly [3], Génicot [4], posita lege poenali, solam violentiam vel corruptelas arbitrantur esse injusta.

Posteriori sententiae astipulamur. In hypothesi enim in qua ratiocinamur, quae est legis mere poenalis, respublica contenta est solo jure occupandi hanc mei patrimonii partem quae lege vectigalium ipsi est tribuenda. Illud autem jus non violatur per actionem quae directe afficiat bona : haec enim nondum sunt ejus qui velit illa occupare ; nec per simplex mendacium, quod de se non adversatur nisi veritati et cujus efficacia non spoliat communitatem aliqua re jam sua.

Solutio ceterum confirmatur aliis exemplis. Sive feram occultaveris, vel mendacio eluseris persequentem venatorem ; sive bona tua absconderis ne pauper, extrema pressus necessitate, ea sibi usurpet, ususque fueris perjurio ad ipsum decipiendum : nemo est qui te strictae arguat injuriae. Nonne tamen venator et pauper simili pollent jure occupandi feram vel bona tua, atque illud quod ex poenali sua lege sibi respublica comparavit ?

Aïes, cur tunc injustitiae damnatur haeres ex lege qui mendacio decipit aegrotum ita ut is, certa fretus spe salutis, non condat testamentum in alterius gratiam ?

Ratio discriminis est, quia aegrotus ille prohibetur mendacio ne disponat de re sua : quod est stricte ipsi injuriosum ; et ipse qui scriptus fuisset legatarius rigorosum habet jus ne a consequendo bono impediatur per injuriam eo fine donatori irrogatam. Mendax ergo non propriam hic servat rem, sed alienam invadit. Cfr. Crolly, n. 1020.

[1] Op. cit. I, 985.
[2] Op. cit. II, 418.
[3] Op. cit. 1020, 1021.
[4] L. c.

DE MILITIA.

129. I. Status quaestionis definitur. 1. Nemo est qui contendat civem, nisi a gubernio conductum, *directe* ex commutativa teneri ad onus istud sustinendum, sed alii arbitrantur hujusmodi leges esse mere poenales, alii urgent debitum justitiae legalis vel obedientiae.

Quaestio de commutativa justitia tunc primo oritur quando quis *per exemptionem illicite obtentam* causa est cur alter jubeatur esse in castris.

Neque ambigitur illum *per se* committere injuriam qui, postquam pretio se locavit ut miles fieret pro altero, hunc adigit, deserendo castra, ad novos sumptus faciendos, ni malit subire militiam.

Haec, utpote plana, a nobis omitti possunt; sed de eo qui non conductus declinat istam obligationem pauca supersunt dicenda.

130. II. Quae satis in hac re constent. Rursus hic R. D. Marrès invenit quamdam contractus rationem ob quam ad omnium severissimam adducitur sententiam. In regnis ubi juvenum delectus habetur mediante quadam sortitione, « Hi juvenes, ait cl. auctor [1], onus omnibus universim impositum *contractu aleatorio* ita inter se dividere jubentur, ut nonnulli eo onere tantum graventur, ceteri vero sint liberi; juvenes igitur sortem ducentes stipulationes hujus taciti contractus, cum onerosus sit, ex stricta justitia servare debent. »

Verum, pace dixerim docti viri, aliud est legislatorem sibi sorte assumere milites, aliud inter ipsos juvenes intercessisse aleatoriam pactionem. Privati eorum consensus in pactionem non magis est vestigium quam habetur conscientia. Quod lex suppleat eorum consensum ad eos obligandos ac si se mutua obstrinxerint pactione: aliquid est tam mirum atque insolitum, ut sine clarissimis rationibus non sit concedendum. Omni autem argumentorum genere plane destituitur singularis illa opinio. Hac ergo neglecta:

Pro certo habemus, cum communi sententia, *eum non peccare contra commutativam*, etsi indirecte causa fuerit cur alius militare cogatur:

a) Qui arte se subduxerit ipsi sortitioni;

---

[1] Op. cit. n. 225.

b) Qui sorte designatus se ineptum fecerit militiae, vel morbos mentitus est ac decepit medicos vel officiales delectui praepositos ;

c) Qui fraudis suae socium conquisierit medicum privatum, non publice conductum.

Ratio est, quia nec fine intento nec modo usurpato injuriosus est in Titium qui in ipsius locum sufficitur. *Fine* non est injuriosus, cum mere voluerit exuere jugum quod non debebat ferre ex commutativa justitia. Neque est *usurpato modo*. Modus iste enim, etsi illicitus, non continet injuriam factam Titio, qui, plerumque plane ignotus, in nulla re sua vel bono suo patitur aliquam vim, nec jus probare posset suum exigendi ut alter, ob praevisum ipsius detrimentum, abstineret proprio quaerendo commodo.

Verum, e contrario, *is procul dubio peccat in virtutem commutativae justitiae*, qui fraude vel arte efficit ut conscribatur aliquis qui ex lege est simpliciter exemptus, v. gr. ob infirmitatem. Atque, nostra sententia, injuriae etiam reus est qui corrumpit officiales non ut se vel amicum liberaret, sed eo fine ut onus imponeretur alteri juveni qui sorte non est vocatus. Prior solutio ex eo constat, quia qui lege est simpliciter immunis, injuriose privatur sua libertate. Alteram exinde probamus, quia jus est uniuscujusque ne actio quae praevidetur ipsi noxia fiat ex fine ipsi afferendi damnum.

131. III. **Quaestio controversa.** Restat ergo unum. Quid, si, absque intentione alicui contraria, corruperis publice conductos medicos vel magistratus ut te immunem pronuncient, etsi certo noverint fore ut alius loco tuo jubeatur subire onus ?

Plerique strictae injuriae damnant officiales et medicos, ac consequenter corruptorem qui eorum culpae est auctor principalis. De efficacia probationis dubitat R. P. Lehmkuhl [1]. Eam negat Ill. D. Waffelaert [2].

---

[1] Op. cit. I, 988.
[2] Op. cit. II, 443.

Rationes quae communiori favent sententiae eae sunt : a) Distributor tenetur ex stricta justitia eam inire rationem distributionis quae lege est statuta. *A.* Officiales isti vel medici, dum indebite aliquem eximunt assumuntque alterum, rationem hanc pervertunt. *E.* b) Qui ex lege non cogitur militare, strictum jus habet ad servandam libertatem. Quod jus violatur dum locum tenere jubetur alterius qui immerito vacatione donetur. *Cfrmtr.* ex eo quod nemo ab injuria excusaret exactorem tributorum qui, unius deminuendo vectigal, alterius illegitime augeret.

His, quae non spernenda sunt, argumentis reponitur : a) Hoc ambigi utrum magistratus proprie susceperint partes distribuendi militiae onus inter juvenes, ita ut erga hos ex justitia teneantur ordinem sequi lege praestitutum, nullumque praeterire idoneum qui sorte designetur ad militandum ; an nulla altera astringantur justitiae obligatione nisi prospiciendi communitati ut huic praesto sint apte delecti milites. Etenim, sicut indici potest concursus sine obligatione strictae justitiae eligendi digniorem, ita etiam haec ratio conscriptionis adhiberi potest ut ii quibus sors fuerit secunda, nullo fruantur stricto jure exemptionis. b) Qui de se idoneus est, non est absolute liber sed sub *conditione :* modo jam ex aliis militiae patientibus sufficiens conscribatur exercitus. Unus ex his si defecerit, quacumque de causa, proxime sequens obligatur. Medici ergo, quando proxime sequentem declarant habilem ad merendum, non peccant contra justitiam, sed munere suo funguntur ; quatenus autem ineptum mentiti sunt priorem, huic quidem illicite favent, sed an injuste ? Respublica, quae eos conduxit, non patitur damnum : suos habebit quos volebat milites. Intentione nocendi non moventur : mere intendunt beneficium alicujus qui potest sine *injuria* etiam mendaciis se oneri eripere. Tenenturne ex stricta justitia abstinere cooperatione ad actum de se non injustum ?

Ut paucis *nostram* aperiamus *sententiam : Magistratus* qui

ita fecerint non valemus ab injustitiae peccato excusare. Quod attinet ad *medicos*, consideranda nobis videtur quae provincia fuerit ipsis commissa. Si medici inter eos fuerint qui suo suffragio dirimunt singulorum causam, vere nobis videntur onus commune distribuere. Quod si, idoneum rejiciendo, alterum assumunt qui secus immunis abiisset, pervertunt reapse distributionis rationem qualis lege erat indicta nec se injuriae reatu liberare possunt.

Si vero mere testimonium *(certificat)* de idoneis vel inhabilibus dare debent, quod dein sit documento iis qui de re statuunt, ab injuria excusamus eos qui juvenibus falsos affingunt morbos. Fac enim per legem juvenibus licere ut quemlibet adeant medicum qui de ipsorum valetudine testetur : nemo injuriae tunc argueret eum qui mendaci scriptura alicujus fraudi cooperaretur, cum nullo peculiari justitiae officio teneretur erga alterum juvenem cui indirecte nocet prioris immunitas. Quod autem nunc non possent adiri nisi pauci a gubernio designati, id factum est ad rationes tuendas reipublicae, ne haec idoneis careret militibus ; ipsis autem juvenibus non magis quam priore casu isti medici obligantur, nisi forte specialiter spondere debeant fore ut aequas partes tenerent inter omnes.

Denique, etiam si medici arguendi sunt injuriae, ipsi juvenes tamen niti poterunt probabili hujusmodi legis injustitia, ad artes istas aliquo modo excusandas ; quippe quae recidere videantur in aliquem modum se ab injusta redimendi vexatione.

QUAESTIO QUARTA
DE VITIO INJUSTITIAE & RESTITUTIONE

CONSPECTUS QUAESTIONIS

132. Ordine nunc agendum nobis foret de jure proprietatis et de pluribus capitibus quae propria sunt commutativae justitiae. Sed priusquam in una justitiae specie commoremur, praestat communem tribus speciebus et breviorem quae superest habere quaestionem de opposito vitio injustitiae.

De quo vitio tria nobis eligimus argumenta, ita ut :

Prima disputatio sit de **generali istius vitii ratione** ;

Secunda de **effato : scienti et consentienti non fit injuria.**

Tertia demum de **natura et radicibus restitutionis.**

CAPUT I

DE VITIO INJUSTITIAE

S. Thomae II. II q. 59 ; ***Molina***, tr. 1, d. 9 et 10 ; ***Lessius***, c. 7, d. 1 et 2 ; ***J. de Lugo***, s. 1, d. 8, s. 1 et d. 34 ; ***Waffelaert***, II, 2 et 404.

ARTICULUS I. **Formula et argumenta sententiae**

THESIS VIII

Justitiae tum legali tum particulari opponitur injustitia, quae est vitium speciale, cujus actus est ex genere suo peccatum mortale.

133. I. **Status quaestionis.** EXPLICANTUR VOCES.

Justitiae tum legali tum particulari. Quo altero nomine

intelligimus utramque ejus speciem : *distributivam* et *commutativam.*

Opponitur injustitia, quae est vitium. Vitium morale dicimus, qui est *habitus malus rectae rationi dissentaneus* [1]. Ut habitus, dicit dispositionem stabilem subjecti [2]. Non omnis ergo qui facit injustum, vitio injustitiae est infectus. Imo, quia fine diverso a formali inhonestate injustitiae, v. gr. a cupiditate, ira, odio, generatim allicitur voluntas ut eligat injustum, raro, ut asserit S. Thomas, reperitur in homine vitium injustitiae, licet frequentissimi sint actus injustitiae. Cfr. II. II, q. 59, art. 2, c. 8, ad 2.

Speciale, quatenus non est mera denominatio communis omnis peccati, vel ejus conditio generalis, sed vitium est inclinans ad peccatum specie distinctum a peccatis quae aliis virtutibus opponuntur.

Nec injustitia ipsa est unica specie, sed ut quoddam genus refertur ad inferiora sua, quae, ut ex supra traditis liquet, erunt injustitia *illegalis* et injustitia *particularis.* Haec rursus sub se continet *acceptionem personarum,* oppositam justitiae *distributivae;* et injustitiam quae adversatur *commutativae,* cujus actus proprie dicitur *injuria.*

Cujus actus, qui ex lege divina prohibente fit peccatum.

Ex genere suo est mortale peccatum. — Ex genere suo seu *per se,* quando quis non excusatur vel parvitate materiae vel defectu deliberationis.

134. II. **Probatur thesis.**

1. Ex S. Scriptura, potissimum quod attinet ad injustitiam commutativam.

Etenim, non tantum in *epistola ad Rom.* XIII, 7, Apostolus generatim hortatur fideles ut omnibus redderent debita, sed saepissime in literis sacris ita vetantur vel carpuntur peccata, praesertim contra justitiam commutativam, ut non raro conceptis verbis declarentur mor-

---

[1] Schiffini *Ethica,* n. 91.
[2] I. II. q. 49, art. 2 ad 3.

talia. Cfr. *Exod.* XX, 13-17, ubi promulgatur Decalogus confirmatus *Evang. Math.* XIX, 17, 18 « si vis ad vitam ingredi serva mandata » ; gravem admonitionem Apost. I. *Cor.* VI. 9, 10 ; I. *Thessal.* IV. 6, etc. Legenti autem constat peccata illa haberi ut specialia.

2. Ex ratione.

a) ***Injustitia est vitium speciale.***

1m Arg. Virtuti vitium est contrarium.

A. Virtus justitiae, juxta triplicem suam rationem, est secundum essentiam specialis ; et huic opponitur vitium injustitiae.

E. Vitium injustitiae est speciale.

2m Arg. Agere *in contemptum* debiti boni communis, violare jura *alterius personae* privatae, habent in se specialem rationem inhonestatis, non communem omnibus peccatis secundum horum formalem rationem. **E.** Vitium quod ad ea formaliter inclinet, injustitia, est speciale.

b) ***Ejus actus est peccatum mortale ex genere suo.***

1m Arg. Mortale est, ex genere suo, omne peccatum quod ex se adversatur positive charitati, quae est vita animae, ita ut de se destruat vinculum amicitiae inter homines.

A. Injustitiae peccatum, ex se adversatur hoc modo charitati. *E.*

Prob. min. Charitati moventi nos ut proximo velimus bonum, ex se adversatur hoc modo actus quo positive infertur alteri nocumentum, aut jus denegatur. *E.* (S. Th. hic q. 59, art. 4.)

2m Arg. particulare de injustitia « illegali. »

Ex se gravem affert deordinationem contemptus formalis et practicus boni maximi et necessarii.

A. Haec est malitia specialis illegalis injustitiae. *E.*

135. III. Difficultates.

N. B. Haec nostra positio non videtur serio impugnari posse. Eas ergo proponemus difficultates quas angelicus Doctor sibi opposuit, ut earum solutione perficiatur intellectus doctrinae.

1. INJUSTITIA NON EST VITIUM SPECIALE. Etenim : a) « Omne peccatum est iniquitas. » I Joan. III, 4.

R. Quatenus omne peccatum est contra legem divinam, bonum divinum ; et sic nomen meretur injustitiae, *C.* Quatenus omnis *ratio* peccati esset contra justitiam legalem vel particularem, *nego.* Aliqua ratione, sed non omni ratione peccaminosa peccatum adversatur bono communi.

b) Nullum speciale peccatum opponitur omnibus virtutibus. *A.* Injustitia opponitur omnibus virtutibus. *E.*

R. D. maj. per se et directe, *C.* Per accidens et indirecte, quatenus attingat materiam omnium virtutum, sed speciali sua ratione, *N. Cdt. min.* Injustitia opponitur omnibus virtutibus *directe : nego.* Non enim omnis ratio peccati est injustitia. Injustitia opponitur omnibus virtutibus *indirecte, conc.* vel *transm.*

Nam in operationibus exterioribus quae pertinent ad alias virtutes, oportet etiam attendere ad rectum ordinem ad proximum. Qui si violatur, in illa materia reperietur etiam injustitia particularis. Legalis vero aderit quando contemnetur bonum commune ad quod imperative pertinebat actus alius virtutis.

c) Injustitia et justitia est in voluntate ; et omne peccatum est in voluntate. *E.* omne peccatum est injustitia.

R. Ad 1^rum part. antecedentis : Injustitia est in voluntate, *D. antec.* tanquam habitus inhaerens voluntati, et proprium objectum respiciens, *C.* tanquam habitus respiciens omnem materiam quam voluntas attingit, *N.*

Ad 2^am part. Omne peccatum est in voluntate : *D. antec.* quatenus voluntas se extendit ad omnem materiam moralem, cum regat imperio passiones et operationes exteriores ; et proin quatenus ratio peccati inest in actu per denominationem ad voluntatem, *C.* quatenus quodvis peccatum foret actus voluntatis, *N.*

2. NON EST PECCATUM MORTALE EX GENERE SUO.

a) *Contra argumentum :* Charitas est mater omnium virtutum ; *E.* peccatum contrarium cuilibet virtuti repugnat charitati. *A.* non omne peccatum est mortale ex genere suo, *E.* non ideo quia contrarium est charitati

potest peccatum injustitiae statui mortale. II. II, q. 59, art. 4, 3ª Diff.

Et respondet S. Th. *negando 1m consequens.* Nam ex eo quod charitas sit mater omnium virtutum, sequitur tantum non esse ex charitate quodvis peccatum, non vero quodvis peccatum directe et positive charitati repugnare.

b) Magis nocet alicui qui eum inducit ad peccatum veniale. *E.* Si, ex nocumento alteri illato, sequeretur peccatum contra justitiam esse mortale, a fortiori esset mortale inducere aliquem ad peccandum venialiter. *A.* hoc est falsum. *E.*

R. D. antec. Magis nocet et eadem ratione, *N.* diversa, *C.* Nempe *volens* quis inducitur ad peccandum venialiter ; *nolens* patitur injustum.

ARTICULUS III. **Supplementa Doctrinae**

SCHOLIA.

136. De Injustitia illegali, seu quae contraria est virtuti legalis justitiae, plura occurrunt observanda.

a) FONTES PECCATI. Illius injustitiae reatus oriri potest tum ex lege humana obligante in conscientia, tum ex necessario nexu quem actio vel omissio habet de se cum bono communi. Id aperte sequitur ex dictis in thesi de legali justitia.

b) SPECIFICATIO. Porro, reatus iste potest virtuti justitiae legalis adversari oppositione mere *generica* vel etiam *speciali.* Ut hoc fiat manifestum, recolere oportet virtutem istam esse quidem essentia specialem, generalem tamen materia, ita ut actus imperet omnium virtutum eosque faciat necessarios. Hoc posito :

α) Si quis, dum committit in legem quamdam, mere advertat se violare praescriptionem factam ob bonum commune, ipsius peccatum *specificam* mutuabitur rationem ab ordine particularis virtutis cujus imperabatur actus. Omiserit, v. gr. sacrum die dominica : peccatum adversatur *religioni;* neglexerit patri praestare quae lege jubeba-

tur: *impietatis* est arguendus. Contrarietas autem qua peccatum istud adversatur *legali* justitiae non est nisi generica, quae distincte explicatur accusata specie quam modo declaravimus. Non est enim haec malitia « quasi parallela » et juxta-posita malitiae contra particularem virtutem religionis vel pietatis, sed ipsa hac specie ut genus comprehenditur. Re quidem vera, omissio sacri etc. ideo peccatum est, et non alia de causa, quia est quidam modus perrumpendi aliquod praescriptum ob bonum commune. Qui ergo dixerit : *omisi sacrum die festo,* ambo haec simul profert : *violavi jussum* ob bonum commune, et *tali modo.* Si vero, accusata omissione sacri, vellet aliquis *praeterea* accusare malitiam qua repugnat justitiae legali, *bis* unam eamdemque accusaret malitiam, fere sicut dicendo *quercus* (arbor talis speciei) et *arbor* (genus), bis arboris faceres mentionem.

Atque haec est vera ratio, ni fallimur, cur, secundum commune placitum auctorum, declarato peccato contra virtutem particularem, taceri possit, in sacramento Poenitentiae, de violata justitia legali. Cfr. Lessium c. 7, n. 2 ; C. de Lugo d. 1, n. 65 et Billuart de *Jure et Justitia*, d. 6, art. 1. Minus nobis probatur modus dicendi Molinae, Tr. 1, d. 9.

Neque alia de causa videtur S. Thomas [1] statuere hujusmodi peccatum non esse nisi *materialiter* contrarium justitiae legali. In sua enim cum specifica differentia compositione, genus habetur pro materia.

N. B. Omni peccato insunt aliae nonnullae malitiae tanquam rationes communes ad ejus pertinentes essentiam. Ita « per quamlibet speciem peccati mortalis homo transgreditur aliquod praeceptum divinum [2] », graviter violat charitatem ad Deum.

De istis malitiis perinde est dicendum ac de generica contrarietate justitiae legali.

[1] II. II, q. 79, art. 2, c. et ad 1.
[2] II. II, q. 79, art. 2.

β) Si neglectio legis humanae, *ob peculiaria adjuncta,* grave detrimentum afferat bono communi, ipsa infert alteram eamque gravem specialis virtutis offensionem, quae a justitia legali originem habet, nec intelligitur declarata priore transgressione. Secluso enim omni praecepto humano, vetamur ne bono communi noceamus. Moralis illa necessitas posthaberi nequit sine laesione alterius *specialis* virtutis, qualis est charitas.

γ) Denique, si quis *moveatur* ad peccatum *contemptu boni communis*, seu ideo violet legem ut faciat contra rempublicam, tunc *formaliter* peccat contra justitiam legalem. Tunc actus seu peccatum, praeter genericam oppositionem bono communi, continet *specialem,* quae hac oppositione tanquam forma sua vestitur. Apposite S. Thomas [1] : « Sicut ad propriam rationem justitiae legalis pertinet attendere debitum... ita ad propriam rationem transgressionis pertinet attendere contemptum ; » et antea : « (Injustitia illegalis) secundum essentiam est speciale vitium, in quantum respicit speciale objectum, scilicet bonum commune quod contemnit. »

c) GENERALITAS. Quia autem ex contemptu boni communis, homo ad omnia peccata deducitur, injustitia illegalis dicitur generalis *secundum intentionem.* S. Th. ibid.

d) QUID SI AGAS CONTRA BONUM COMMUNE PRIVATAE COMMUNITATIS ? Minus nobis placet quod asserit C. de Lugo, d. 1, n. 66, ubi inducit peccatum contra quamdam justitiam legalem minus proprie dictam, quod committeretur agendo contra bonum commune alicujus specialis ac privatae communitatis cujus quis fuerit membrum. Sed, ut nobis videtur, vel privatis relationibus et specialibus virtutibus totum finitur, vel quemadmodum potestas publica, si quae viget in illa communitate, communicatur a societate perfecta (Ecclesia aut Statu), peccata contra hoc bonum commune sunt contra justitiam legalem

[1] Ibidem et q. 59, art. 1.

proprie dictam, materialiter aut formaliter sumptam. Nobis consentit R. D. Pottier, op. cit. d. 3, n. 37.

137. De acceptione personarum.

Vitium repugnans justitiae distributivae dicitur *acceptio personarum*. In hoc consistit, ut in distributione bonorum communium aliquis attendat ad *impertinentes* conditiones personarum et non mere ad eas quae pro rei natura aliquem dignum vel indignum faciunt. Sed, cum agitur de *muneribus* quae in bonum publicum gerenda sunt, princeps (seu magistratus) ratione officii sui obligatur justitia *commutativa* erga Rempublicam ad illa *dignis* saltem committenda. Erga *digniores* qui praetermittuntur, per se laeditur justitia *distributiva*, nisi tamen munera unice ad bonum commune sint ordinata [1], dum pleraque, secundario quidem, conferuntur in gratiam eorum quibus obtingunt. Prioris rationis autumat Ill. D. Waffelaert [2] esse ecclesiastica officia et beneficia ; alterius rationis civilia nostra. Imo possit distributor teneri justitia commutativa erga digniorem praetermissum : a) si sub onerosa conditione, puta concursus, promittitur candidatis optimi electio ; b) si supremus distributor obligaverit inferiores distributores ex justitia commutativa erga candidatos, ut optimum eligerent. (R. P. Lehmkuhl. I. 971.) Non statim tamen atque adest concursus, posse evinci strictam justitiae obligationem, probat controversia exposita apud R. P. Lehmhuhl [3].

138. Latior etiam est quaedam **acceptio injustitiae**, qua privatio gratiae sanctificantis vocatur *injustitia ;*

Cfr. de Lugo, d. 34, n. 16.

[2] De Just. II. 406.

[3] *Theologia moralis* I. 972. Res huc redit. Potest indici concursus ita ut inter praemii collatorem et concurrentes ineatur contractus de praemio ei qui vicerit conferendo ; potest etiam eo fine constitui illud certamen, ut iis qui digni sunt copia fiat probandi suum meritum. Concurrentes tunc contenti sunt spe quam habent in fide et aequitate Praelati seu Principis de obtinendo, si vicerint, munere, dummodo nulla peculiaris obstiterit ratio.

quaecumque autem culpabilis legis transgressio, quodcumque peccatum, *iniquitas*.

139. Confirmatio ex loco Apostoli. Ne forte mireris gravitatem peccati contra *justitiam* desumi ex offensione *caritatis*, Apostolus ipse simili argumentatione usus videtur, cum in epist. *ad Rom.*, XIII. 9 dicat, « Nam : non adulterabis : Non occides : Non furaberis : Non falsum testimonium dices : Non concupisces : et si quod est aliud mandatum, *in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum.* »

CAPUT II

DE CONSENSU QUO TOLLITUR INJURIA

S. Thomae II. II, q. 59 art. 3 et in l. 5 *Ethic.* c. 9 ; ***J. D. Scot***, in IV Sent. d. 15, q. 2 ; ***Molina***, Tr. I, d. 11 ; ***Lessius***, c. 7, d. 3 ; ***J. de Lugo***, d. 8, s. 1 ; ***Carrière***, *De justitia et jure* nº 705-714 ; ***Waffelaert***, op. cit. II. 5 ; ***Crolly***, *Disputationes theologicae de justitia et jure*, III, nº 7-15 ; ***Pottier***, op. cit., d. 2, s. 2, c. 5, n. 68-77.

ARTICULUS I. **Prima constitutio quaestionis**

140. Quaestionis definitio et partes. 1. Superius, n. 30, vidimus neminem posse sibi esse injuriosum, i. e. *a seipso formalem* pati injuriam. Quaerimus nunc utrum *ex facto alieno* quod libens feras, possis proprie injuriá affici, an nequeat etiam *alterius* actio esse *tibi volenti* injuriosa.

Plana est generalis responsio, quae utriusque juris effato, *scienti et consentienti non fit injuria*, exhiberi simul et confirmari potest.

2. Minus autem constat, quousque valeat istud effatum seu quibusnam se contineat finibus.

De ipso deinde consensu quo aufertur injuria utiliter hodie inquiritur, qualis sit oportet : utrum quilibet suffi-

ciat assensus etiam quem dederis invitus, an ille solum qui nullo involuntario, ut aiunt, sit mixtus.

Huic denique quaestioni haec altera satis est affinis, quousque fiat injuria ei qui est invitus sed *non rationabiliter ;* aliis verbis, quae rationabilis causa permittat rem alienam invito domino invadere.

De tribus istis, sive in thesi sive in supplementis, nonnihil dicere nobis in animo est.

141. Variae sententiae. 1. Quod attinet ad *ambitum effati,* S. Thomas, Molina, Lessius, ll. cc. illud probant nullâ adhibita correctione. C. de Lugo aliquatenus circumscribit ejus vim postulando voluntatem quae civiliter sit valida. Lessius tamen jam plures commemorat qui efficaciam consensus contrahebant ad ea in quibus jure nostro cedere possemus. Ipse redarguit hanc sententiam. Nihilominus plures ex recentioribus, ut Carrière, Ill. D. Waffelaert, eam secuti sunt, qui proinde laudatum effatum ita autumant perficiendum : « *Efficaciter et valide* consentienti non fit injuria. » Alii tamen, quos melius dicere opinamur, rejiciunt has exceptiones. Ita RR. DD. Crolly et Pottier.

2. *Consensus* autem quo aufertur injuria, a Molina talis perhibetur qui etiam *secundum quid* sit voluntarius, seu qui detur cum plena scientia et plena voluntate. Nec puto *theoretice* aliquem repugnare. *Practice* tamen saepissime neglecta fuit illa conditio, quum nostris diebus nihil fuerit frequentius quam audire qui, qualicumque praetexto consensu, injuste facta conarentur excusare.

3. Minus exploratum est *tertium punctum.* Plerique rem silentio praetereunt, ita ut ipsorum solutiones practicae certis destituantur principiis. Qui argumentum nonnihil versant, ut Carrière n° 983, hanc potius statuunt regulam : non posse juste rem sumi invito domino, nisi cum is *ex justitia* teneatur consentire. In praxi tamen multum de isto rigore remitti fatetur ipse laudatus auctor.

ARTICULUS II. **Formula et argumenta conclusionis**

THESIS IX

Sine exceptione obtinet illud: « Scienti et consentienti non fit injuria. » R. J. 27 in 60. Cfr. l. 145 D. De h. I.

142. I. Status quaestionis. 1. POSITIO ATTINET ad veritatem et vim effati quod regulis Juris tum canonici tum civilis est propositum. Contendimus illud universaliter valere.

Ut bene percipiatur significatio asserti, oportet ante oculos sibi ponere actionem de se injustam: emptionem infra justum pretium, contumeliam, laesionem alieni corporis. Statuimus per consensum illius cujus jus invaditur auferri notam injuriae qua secus contra ipsum peccaretur: non quasi illa actio fiat semper licita vel saltem justa; multo minus adhuc, quasi agens jus acquirat illam faciendi; sed quia actio illa nequit esse formaliter injusta in ordine ad eum qui praestitit consensum. Bene notandae sunt istae distinctiones, ne ex confusione sumatur ansa errandi.

2. EXPONUNTUR VOCES, cum cetera jam constent.

Scienti. Impune haec vox omitti possit in effato, in quod intexta est fortasse quia in R. J. ita exhibetur: « Scienti et consentienti non fit injuria neque dolus, » et vocabulo *dolus* magis respondet vox *scienti*. Sensus tunc foret: nec dolus fit scienti, nec injuria consentienti.

Si vero malueris utrique voci propriam assignare vim, *scientia* excludit ignorantiam et inadvertentiam; *consensus* excludit impedimenta voluntatis.

Et consentienti. Consensum intelligimus: a) moraliter *ultroneum*, h. e. nulla *ignorantia*, nullo *metu* vitiatum, nullave *necessitate* extortum; et quidem b) *positivum*, non mere negativam permissionem alicujus non obsistentis vel non fugientis. — Consensus insuper c) ferri debet non in effectum, v. gr. mortis quae sit in votis, sed *in ipsam actionem* qua nocumentum infertur. Hanc tamen

approbare non debet consentiens, verum satis est ut nolit aliquid obstare *ex parte sui juris* [1], ut si alicui, te occidere parato, dixeris: « Ad minuendum tuum reatum, nolo meum opponere jus ad vitam, et ex hac parte non repugno. » — Ponimus tandem d) consensum *perseverantem;* non raro enim, in rebus illicitis, manet consentienti perpetua facultas revocandi consensum.

Requiritur insuper ut consensus detur *a persona naturaliter habili.* Consensus enim personae amentis vel infantis est moraliter nullus.

Non fit injuria. Iterum monemus a nobis non dici talem actionem evadere licitam; multo minus jus esse acquisitum illam faciendi; sed auferri ab illa actione saltem *malitiam objectivam injuriae* (contra commutativam) *quoad consentientem.*

Objectivam, inquio, malitiam; nam, v. gr., faciens ex ignorantia istius consensus adhuc subjective potest esse formaliter reus injustitiae.

Observes, si velis apte loqui, *injuriam* accipiendam esse pro actione *formaliter* violante alterius jus, dum *injustum* dicitur tum materialiter, tum formaliter. Ceterum, sive *vis* adhibeatur sive *fraus* vel dolus, — qui duo modi sunt injuriae, — in idem recidit.

143. II. **Probatio thesis.**

Sine exceptione obtinet principium quod cum rei essentia cohaeret.

A. Cum essentia injuriae cohaeret illud: consentienti non fit injuria.

E. Sine exceptione obtinet.

Probatur minor per eadem ratiocinia quae manifestant effati veritatem. Bina haec proponemus, quorum prius mutuamur a S. Thoma.

1) Non fit injuria formaliter ei qui non patitur injuriam. Aliis verbis, ut actio sit *terminative* injuriosa, opus est eam in termino recipi ut injuriam.

[1] Cfr. C. de Lugo, d. 8, n. 14.

A. Non patitur injuriam qui modo quo diximus consentit. *E.*

Probatur minor. Repugnat ut aliquis secundum idem sit agens et patiens (S. Th. art. 3, c.).

A. Circa actionem quae fit secundum nostram voluntatem, qualis est illa cui consentimus, magis sumus agentes quam patientes. Voluntas enim est nobis principium agendi.

E. Repugnat ut circa illam actionem simus patientes. Prius autem est pati actionem quam illam pati ut injuriosam.

Confirmatur, quia si voluntas illa sit jubentis, consentiens, ut principalis auctor actionis, omnem actionis reatum, proindeque injuriae malitiam, si quae fuerit, participare debeat. Aliunde tamen constat quod nemo possit sibi facere injuriam.

2) Injuria dicit actionem repugnantem juri actu consistenti.

A. Nequit actu consistere jus illius qui plane consentit in actionem. *E.*

Prob. min. Non consistit actu jus ultra quam ratio fert juris : quae est ut servetur personalis hominis independentia. Sed haec plane servatur, quamdiu protegitur proprietas hominis aliquatenus inviti; intacta autem manet per omnem actionem cui quis libere consentit.

E. Actio hujusmodi non adversatur juri actu consistenti.

Confirmatur, quia injuria est quaedam moralis violentia, quae esse nequit sine aliqua saltem interpretativa repugnatione illius qui eam sustinet.

144. III. **Difficultates.**

1. CONSENSUS ILLIUS CUJUS JUS INVADITUR NEQUIT RATIONEM INJURIAE AUFERRE. Etenim :

a) Is respectu cujus receditur ab aequalitate patitur formaliter injuriam. *A.* Consensus illius cujus jus invaditur non impedit quin respectu ejus recedatur ab aequalitate. *E.*

R. Conc. maj. Neg. min. Nam per illum consensum mutatur aequalitas, cum res (lato sensu) possideantur per voluntatem (S. Th. hic ad 1). Aequalitas de quâ fit sermo, est illa quae debetur secundum jus. (Cfr. n. 17.) Sed ei qui positive voluerit non uti jure, nihil jam est debitum secundum jus.

b) Nullus facit injustum nisi alicui patienti injustum. *E.* si quis *velit* facere injustum, sive alter consentiat sive non, is patietur injustum.

R. Nisi alicui patienti *quasi-materialiter* vel *formaliter* injustum, *C.* formaliter, *subdist.* ut supra.

Si unus paciscentium observaverit alterum utentem fraude et dolo, et interne consentiat, licet is qui utitur fraude injustum formaliter faciat, ipse non patitur nisi quasi-materialiter. Et contra, ut advertit S. Thomas, qui ignorans facit injustum, materialiter facit contra aliquem qui, si invitus fuerit, patietur formaliter.

c) Qui latroni numerat promissam pecuniam, volens facit, et tamen patitur injuriam. *E.*

R. Vult sed voluntario quod miscetur involuntario ex metu.

2. EFFICACIA ISTIUS CONSENSUS NON EST UNIVERSALIS. Etenim :

a) « Sunt casus, in quibus homo jus suum cedere nequit. Sic natura postulat ut jus conjugale sit prorsus inalienabile. » (Gury I. n. 600.) *A.* tunc consensus est irritus. *E.* non impedit quin injuriam quis patiatur.

R. Nego suppositum. Apparet hic confusio quae multis fuit causa errandi. Minime, ad effectum de quo agitur, opus est juris alienatione, sed sufficit non usus actualis.

Inst. A. Neque valide potest illi usui renunciari.

Etenim Innocentius XI damnavit hanc propos. sub n. 50 : « Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium. » Gury, ibid.

R. Damnatur propositio asserens illam copulam evadere meram fornicationem, ut patet ex fine : « adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum, » *C.*, damnatur

propositio asserens illam copulam esse adulterium alterius rationis, *N.*

Quamvis enim arbitremur adulterium commissum consentiente altero conjuge specifice differre ab adulterio commisso sine isto consensu, minime tamen illud assimulamus simplici fornicationi. Triplex obstat violatio : vinculi, sacramenti et, saepe certe, jurium legitimae prolis. Cfr. J. de Lugo, n. 10.

b) Punitur a Deo et saepe a lege humana qui seipsum interimit, vel alterum consentientum.

R. Ut injustus sibi vel huic alteri, *N.*, ut injustus Deo et civitati, ut deserens alia officia, *C.*

In homicidio quod committitur annuente, imo postulante eo qui perimitur, manet reatus qui separari nequit a suicidio.

c) Pupillus patitur injuriam formalem, si retinueris ipsius rem quam tibi volens tradiderit, cum absque voluntate tutoris nequeat valide donare. *E.*

R. D. maj. Pupillus ille patitur injuriam quamdiu consentit ut res sit apud te, *N.*, postquam, mutata voluntate, velit eam rursus habere, *C.*

Praeterea observes nos jam hic versari extra suppositum. Agimus enim de persona quae sit sui juris, seu quae per propriam voluntatem possideat suas res. Objicitur aliquis cujus voluntas, ex lege positiva, per voluntatem tutoris est supplenda in ordine ad exercitium jurium.

Ceterum, dummodo voluntas sit *naturaliter* habilis, adhuc obtinet principium. Effectus enim irritantis legis civilis in hoc recidit ut nulla sit translatio juris ; sed, quamdiu perseverat consensus illius de cujus naturali constat capacitate, nulla ipsi fiet injuria. Quare neque astipulamur C. de Lugo, dum is excipit casum civilis incapacitatis.

Inst. Fieri tamen posset ut lex humana plenissime irritaret pupilli voluntatem et positive prohiberet ex justitia ne aliquid a pupillo acciperetur. *A.* Quod lex humana potuit facere in gratiam pupilli, idem circa cujuslibet voluntatem effecit lex naturalis in ordine ad quaedam jura.

R. Transmissa majore, nego minorem. Nam id minime probatur. Insuper haec dispositio, quia universalis, mutaret ipsam juris rationem, dum exceptio cujus causa est specialis cujusdam voluntatis imbecillitas, hanc rationem intactam servat. Hoc est *per accidens ;* alterum foret *per se.*

ARTICULUS III. **Doctrinae supplementa**

I. ***COROLLARIA.***

145. « **Injustum per se et formaliter loquendo, nullus potest facere nisi volens, nec pati nisi nolens.** » S. Th. II. II. q. 59, art. 3. Prius patet, quia cum humani actus principium proprium sit voluntas, quod quis facit praeter voluntatem, non facit proprie et per se (cfr. S. Th. ibidem, art. 2). Alterum est modo demonstratum.

Sed etsi in utroque casu desinit injuria, in priore casu, cum repugnare valeat subjectum juris, potest in actione manere objectiva moralitas injustitiae, quae non participatur ob subjectivam excusationem facientis; dum in altero casu, sublata juris resistentia, minus proprie tantum actio diceretur materialiter injusta.

146. Cur consensus requiratur moraliter ultroneus. Argumenta facta bene ostendunt ab actione quae de se est juris laesiva non tolli notam injuriae nisi consensus sit spontaneus. Etenim ille cujus voluntas *secundum quid* repugnat, habet unde patiatur (argum. 1), nec sufficiens foret personalis « independentia » quae mere protegeretur contra vim extrinsecam non autem contra moralem coactionem (arg. 2).

Addi possit juris abdicationem vel non usum bene comparari cum donatione: donatio autem requirit intentionem liberalitatis et postulat *de se* motum magis ultroneum voluntatis. Cfr. J. D. Scotum, l. c. n. 24.

Apprime autem distinguendi sunt latro qui vitae parcit condicta pecunia, et vir probus cui viator promisit pecuniam ut opem sibi ferret. Auxiliator, dum stipendium istud poscit, nihil de se injustum exigit. Quare haec species est aliena a praesenti argumento.

II. ***SCHOLIA.***

147. Licet **Christus**, Rex Martyrum, et plures **Martyres** libenter oppetierint mortem, non constat tamen eos ita cessisse jure suo ad vitam, ut abstulerint a facinore inimi-

corum hanc malitiam injuriae in ipsos. Hoc tamen licite fieret, ad minuendum peccatum alterius, qui inde nulla ratione ad peccandum evaderet animosior (cfr. C. de Lugo, d. 8, n. 7, 14).

148. Alii casus. Neque significatur abdicatio juris per *argumenta amicitiae* et blanditias, quae probant tantum condonationem secundum praeceptum vel consilium evangelicum. Affectus enim caritatis secundum quem « dimittimus debitoribus nostris » componi potest cum ordinata juris vindicatione.

Nec tandem praetereumdum est discrimen inter consensum in actionem damnosam et *abdicationem juris ad compensationem* quod ex injuria nascitur. Saepe v. gr. parentes nolunt a filiis damnum aliquod sarciri, qui tamen prorsus inviti erant quominus damno isto afficerentur. Cfr. C. de Lugo d. 8, n. 8.

149. Occasiones abutendi hoc nostro effato praebent praesertim contractus in quibus iniquum statuitur pretium sive emptionis sive locationis alicujus rei sive conductionis operarum. Cfr. *Encycl. Rerum Novarum,* loco qui explicabitur post thesim de justo pretio.

PARERGON

DE ABLATIONE REI ALIENAE INVITO IRRATIONABILITER DOMINO.

150. Quaestionis objectum. Ad essentiam furti seu injuriosae acceptionis rei alienae pertinet ut res auferatur *invito rationabiliter domino.* Ita respondent ad unum omnes theologi. Quum autem pressius interrogantur quomodo intelligenda sit illa non rationabilis domini reclamatio, « non invenimus, ait Carrière [1], illius sensum satis explicatum apud auctores. »

[1] Op. cit. n. 983.

Quaeritur etenim, utrum satis sit ut dominus *aliquo titulo* teneatur ad rem relinquendam, an opus sit ut obligetur *ex justitia commutativa :* qui posterior modus dicendi videtur non paucis placere. Cfr. 141_3.

151. Difficultas. Non tamen quadrat istud principium ad responsa communiter recepta apud eos qui scribunt de practica theologia. Ut enim modo praetereamus casum pauperis extreme indigentis, — qui diversam fert explicationem, cum alii asserant divitem teneri justitiae officio ad levandam talem inopiam, alii eum ex justitia non obligent nisi ad non reluctandum, — profecto pater non debet ex justitia filium alere secundum decentem suum statum ; etiam minus ex justitia obligatur maritus ad opitulandum familiae suae uxoris. Permittunt tamen theologi ut tum filius tum uxor clam sumant ex bonis parentum vel mariti unde utrique prospiciant fini, nisi forte propriis non careant bonis.

Quocirca censemus severius quam par est a te responsum iri, si postulares in domino officium justitiae.

Aliunde tamen non satis est si dominus teneatur quali-cumque titulo rem concedere. Quis enim permittat pauperi qui premitur necessitate simpliciter gravi notabilem eripere diviti summam? Quis copiam faciat *extraneae* personae prohibendi dominum inutilibus vel effusis sumptibus ?

152. Aditus solutionis. Sed si ulterius investigaveris cur haec non liceant, aditus nobis videtur comparari ad genuinum propositae quaestionis responsum. Illicita enim haec praedicantur quia, etsi dominus non sit rationabilis dum negligit charitatis officium vel prodige bona sua largitur, rationabiliter tamen est invitus quominus vel pauperes, excepta extrema necessitate, ipsius invadant bona, vel extraneus se interponat ipsius administrandis rebus [1]. Nec difficile foret demonstrare, rectum ordinem

---

[1] Cfr. Carriere l. c., Billuart, *De justitia*, diss. XI, art 5 in fine; R. P. Cathrein, *Moralphilosophie*, P. 2, s. 1, l. 4, III, § 4 nota.

turbatum iri si his de causis honestaretur rei alienae usurpatio.

153. Solutio. Quae cum ita sint, mediam arbitramur tenendam viam, quam hoc modo definimus. Fas est rem inviti domini invadere, quando prudenter aestimatur nullam esse rationabilem causam, etiam consideratâ illa invasione, cur dominus indigne ferret factum.

Sic commode explicantur quae modo dicebamus de filio et de uxore qui, quoniam arctius cum patrefamilias conjunguntur, facilius excusationem habent quod se in ejus locum substituant ; nec minus facile intelligitur cur, saepius quam extranea, possit persona domestica quasdam adhibere artes ne dominus rebus suis male abutatur.

Ad hanc confirmationem, quae ex factis sumitur, accedit argumentum *a priori*. Jus enim est facultas rectae rationi consentanea. Talis facultatis non videtur aliquis efficaciter urgere posse hunc usum qui omni prorsus sit destitutus ratione.

154. Corollarium et principium generale. Quod si ita res se habent, supra dicti casus de mendico extreme indigente, de filio et de uxore, haud absimilis videntur esse rationis ; atque ad unam revocantur speciem. In tribus casibus, jus quod manet domino in rebus suis non potest ab ipso urgeri ; exclusio istarum personarum ab his bonis foret plane irrationabilis, ita ut ne de modo quidem, quo eadem sumunt non permissae, merito conquereretur dominus : quare rem tractare possunt ut non occupatam, quod attinet ad usum quem de re facere velint. Quo usu facto, rem valide ac legitime fecerunt suam.

Itaque, ut jam paucis proferamus regulam de qua quaerebamus : *Regulariter loquendo dominus rationabiliter est invitus quominus alter rem ipsius invadat, nisi ex justitia eam dare teneatur. Justis tamen exceptionibus, moraliter pensandis, locum dant : extrema sumentis necessitas, conjunctio personae, quandoque evidens et urgens utilitas ejus cujus inviti*

geritur negotium : ut si hominem ad horam iratum, etiam aliqua coactione adhibita, magno prohibeas abusu.

CAPUT III

DE RESTITUTIONE

S. Thomae II. II, q. 62; ***Cajetanus***, in II. II, q. 62 art. 2; ***J. D. Scot***, in IV Sent. d. 15, q. 2; ***Molina***, tr. 2, d. 714 et ss. praesertim, d. 714-617; ***Vasquez***, Opusc. *de Restitutione*, c. 1, opusc. *de Beneficiis*, c 2, d. 17; ***Lessius***, c. 1 a n. 23; ***J. de Lugo***, d. 1 a n. 51 et d. 8; ***Carrière***, 1021-1032 et 1103; ***Waffelaert***, II, 222-230; ***Pottier***, Diss. 2, s. 2, c. 4 n. 25.

ARTICULUS I. Aditus disputationis

155. Notio restitutionis. 1. Nomine restitutionis, ex propria vi vocis, demonstratur aliquis actus redintegrandi seu rursus statuendi in pristinum.

Porro *duplex* agnoscitur *restitutionis genus : personae* et *rei*.

2. Alterum, quod directe afficit *personam,* est alicujus redintegratio in statum vel in jus quo excesserat. Haec est *restitutio in integrum.* Sic, beneficio Principis, elapso termino appellationis vel praescriptionis, adhuc hodie, saltem in jure canonico, aliquis restituitur in integrum, ut valeat nihilominus appellare, agere in judicio; sic, legis beneficio, minor, post contractum damnosum, restituitur in integrum, ita ut contractum negligere possit. De hoc restitutionis genere nunc non agitur.

3. Alterum genus respicit *rem* quae cuipiam, *ob* hujus *permanens jus,* est aliquo modo reddenda. Unde, teste Vasq. l. c., omnes consentiunt S. Th., hic, art. 1, dicenti : « Restituere nihil aliud esse videtur quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suae. » Hanc unice consideramus restitutionem.

Sic intellecta, *latiore sensu* quaevis solutio debiti solvendi ex justitia dicitur restitutio : quasi res alteri debita jam censeatur hujus esse [1]. Ipse contractus est tunc quaedam radix restitutionis. Cfr. Lessium c. 7, n. 20.

Strictiore sensu est « redditio illius quod per laesionem injustam, saltem materialiter, ablatum est; redditio, inquam, illius sive in se, sive saltem in aequivalenti » (de Lugo l. c.); vel « damni injuria dati redintegratio. » C. d'Annibale, *Summula theol. mor.* II, 195, 3ª edit.

4. Restitutio differt a *solutione*, cujus est quaedam species ; sed *solvendo*, formaliter in hoc mere intenditur ut debita fiat praestatio non autem ut alter recuperet suum.

Est etiam quaedam ratio *satisfactionis*, nam latissime sumitur satisfactio pro quacunque observatione praecepti (de Lugo l. c.). Pressius tamen satisfactio magis respicit ad *personam*, cui praestat quod satis est ut nulla oriatur vel conservetur causa rationabilis querelae. Quare satisfit pro injuria, restituitur pro damno illato; Deo proprie nihil restituitur, cum nihil ipsi auferri possit, nec restituitur pro damno irreparabili; dum satisfactio et Deo et pro damno irreparabili exhibetur. (Less. c. 7, n. 18.)

156. Disputationis objectum. Sententiae. 1. De quatuor dicemus : de *natura* restitutionis, de *virtute qua imperatur*, de ejus *radicibus*, de ejus *mensura*. Inter se tamen conjungemus bina priora et bina posteriora objecta, ita ut totum caput bipartito distribuamus.

2. Ceterum, in praesentia magis tentamus veritatem illustrare quam dirimere controversiam, cum hoc unum tantum, idque olim, in disputationem ceciderit, utrum ex sola commutativa justitia an etiam ex distributiva manare possit obligatio restitutionis.

S. Thomas non videtur hoc punctum attigisse, nisi quod nobis aliquod negotium facessunt verba quibus,

[1] de Lugo, d. 8, n. 17.

l. c. art. 1 ad 3, tacite agnoscit restitutionem faciendam ab iniquo distributore. Et revera Cajetanus l. c., Molina [1], Vasquez [2] contenderunt etiam eum restitutione teneri qui partes deseruisset justitiae mere distributivae : iniqua enim personarum acceptione induci inaequalitatem quae per restitutionem esset auferenda ; ideoque distributorem personali teneri obligatione sarciendi damnum suo illatum delicto.

Longe tamen communior etiam Thomistarum sententia negat ex acceptione personarum, *qua tali,* manare obligationem restituendi. Quae erit etiam nostra positio.

Cum autem venitur ad rationes, tales non raro proponuntur quae desiderium injiciant efficacioris argumenti. Plerique enim, cum C. de Lugo, ex eo arguunt quod restitutio ex laesa distributiva justitia esset impossibilis : sive ex bonis communibus, cum haec jam per distributionem ad privatos pertinerent ; sive ex propriis distribuentis, cum ageretur de debito communi. Sed sic non videntur rem perficere aut solvere contrarias rationes. Supponunt enim, sed non probant, validam fuisse attributionem, nequicquam repugnante distributiva justitia ; supponunt debitum manere commune, cum adversarii existiment debitum, non minus quam peccatum, factum esse proprium iniqui distributoris.

Quare vulgare argumentum videtur nonnihil expoliendum.

---

[1] D. 714, n. 1.

[2] *De restitutione,* c. 1, n. 6, 8 ; *De beneficiis,* c. 2, n. 117. Minus mirabimur opinionem Vasquez, quippe qui dubitare videatur differantne essentialiter inter se distributiva justitia et commutativa. Cfr. in I. II, d. ult. n. 54.

ARTICULUS II. **Formula et argumenta conclusionis**

§ 1. *De natura restitutionis et virtute qua imperatur*

THESIS X

Restitutio est semper actus commutativae justitiae*[1]*, cujus obligatio a laesa justitia commutativa solummodo proficiscitur.

157. Status quaest. 1. INTENTIO HUJUS PARTIS. Duplicem hac thesi tuemur positionem. Prius enim proponimus, restitutionem ut *actum* semper pertinere ad justitiam commutativam, ita ut, undecumque oriatur obligatio restituendi, illi satisfiat per actum justitiae commutativae ; deinde fontem obligationis *remotum* seu *genericum* statuimus esse aliquam laesionem justitiae commutativae, simul negando posse ex alia virtute officium istud originem habere.

2. EXPLICANTUR VOCES.

Restitutio, stricte accepta pro redditione illius quod injuste ablatum est,

Est semper actus commutativae justitiae. Hanc ergo exercet qui restituit ; hanc violat qui debitam restitutionem omittit.

Cujus obligatio, quatenus jure naturae consistit. Potest enim etiam oriri *ex lege* vel *pacto.*

A laesa justitia commutativa. Ita eam volumus laesam, ut aliquis *formaliter passus* sit injustum (cfr. n. 145), aliis verbis, eam intelligimus injustitiam objectivam, quam invitus aliquis sustinet.

Solummodo proficiscitur. Sensus ergo non est per *omnem* commutativae justitiae laesionem induci hanc obligationem, sed per aliquam saltem (in altera parte dicemus quamnam) et non per alterius virtutis laesionem, *reduplí-*

---

[1] II. II, q. 62, art. 1.

cative. Nam simul cum distributiva justitia laedi potest commutativa.

158. II. Probatio.

1. *Restitutio est semper actus justitiae commutativae.*

Actus in quo attenditur aequalitas justitiae secundum comparationem rei cum re, pertinet ad solam justitiam commutativam (cfr. n. 68).

A. Id fit in restitutione. Namque in hoc per eam intenditur, ut quantum quis minus habet quam quod secundum justitiam debet habere, tantum nunc recuperet. *E.* S. Th. art. 1. Cfr. Mol., d. 714, n. 1 ; Vasq. l. c.

2. *Obligatio a laesa justitia commutativa proficiscitur.*

a) Ex Script. Ezechielis XXXIII, 14 « Si... et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit... vita vivet et non morietur. » Ubi numerantur conditiones necessariae ut impius consequatur misericordiam ; inter has vero ponitur restitutio. Cfr. et Tobiae II, 20.

Confirm. ex Jure can. ubi, can. 1. *Si res aliena* C. XV, q. 1, haec habentur : « Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit non redditur, non agitur poenitentia sed fingitur. » Et laudantur verba S. Augustini [1] quae facta sunt Regula Juris 4ª in 6 : « Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. »

b) Ex ratione.

Priusquam argumentum proponamus, illud velimus lectoribus notatum, res temporales perfecte reddi in propria specie seu corpore, imperfecte — nisi fuerint fungibiles — sed vere tamen, in aequivalenti : quod fit manifestum in justis permutationibus, ubi neuter censetur spoliatus cum uterque rem suam mutaverit aequivalenti. Qua facta observatione, ita arguimus.

Saepe per laesionem commutativae justitiae alicui injuriose aufertur res sua tanquam propria.

A. Ubi id intercesserit, justitia commutativa obligat

[1] Ep. 153 ad Macedon.

ad restitutionem rei in propria specie, vel, si id fieri non possit, certe in aequivalenti.

E. Saepe ex laesa justitia commutativa oritur obligatio restitutionis.

Prob. minor. Restitutio enim est actio qua, quantum fieri potest, res ablata redit ad eum cui fuit erepta, vel qua redintegrantur bona ejus qui passus est damnosam injuriam. — Addimus : *quantum fieri potest*, quia accidit ut proprium rei corpus perierit, sive altera res aequivalens illud repraesentet, sive mere fuerit absumptum, destructum.

A. Ubi alicui injuriose auferatur res quae erat ipsius propria, jubet commutativa justitia ut fiat utraque actio qua continetur restitutio.

E. Ubi id intercesserit, justitia commutativa obligat ad restitutionem.

Haec altera minor ita probatur :

Commutativa justitia, quae jubet cuique servari propria, nequit sancire seu ratam habere rei propriae ablationem, objective injustam, quam quis formaliter patitur. Inde fit : a) ut res erepta, quoad in se vel aequivalenti consistit, maneat in dominio illius cui est erepta : *res clamat domino ;* fit etiam, b) ut persona laesa minus habeat quam, commutativae justitiae nomine, ab eo deberet habere qui actione formaliter injuriosa ipsi damnum fortunae intulit. Ab isto enim, ut a quovis alio, res suas debet habere intactas. Intactas autem non habet, donec res, quantum fieri potest, fuerint redintegratae.

A. Commutativa justitia jubet ut domino tribuatur res quae hujus mansit propria ; et ut quisque praestet alteri quantum debet nomine ejusdem justitiae.

E. Utrumque quod dicebamus jubet fieri commutativa justitia.

N. B. Observes hac ratione jam demonstrari bifariam restitutionis obligationem : alteram *realem* ex alterius permanente dominio in aliquam rem ; alteram *personalem* ex obligatione non laedendi alterum in bonis suis.

3. *Obligatio restitutionis non oritur ex laesa alia virtute.* Brevis ratio est, quia ex laesa alia virtute nemo privatur re propria.

A. Ubi nemo re propria privatur, non oritur obligatio justitiae commutativae nec proinde obligatio restitutionis, cum constet, ex 1^ore^ membro, restitutionem esse commutativae justitiae actum. *E.*

Ad majorem. Virtutes a *justitia distinctae* non versantur circa rem quae alteri debetur, i. e. circa alienum. De *legali* justitia quaestio moveri nequit, cum haec urgeat actum alterius virtutis, cujus proin satis erit attendere rationem [1]. Quod attinet ad *distributivam* justitiam, si jus ad aequam distributionem concipias ad modum juris ad rem, quale habetur ex contractu promissionis, nullam profecto perspexeris rationem negandi restitutionis obligationem. Haec autem notio est aliena a vero. Ex contractu enim obligamur justitia commutativa ; dum jus quod civi competit in partem bonorum communium neque innititur immediata connexione rerum distribuendarum cum civibus, neque ponit in distribuente commutativae justitiae officium. Cfr. n. 7, 8.

Haec, inquam, brevis ratio est sufficiens. Juvat tamen assertum confirmare argumento quod magis pertineat ad distributivam justitiam, de qua sola ambigi potest.

Obligatio restitutionis exinde tantum probatur, quod ad rem injuste sibi subtractam vel negatam aliquis possideat jus permanens, vel quod justitia ratam non habeat iniquam rei usurpationem sive attributionem. Cfr. factam rationem, hic supra, 2. Ceterum, si nullum constiterit jus, undenam habeas justitiae obligationem ?

A. Ad rem male distributam civis non habet permanens jus ; commutativa autem justitia ratam habet, post factum, attributionem rei communis quam, ante factum, vetabat distributiva.

[1] Cfr. supra, n. 44, 50.

E. Obligatio restitutionis ruit cum fundamento.

Ad minorem. Propositio ista non facessit negotium, si reminiscaris dicta ab initio (n. 7, 8) de modo specifice proprio quo civis dicere valeat sua ea quae sunt communitatis. Relatio hujusmodi rerum ad ipsum est *mediata;* nec tollit *immediatam* possessionem rei a communitate. Jam vero ex immediata illa possessione arguitur valide translatum esse rei dominium etsi peccaverit iniquus distributor (modo fines commissae potestatis ne excesserit) : haec est enim vis juris dominii ut, pro domini voluntate, jus istud alteri efficaciter cedi possit. Ex relatione quae tantum est mediata, bene arguitur nullum jus ad rem habendam permanere in cive qui non obtinuit quod aequa distributio ipsi attulisset. Jus enim quod erat ad rem *qua communem* non jam terminatur ad rem quae facta est alicujus privata possessio. Profecto, si observasset distributor regulas justae distributionis, plures cives quaedam acquisivissent quibus nunc carent : passi sunt injustum ; non illud tamen quod commutativae justitiae est contrarium ; nec magis rei propriae fecerunt damnum quam filius qui ab impio patre non obtinet plura quae secus fecisset sua. Cfr. infra, 159 in fine.

159. III. Difficultates.

1. RESTITUTIO NON EST SEMPER ACTUS JUSTITIAE COMMUTATIVAE.

Si quis enim, post inique factam distributionem communium, defectum corrigit supplendo quod minus dederat, simul restituit, et exercet actum qui est justitiae distributivae (S. Th. ad 3). *E.*

R. Div. antec. Si defectum corrigit supplendo de bonis suis, tunc distribuit, *N.*, restituit, *subdist.* quatenus simul fortasse laesa fuerit commutativa justitia, *C.* secus, *N.* Si corrigit supplendo de bonis communibus, tunc restituit, *N.;* tunc novam facit distributionem, *transm.*

Formaliter ergo non facit simul utrumque.

Possit etiam hac ratione, cum S. Th. hic ad 3, responderi.

Supplendo quod debuit, distribuit formaliter, *N.* Nam attendit hoc : « Ut quanto minus habuerit (alter) quam debuit, tanto plus ei detur. » Compensatio fit ergo comparando rem cum re ; et ideo pertinet ad commutativam justitiam. Cfr. de Lugo. d. 1. n. 54.

2. NON ORITUR OBLIGATIO RESTITUENDI EX LAESA JUSTITIA COMMUTATIVA. Etenim :

a) Actus injustitiae et passio consequens sunt transeuntes. *A.* Restitutio infert permanentiam injustitiae. (Quod transiit nequit reparari.) *E.* Non est restitutio ob actum injustitiae. (S. Th. art. 1 ad 2 et art. 2 ad 3.)

R. D. maj. Actio et passio ista sunt transeuntes, sed permanent in effectu : sive in re propria quae ad alterum devenit, sive in laesione corporis vel deminutione famae, etc., *C.* secus, *N. Cdt. min.*

N. B. Cetera quae sibi hic (art. 2) objicit S. Th. facilis sunt solutionis, et potius eo pertinent ut explicetur, tum qua ratione fieri possit restitutio ob laesionem corporis, famae, honoris (ad 1, 2, 3), ubi memoriâ custodias principium (ad 1m) : « Sufficit quod recompensetur quod possibile » ; tum, quomodo teneri possit restitutione is qui alterum impedit quominus bonum consequatur (ibid. ad 4).

b) Christus Dominus (Luc. XI. 37-41), postquam objurgavit Pharisaeos de rapina et iniquitate, haec addit : « Verumtamen, quod superest [1] date eleemosynam ; et ecce omnia munda sunt vobis. *E.* Sola eleemosyna est necessaria ad salutem post peccatum contra justitiam commutativam.

R. Christus sic locutus est, nactus opportunitatem commemorandi istud praeceptum, *C.* ; quasi sola eleemo-

---

1 « *Verumtamen quod superest* date eleemosynam » graece πλὴν τὰ ἐνόντα, a plerisque hodie ita accipitur : « Quin imo, ea quae insunt (in calice, in catino) date eleemosynam et ecce omnia munda sunt vobis », h. e. assequemini veram munditiem tum internam tum externam. Secundum hanc interpretationem, oppositi convivis cibus et potus adhibentur ut exempla rerum quae sunt pauperibus largiendae.

Aliis adhuc placet interpretatio Theophylacti et Tertulliani, qui τὰ ἐνόντα reddunt per « ea quae habetis, bona vestra ». Nonnulli vertunt : quorum copia est, pro facultatibus. Cfr. Knabenbauer in h. l.

Sumi fortasse possit vocabulum τὰ ἐνόντα ut determinans accusativus, ita ut sensus sit : « Quin imo, quod attinet ad munditiem interiorem, date eleemosynam : nec solum interius sed etiam exterius eritis mundi. »

syna quaevis cetera suppleret, *N.* Cfr. Molinam, d. 716 ; C. de Lugo, d. 8 n. 24.

Pharisaei enim, qui indulgere solebant avaritiae totique erant in frequentandis externis ac fere superstitiosis lotionibus, peculiariter monendi erant de bonis operibus [1] quibus corrigerent suum vitium impetrarentque a Deo gratiam poenitendi et obtinendi interiorem illam, quam minoris faciebant, animi puritatem. Sincera autem poenitentia continet voluntatem implendi conjunctas obligationes proindeque restituendi injuste ablatum.

c) Non est obligatio restitutionis, quando creditoris prudenter praesumitur condonatio. *A.* Haec prudenter praesumitur, cum ex charitate debeat creditor postponere damnum temporale proprium, ad vitandam spiritualem ruinam proximi. *E.*

R. C. maj. Neg. min. Et ad rationem, *distinguo.*

Id debet, cum proximus non potest per se ruinam illam vitare, *C. ;* Cum accusanda est proximi malitia, *subdist. :* in necessitate extrema, *C.* vel *Tr.* (De hoc alibi) ; in communi, *N.*

Ut bene observat C. de Lugo, neque haec condonatio efficit ut proximus qui velit non restituere immunis evadat a culpa. Obstat enim pravus affectus animi. Quare insuper negandum est suppositum ; vel exigendum ut sua quisque communia faciat ne furto peccetur. (Cfr. de Lugo l. c.)

3. Obligatio restituendi oritur etiam ex laesa alia virtute. Etenim :

a) Qui praetermisit officium charitatis, pietatis, obedientiae, saepe postea obligatur ex istis virtutibus ad idem opus quod omisit faciendum. *A.* hoc videtur esse restitutio. *E.* non sola justitia commutativa hanc obligationem infert.

R. Dist. maj. Quia, perseverante eâdem necessitate vel eodem praecepto superioris, urgetur aliquis quasi nunc primum habeat obligatio initium, *C. ;* per modum compensationis, quae, sine nova causa, ex priore culpa sit debita, *N. Cdt. min.* — Per se tamen, in aliis virtutibus, « *transacta*

[1] Non raro in literis sacris *eleemosyna* supponit pro bono opere in genere.

illâ occasione, non perseverat motivum quod talis virtus respiciebat. » C. de Lugo, d. 1, n. 52.

b) Saltem distributivae justitiae laesio fundat titulum praesentem restitutionis. Et re quidem vera :

a) Etsi ante distributionem et in ipsa distributione, sua cuique portio debetur ex sola justitia distributiva, quia commune est debitum : damnum illatum per injustam distributionem fit jam proprium distribuentis debitum, restitutione exstinguendum (Vasq. c. 1 n. 8 ex Cajet.). *E. R. Divido antec.* « Damnum illatum, etc. », *neg. suppos.* damnum proprie inferri : nam damnum proprie quis accipit circa res *suas*[1] ; « fit proprium debitum », *dist.* : debitum poenae (saltem in ordine ad Deum), *C.* ; debitum rei temporalis erga illum qui fuit praetermissus, *N.* — Hoc foret probandum.

Inst. Etiam qui laedit justitiam distributivam violat alterius jus. *E.* Debitum contrahit erga laesum reparandi juris violati : quod est debitum rei temporalis.

R. Nego suppos. Non ob violatum jus, sed ob consequentem inaequalitatem contra jus permanens est obligatio restitutionis. Cfr. explicationem datam in ipsa demonstratione et Molinam, d. 715. n. 6.

Violatio juris mere dicit de se quamdam peccati rationem, cui respondet sanctio poenae, non autem restitutionis.

Inst. Etiam per laesionem distributivae justitiae inducitur inaequalitas. *A.* Justitia jubet hanc reparari. *E.* (Ita fere Vasquez.)

Resp. dupliciter. 1) Ut C. de Lugo, d. 1 n. 53. *C. maj. Dist. min.* Justitia jubet reparari inaequalitatem quae reparari potest, *C.* ; alteram, *N.*

Haec autem nequit reparari. Per restitutionem enim, si fiat ex bonis distributoris, laesus nihil accipit ex bonis communibus, quae proinde manent inaequaliter distributa ; ex bonis autem

[1] « Damnum et damnatio ab ademptione et quasi deminutione patrimonii dicta sunt. » L. 3 D. *De damno infecto* (XXXIX, 2). Semper, ut patet, rem consideramus in ordine ad personam quae fuit praetermissa : nam erga *rempublicam* collator officii tenetur ex commutativa justitia eligere saltem idoneum. Cfr. n. **71**.

communibus fieri nequit restitutio, cum haec jam valide, ut probavimus n. **158**, a civibus sint acquisita.

2) *D. maj...* Inducitur inaequalitas cum permanente jure ad bona quae accipi debuissent, *N.*; sine tali jure, *C. Contradist. minorem.*

β) Qui injuste praetermissus est, ex ipsa iniqua omissione titulum habet ut nova distributione compensationem accipiat. *E.* Si quid obtinebit, illud rationem induet cujusdam restitutionis.

R. Quatenus haec praetermissio partim fundat praesentem dignitatem, ob quam formaliter confertur v. gr. munus publicum, *C.*; quatenus compensatio praetermissionis foret formalis et sufficiens ratio, *N.* — Si enim, post male factam distributionem munerum, candidatus qui erat dignior, ob morbum, senium, minus habilis evaserit, nihil jam exspectandum sibi restat.

γ) Qui in distributione portionem obtinuit quae digniori competebat, videtur retinere alienum seu illud quod pertinet ad digniorem. *E.* Digniori restitutio est facienda.

R. Neg. maj. Quod enim mere ex justitia distributiva debebatur digniori evasit, post attributionem, proprietas minus digni.

Inst. Quod sine jure quis accipit, invalide accipit. *E.* Fictitia est illa proprietas.

R. D. ant. Quod sine jure quis accipit, i. e. cum injuria aliena, aut sine titulo acquisitionis, id invalide accipit, *C.*; sine jure, i. e. sine titulo ex justitia distributiva, attamen sine injuria et cum titulo idoneo ad transferendum dominium, hoc invalide accipit, *neg.*

Nihil enim per se obstat quin ille qui immerito praefertur, valide acquirat portionem boni communis ipsi attributam. Non jus privati cujuspiam : nam nemini competit actu aliquod jus in ipsam rem ; non jus communitatis ad rem retinendam, cum haec debeat distribui ; non exigentia boni communis, quae potius postulat, — ne plura bona incerti fierent domini, et omnia in societate nutarent, — ut validae sint collationes bonorum communium atque officiorum, quum fiunt ab habente facultatem, etiamsi neglexerit regulas justitiae distributivae. —Ceterum nemo unquam dubitavit de valore factae attributionis.

§ 2. *De radicibus restitutionis et norma quantitatis.*

THESIS XI

Duplex est radix restitutionis : res aliena accepta et injuriosa ejus acceptio.

Porro quantitas restituenda definitur in priore casu quantitate rei alienae quam quis in propria specie vel in aequivalenti retineat ; in altero, quantitate damni quod voluntarie intulerit. Cfr. II. II, q. 62, art. 3, 4 c. et ad 1, art. 7.

160. I. **Status quaestionis**, 1. SENSUS ET SCOPUS HUJUS CONCLUSIONIS.

Demonstravimus obligationem restituendi a laesa justitia commutativa *remote* ortum repetere; superest ergo inquirendum in ipsas causas unde *proxime* oriatur obligatio restituendi; alias, *qua ratione* laedenda sit justitia commutativa ut reapse locus sit illi compensationi.

Jam vero, praesenti propositione contendimus duplicem esse hanc rationem : *materialem* alteram, alteram *formalem*, seu rem alienam acceptam et injuriosam ejus acceptionem. Quia vero causa metiendus est effectus, simul asserimus, ex priore radice, *quantitatem* restituendam exigendam esse *ad modum rei alienae* quam quis *habeat ;* ex altera, *ad modum damni* quod *volens* alteri intulerit.

Quae videtur, ut ex locis adductis constat, doctrina S. Thomae, cui communiter astipulantur doctores, ut Molina tr. 2 d. 717 et sqq.; de Lugo d. VIII, n. 25 (quoad radices); Ballerini-Palmieri, t. III. *De Restit.* n. 107, etc.

2. EXPLICANTUR VOCES.

Duplex est radix. Radicem vocamus factum unde proxime manet obligatio restituendi, quod consequenter sit ejus mensura.

Restitutionis voce utimur sensu stricto, « pro actu quo ex justitia redditur aliquid in recompensationem ejus in quo quis injuste materialiter aut formaliter est defrauda-

tus [1], » non vero pro quovis actu quo redditur id quod ex justitia debetur. Sin minus, ut dictum est, addendus foret contractus, ut tertia radix ; et fortasse aliae. Cfr. Mol. d. 717. n. 2.

Res aliena accepta : Hoc obtinet, quacumque de causa, honesta vel non, res aliena, non consentiente domino, apud aliquem existat qui inde ditior evaserit.

Et injuriosa, formaliter,

Ejus acceptio. Vocabulum istud lato sensu intelligitur, quo « suo ambitu comprehendit injustam usurpationem rei, injustam damni illationem, et retentionem injustam rei alteri debitae [2]; » seu brevius : « quamcumque injustam damnificationem [3]. » Nam : « Quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id in quo ipsum damnificat [4], » ita ut injusta damnificatio dici possit injuriosa rei acceptio.

Porro quantitas restituenda definitur in priore casu quantitate rei alienae quam quis in propria specie vel in aequivalenti retineat. Non raro enim rei quae periit locum tenet acceptum pretium, factum lucrum seu compendium proprii boni, etc. De variis casibus adeundi sunt casuistae.

In altero, quantitate damni, i e. detrimenti allati alterius patrimonio.

Quod voluntarie intulit. Seu cum culpa theologica. Quid, si haec fuerit levis ? Brevissime rem in scholio attingemus.

N. B. Loquimur autem omisso contractu aut lege positiva, quibus quis obligari potest, v. gr. post sententiam judicis, ad sarcienda damna ex culpa mere juridica illata.

161. II. Probatur.

N. B. Prior pars jam constat ex modo quo effecimus a laesa commutativa justitia proficisci restituendi obligationem. Duplex enim radix respondet duplici obligationi restituendi quae ibi fuit probata. Cfr. N. B. p. 168.

---

[1] Molina, d. 717, n. 1.
[2] Molina l. c.
[3] C. de Lugo l. c. n. 25.
[4] S. Thom. art. 4, c.

1. ***Duplex est illa radix.*** Quot rationes sunt quibus inducatur *indebita inaequalitas,* tot erunt radices restitutionis. Indebitam vocamus inaequalitatem, eam quae repugnat juri quod actu in uno consistat [1] proindeque alterius praesenti officio.

A. Ambae sunt enunciatae. *E.*

Maj. patet quia ideo est restituendum quia quis minus habet quam debet habere. (Cfr. S. Th. et thesim superiorem.)

Ad minorem. Revera :

a) Tum quia res ipsius ad alterum devenit, tum quia ex injuria alterius damnum patiatur, aliquis minus habet quam debet actu ex jure suo habere. Nec obstat, ex hac altera radice frequenter aliquem teneri ad sumendum de propriis bonis, ita ut propterea detrimentum accipiat minusque ipse habeat quam ante. Haec enim deminutio proprii patrimonii fit sine alicujus injuria, nullam inducit inaequalitatem indebitam. Quare nequit obstare obligationi sarciendi damni. Sicut ex bonis propriis teneris consulere valetudini et necessitatibus ordinis physici, ita etiam morali obligationi observandi alterius jura. Aliis verbis, obligatio fluens ex hac radice est personalis illius qui injuriae reus est. Perpetuum autem est, quod quis debeat ex propriis bonis adimplere personales suas obligationes.

b) Non sunt aliae causae : non laesio consentientis, aut injuria sine laesione, cum *nullam* inducant inaequalitatem ; non laesio theologice inculpata, cum non inducat inaequalitatem *indebitam.* Ordo enim justitiae pars est ordinis *moralis ;* ab hoc autem alieni sunt actus indeliberati. Quare hoc unum sancit justitia commutativa : ut sua quisque habeat, quantum est ex *voluntario* hominum facto.

2. ***De quantitate restituenda.*** Cessante causa cessat effectus.

---

[1] Cfr. supra n. **143**$_2$.

Prior vero causa non operatur nisi circa rem quae et quatenus ab altero sine jure detinetur : sed facta restitutione rei alienae quae in propria specie vel in aequivalenti habebatur, nulla jam res alterius ab altero sine jure retinetur. *E.*

Ad posteriorem causam quod attinet : totum damnum quod voluntarie intulit exhibet id quod alter ab altero injuriose accepit (ut nunc illa verba latiori sensu usurpamus), seu illud quod debet.

162. III. **Difficultates.**

1. Aliquis pati potest damnum etiam ex facto alterius non injurioso ; et proin versari in inaequalitate. *A.* inaequalitas est reparanda per restitutionem. *E.* haec est tertia radix.

R. D. maj. pati damnum ita ut inducatur inaequalitas indebita, *N.* inaequalitas latiori sensu seu deminutio fortunae, *C. Cdt. min.*

Sola inaequalitas indebita est reparanda restitutione. Non omnis qui minus habet quam *antea,* minus habet quam *debet.* Quot causae sunt quibus bona fortunae amittuntur, et quae adversus neminem justam querelam praebent. Porro hoc unum considerandum hic: habetne quis minus quam debet, seu quam ex justitia commutativa sibi competit, an secus.

2. Quando causa culpabilis est, totum damnum ex injuria nascens videtur compensandum, et non eam tantum partem quae aliqua ratione sit voluntaria. Nam videtur totum ambitu illius causae comprehendi.

R. D. Saepe tunc haec erit materialis ratio quantitatis, *C.* erit unquam formalis, vel materialis semper, *nego.* Et *Cdt. min.*

Etenim nemo facit injuriam nisi volens (q. 59, art. 3). Quae pars damni secuti nulla ratione est voluntaria non pertinet ergo ad acceptionem formaliter injustam nec proin compensanda est hoc titulo.

Quibus duabus responsionibus videmur attigisse capita difficultatum quae nostrae thesi opponi possint.

ARTICULUS III. **Doctrinae supplementa**

I. *COROLLARIA.*

163. De mente S. Thomae. Quamvis S. Thomas taceat de quaestione utrum ex sola justitia commutativa laesa an etiam ex violatione justitiae distributivae oriatur obligatio restituendi, tam fundata videtur doctrina quam tuemur principiis quae S. Doctor tradit in tota disputatione de Restitutione, ut vix dubitari possit nos ex ejus sententia respondisse. Consideranti rationem nostrae demonstrationis id spectatissimum erit.

Locus autem difficilis q. 62, art. 1 ad 3, satis commode declaratur, si ponas S. Thomam agere de distributore qui simul, sicut frequenter intercedit, laeserit commutativam justitiam.

164. Utriusque radicis comparatio. Prior radix parit obligationem realem : *quatenus habeas alienum ;* altera personalem : *quatenus in alterum peccaveris.* In utroque casu agitur de corrigenda inaequalitate indebita ; sed in priore est indebita respectu omnium qui rem detinent ; in altero casu, respectu ejus qui intulit injuriam.

Altera tamen radix alteram non excludit. Atque hoc interest inter eum qui ex injuria lucrum facit et eum qui nihil lucratur, ut prior duplici ratione, posterior altera tantum obligetur ad restituendum. S. Th. art. 6 c.

165. De errore circa personam cui damnum irrogatur. *Non culpa* injustitiae, seu *injuria* qua talis, est radix restitutionis, sed *inaequalitas* a parte rei per eam inducta[1]. Quare si quis, errando circa personam, damnum inferat bonis Titii, quae arbitrabatur esse Caii, licet non fuerit Titio formaliter inujuriosus, videtur nobis, ut clamat sensus communis, restitutione erga Titium teneri. Statim enim ac detrimenta afferas bonis alterius inviti, quo demum cumque nomine appelletur, reipsa necessario

[1] S. Th. q. 62, art. 3. Mol. d. 716, n. 5, 6.

contrahis obligationem commutandi acquivalens. Paucis, error ille tollit offensam personalem, seu injuriam, quae ceterum non reparatur restitutione ; non tollit voluntariam rei alterius cujuspiam acceptionem. Putando se esse Caio injuriosum, simul novit se alterius cujuspiam inviti rem usurpare [1] : neque in hoc erravit. Cfr. Molinam, tr. 3, d. 30 ; Ballerini-Palmieri, *Opus morale. De restitutione*, a n. 250 ad 267, contra C. de Lugo d. 17 n. 75, 76 et S. Alphonsum l. 4, n. 628, quorum tamen auctoritati minime detrahere cogitamus.

166. Restitutio in aliena specie est imperfecta, cum dominus non recuperet proprium corpus quod possidebat, nec consenserit in permutationem. Est ergo quaedam damni pars quae tunc non sarcitur, quia sarciri nequit.

II. ***SCHOLIA.***

167. De debitis incertis. Valde notabilia sunt, ut semina plurium resolutionum, verba quae habet S. Th., q. 62, art. 6 ad 1, « Restitutio non ordinatur principaliter ad hoc quod ille qui plus habet quam debet, habere desinat, sed ad hoc quod illi qui minus habet, suppleatur ; unde in his quae potest unus ab alio accipere sine ejus detrimento, non habet locum restitutio. »

Verum exinde quaeret quispiam cur theologi « conveniant omnes, ea quae ex injusta acceptione debentur, reddenda esse pauperibus, si non inveniatur dominus vel ejus haeredes [2] » ; quo pacto, aliis verbis, obligent eum qui ex formali injuria dives factus fuerit ad sufficiendum pauperes in locum domini cui non possit fieri restitutio, quia v. gr. ignoratur quisnam sit ex multis [3].

Revera magis in motivo quam in conclusione haerere solent doctores.

---

[1] Atque in hoc apparet discrimen cum illo qui, inter rixandum, praeter intentionem laedit vel adeo occidit mediatorem. Haec enim actio fuit involuntaria etiam ut laesio, occisio alicujus hominis ; *ex toto* fuit praeter intentionem illa actio externa.

[2] C. de Lugo, d. 7, n. 134.

[3] Si enim inter paucos dubium contrahatur, res inter eos est dividenda.

Alii enim arguunt ex jure naturae, alii ex jure gentium.

1. Ex iis qui appellant jus naturae, plures, cum S. Thoma [1], rem addicunt pauperibus, quia, quum dominus plane latet vel ita abest ut res in ejus manus moraliter pervenire nequeat, *solus* qui superesset *modus restituendi* is foret ut converteretur res in eleemosynam quae domino spiritualem afferret utilitatem. Sententia tamen ista jam explosa est a Lessio [2]; videturque deserenda ob hanc potissimum rationem quod res non possit manere in patrimonio illius qui omni spe dejicitur illam recuperandi. Nequit enim concipi dominium proprietatis ubi nulla est facultas utendi vel disponendi.

Alii igitur, quibus astipulatur R. P. Lehmkuhl [3], arbitrantur restitutionem pauperibus praecipi propter *commune bonum* humanae societatis. Verum, si satis facile intelligitur naturam positive repugnare appropriationi quae, suffragando furibus et latronibus, ipsi bono communi foret contraria, minus perspicimus cur res sit pauperibus tribuenda, nec sufficiat ad justitiam ut injustus possessor rem a se abjiciat, eam v. gr. projiciendo.

2. Quare non plane alieni sumus a sententia quae obligationem ascribit *juri gentium*, saltem christianarum, perficienti id quod erat in votis naturae; et amplianti, ob evidentem societatis utilitatem, legem canonicam qua, etiam ignorata persona laesa, pauperibus restituendae dicuntur illicitae usurae et lucrum factum ex officio simoniace obtento (c. 16 X, l. 5, t. 6; et c. 5, t. 19). Id jam placebat Vasquez [4], Lessio, l. c., Laymann [5], S. Alphonso [6], satisque probatur Ballerini [7], probabiliusque habetur a Génicot, I, 538.

---

[1] II. II, q. 62, art. 5 ad 2.
[2] Cap. 14, n. 35 sqq.
[3] T. I, 1022.
[4] Opusc. *de restit.* c. 5, § 4, dub. 1.
[5] *De restitutione*, c. 9, n. 2.
[6] L. 5, n. 71.
[7] *Opus morale*, Tr. 8, p. 2, c. 2, n. 186.

Confirmatur haec sententia, quia facilius per eam explicatur facultas qua utitur S. Sedes condonandi hujusmodi obligationem. Clare etiam tunc apparet cur ille qui *sine delicto* possideat rem incerti domini tuto eam sibi retinere valeat, cum contra ipsum argui nequeat ex bono communi vel positiva juris dispositione.

3. Aeque facile tamen haec declarantur *tertia argumenti forma,* non absimili rationis S. Thomae, quam ducimus praeferendam. Estque hujusmodi :

Qui formalis injuriae est reus, non obligatur tantum, qua possessor rei alienae, ad *hanc* restituendam, sed *personali* tenetur praeterea obligatione sarciendi, pro posse, damnum. Duplex est enim radix restitutionis (160).

Agedum, res quae plane est incerti domini, pro re nullius haberi potest ; proindeque tuto occupari ab eo qui *sine delicto* eam obtinuerit.

Verum, si ex *injuria* rem possideas, consistit adhuc illa personalis restituendi obligatio. Ex culpa tua factum est ut alter dominium rei suae amitteret. Ergo ipsi hoc damnum sarcire debes restituendo valorem [1]. Nec minus constat, hujusmodi obligationem adimpleri si hunc feceris rei usum cujus persona laesa non sit rationabiliter invita. Vidimus enim, n. 150 sqq. hanc rei etiam alienae usurpationem non repugnare justitiae. Unde sic arguimus :

Qui reus est injuriae tenetur eo modo restituere cujus *solius* copia datur. **A.** Modus iste est attributio facta pauperibus vel pio operi. **E.**

Et probatur minor. a) Illa attributio est *modus restituendi.* Qui enim rem suam vel aequivalens pretium recuperare nequit, non est rationabiliter invitus quominus res vel pretium pauperibus applicetur vel pio fini. b) Est *solus*

[1] Nonne v. gr. si incenderis alterius silvam, hujus dominium amittitur ; et tu nihilominus tenearis restitutionis obligatione? Qua de causa ? Quia contra te urgeri potest alter restitutionis titulus qui objici nequit agenti bona fide. Similiter, in casu praesenti, amissio rei a pristino domino liberat bonae fidei possessorem ; minime vero alterum.

modus restituendi. Merito enim censetur ipse invitus quominus vel prodige spargantur bona sua vel inde lucretur qui ea possidet mala fide. *E.*

Quod si haec est ratio, etiam injustus damnificator, qui ex alieno non est lucratus, tenetur, deficiente persona laesa, restituere pauperibus.

168. Necessitas faciendae restitutionis non est medii sed praecepti, ut nunc omnes fatentur. Non enim aliam causalitatem habet restitutio efficiendae justificationis et salutis, quam quae communiter inest omni praecepto. Nihil de se confert *positive* necessarium ad salutem, sed mere *removet obicem* peccati. Cfr. Carrière, 10.

169. De necessitate distinguendi binas radices. Sunt qui putant utramque restitutionis radicem ad unam, injustam nempe acceptionem, revocari posse, hac innixi ratione, quod ille qui conscius rei alienae eam retineret jam hanc injuste acciperet. Sed minus apte, ut nobis videtur. Etenim :

a) *Formaliter* dissimiles sunt inaequalitas quae orta est ex actu licito et illa quae manat ex injuria formali ; tum

b) *Consectariis* non minus differunt, quod attinet ad quantitatem restituendam et excusationes.

Praeterea, ut respondeamus allegatae rationi, si quis, statim ac conscius fit rei alienae a se possessae, eam dimiserit, *in nullo instanti* aliquid debuit ex injusta acceptione (restitutione antecepit hanc causam) ; qui vero sine jure distulerit restitutionem, jam utrâque ex causa tenetur, ut eruitur ex S. Th. II. II, q. 62. art. 6. c. Quare omnino probamus Molinam, d. 717. n. 1, dum asseverat ambas radices « maxime ante mentis oculos esse habendas in materia de restitutione ».

170. *Quaeres* utrum obligatio restitutionis sit positiva an negativa ?

Obligatio restituendi fundatur in obligatione negativa non violandi alterius juris ad propria servanda [1]. Sed

[1] S. Th. art. 8 ad 1 ; Mol. d. 716 n. 4 ; Lehmkuhl I, 94.

exinde plures, post C. de Lugo [1] contendunt ipsam obligationem esse negativam. Malumus cum Lessio [2] et R. P. Palmieri [3] tenere responsum quod prima suadet rei consideratio, illamque *pro affirmativa* habere. Ut impleatur enim, exigit de se actum positivum reddendi : quod plane quadrat ad notionem praecepti affirmativi traditam a Suarez [4]. Ipse autem C. de Lugo satis aperte ad castra nostra transire debet ut varias evadat difficultates, v. gr. quod a restitutione facilius excuseris quam a praecepto negativo. Cfr. de Lugo, d. 13, n. 49, 50.

171. *Quaeres* quaenam pariatur **obligatio restituendi** ob grave damnum alteri injuste illatum, sed **cum culpa theologice levi?**

Alii, cum Molina [5], obligant ad reparandam partem proportionatam culpae; alii, ut quidam recentiores, obligant ad totum damnum *sub gravi* sarciendum; Vasquez [6] asserit etiam obligationem totum compensandi, an autem sub gravi, silet ; communissima sententia *negat* esse obligationem *gravem.*

Sed magis placet sententia Lessii [7] et C. de Lugo [8] qui *negant* etiam *obligationem levem.* Ratio est, quia natura, ubi ipsa totum definit nec libera legislatoris aut paciscentium voluntate quidquam mutatur, vult obligationem quae ad materiam sit accomodata ; et aliunde culpa venialis impar est ad gignendam obligationem gravem. Imperfecta deliberatio vel advertentia, quemadmodum tollit voluntarium requisitum pro gravi voto vel contractu nec parit levem implendi obligationem, ita est practice nulla in ordine ad grave onus restitutionis inducendum.

---

[1] D. 8, n. 8.
[2] C. 7, n. 49.
[3] *Opus morale,* tr. 3, *De restitutione,* n. 108.
[4] *De legibus,* II, 10, 1.
[5] D. 698, n. 7.
[6] De restitutione, c. 2.
[7] C. 7, n. 28.
[8] D. 8, n. 50.

Et nonne, ut ait Lessius, valde miserabile foret, hominem tota vita obligari ad v. gr. mille millia francorum, ni malit reus manere peccati venialis ?

172. *Quaeres* denique, occasione eorum quae in fine probationis dicebantur, **quid intersit inter jus ad rem** quale proficiscitur a pactione et **jus** quod civis habet **ad bona communia ?** Utroque enim casu, res de quo agitur nondum est propria et utroque casu est quoddam jus rem habendi, mediante praestatione debita sive a paciscente sive a distribuente. Sed priore casu media est obligatio justitiae commutativae, altero casu distributivae tantum. Qui stipulatione innititur, jam *suam* seu propriam dicere valet, non quidem rem, sed praestationem qua debitor tenetur et res fiet creditoris ; qui autem innititur jure distributivae justitiae nihil, hoc titulo, habet immediate proprium.

QUAESTIO QUINTA

DE SOCIALISMO ET DE PRIVATA BONORUM POSSESSIONE

CAPUT I

DE SOCIALISMO

Aristoteles, *Politicorum* liber secundus; ***S. Thomas***, *Commentaria in libros Politicorum*; ***Pöhlmann***, *Geschichte des antiken Communismus und Socialismus*; ***Thonissen***, *Le Socialisme dans le passé, — Le Socialisme et ses promesses*; ***P. Janet***, *Les origines du Socialisme contemporain*; ***Cathrein***, *Der Socialismus, — Das Privatgrundeigenthum und seine Gegner*[1]; ***P. Leroy-Beaulieu***, *Le Collectivisme, examen critique du nouveau Socialisme*; ***Pachtler***, *Die Ziele der Socialdemokratie und die liberalen Ideen*[2]; ***Castelein***, *Le Socialisme et le Droit de Propriété*; ***Capart***, *La Propriété individuelle et le Collectivisme*; ***Antoine***, *Cours d'économie sociale*, ch. IX et XVI; ***H. Pesch***, *Liberalismus, Socialismus und Christliche Gesellschaftsordnung*; ***Biederlack***, *Die sociale Frage*, c. 3; ***Kerby***, *Le Socialisme aux États-Unis*; ***P. Verhaegen***, *Socialistes anglais*; ***Holaind***, *Le Socialisme américain*[3]; ***Maisonabe***, *La Doctrine Socialiste*; ***E. de Laveleye***, *Le Socialisme contemporain*; ***Van Overberghe***, *Les caractères généraux du Socialisme scientifique d'après le manifeste communiste*; ***Schaeffle***, *Quintessenz des Socialismus*[4].

Postremum hoc opus jam valde favet oeconomicis placitis collectivismi. Ex ipsis doctoribus hodierni socialismi, commemorari possunt; ***K. Marx*** et ***F. Engels***, *Manifeste du Parti Communiste*[5]; ***K. Marx***, *Das Kapital*[6]; ***Lasalle***, *Kapital und Arbeit*[7]; ***B. Malon***, *Précis de Socialisme*,

---

[1] Ex opusculis quae de quaestione sociali edita sunt a scriptoribus periodici *Stimmen aus Maria-Laach*. Gallice reddita sunt a D. Fritsch.

[2] Ex eadem serie opusculorum.

[3] Gallicam allegabimus editionem, confectam a D. Buron.

[4] Opusculum illud desumptum est ex majore opere, *Bau und Leben des socialen Körpers*, et gallice est redditum a socialista B. Malon.

[5] Prodiit primo germanice.

[6] Primi voluminis istius operis exstat translatio gallica, quae germanicae editioni praestat perspicuitate, seu potius minore obscuritate stili.

[7] B. Malon etiam istud opus gallice expressit.

— *Le Socialisme intégral*: **Destrée et Vandervelde**, *Le Socialisme en Belgique*: **Bernstein** (inter fautores Socialismi temperati), *Die Voraussetzungen des Sozialismus und die Aufgaben der Sozialdemokratie*; **H. George** (auctor socialismi agrarii), *Progress and Poverty*. — *La Condition des ouvriers, lettre au Pape Léon XIII* [1].

Adeunda praeterea sunt opuscula quae narrant deliberationes quae inter socialistas haberi consueverunt. Ad hoc genus referri possunt plures libri R. D. **Winterer**, v. gr. *Le Socialisme international* (de 1885-1890).

ARTICULUS I. Variae de hodierno Socialismo notiones

173. Quae vis verbo sit subjecta. *Socialismus*, ex vi *nominis* [2], contrarius est *individualismo*. Quare, ad *rem* quod attinet:

a) Aptari potest omni doctrinae quae liberalismum impugnat oeconomicum, quo, negato positivo legis praesidio, suo quisque permittebatur arbitrio, facultatibus vel imbecillitati. Hoc modo agi etiam potest de socialismo *catholico* [3]. Imo quandoque latius est translatum socialismi vocabulum ad omne systema quod in melius mutare intendit praesentem hominum convictum [4]. Recens, de Laveleye [5] his binis notis constituit genericam socialismi rationem: studio majoris aequalitatis, invocatione praesidii legis vel status.

b) Proprie tamen dictus *Socialismus*, per *occonomica* sua placita, ad genus pertinet *positivi Communismi*; eoque spectat, *ut ab hominum societate communiter possideatur quid-*

---

[1] Gallica utemur editione.

[2] Si fides sit D. Pioger (*Revue Socialiste*, 1896), nominis auctor est Petrus Leroux, qui complura in Gallia vulgavit scripta quibus invehitur in hodiernum proprietatis regimen vultque homines magis inter se fieri aequales. Obiit Parisiis, anno 1871, dum saeviebat *La Commune*.

[3] Cfr. v. gr. Isaac Moore, S. J. *Series of lectures on catholic socialism*.

[4] Sic, a° 1848, Proudhon, a judicibus interrogatus, dixit in foro: « *Le socialisme, c'est toute aspiration vers l'amélioration de la société* »; neque aliter, sed brevius scribebat E. de Girardin, « *Le socialisme c'est la civilisation* ». Quin imo, in 3ª parte notissimi sui edicti, *Manifeste du parti communiste*, Marx et Engels a suis placitis secernunt socialismum qui contendit viam esse retro repetendam (*socialisme réactionnaire*), et socialismum qui servatum vellet statum praesentem (*socialisme conservateur et bourgeois*).

[5] *Le socialisme contemporain*, p. XII.

quid est quo res giguuntur vel commutantur [1] ; *communiterque administrentur artes et negotiationes.*

Juvat hanc descriptionem per partes praecise exponere, quo simul melius innotescat socialismi ratio atque intentio.

a) Socialismus non se continet intra fines ordinis oeconomici ; ac, si demas collectivistas agrarios, nescio an praeter Dr Schaeffle aliquis *mere oeconomicum* profiteatur socialismum ; sed *generali* mundi renovationi student quotquot inter veros socialistas nomen habent. Instantiori tamen curae est ipsis pars oeconomica, quia, ut suspicamur, est speciosior, et quia eam profitentur urgentiorem ac praecipuam, quam necessario consecuturae sint ceterae reformationes religiosae, politicae et domesticae. Necesse ergo fuit monere, nos, in socialismi definitione, ad hanc solam partem respicere quae interdum, speciali *Collectivismi* appellatione, a *socialismo* [3], ut pars a toto, distinguitur. Quare diximus : *per oeconomica sua placita.*

b) *Positivi* porro *communismi* ratio generica haec est, ut communitati jugiter velit addicta bona sive omnia sive complura quae a privatis possideri sunt solita, dum *negativus* autumat inter homines usque adhuc jure vigere negativam illam communionem qua res in initio erant nullius poterantque a quolibet in suum converti bonum : fas tunc foret alienas invadere segetes. Potius quam igitur negarit rerum dominium, communismus positivus mutat dominii *subjectum.*

Ab omnibus jam rejicitur communismus tam negativus quam positivus rationis absolutae seu perfectae, qualis v. gr. commendabatur a Platone in sua Republica : ita ut disputatione de antiquo communismo supersederi tuto possit.

c) *Societas* illa *hominum a qua res communiter possiderentur* quaenam futura esset, non convenit inter collectivistas : cum alii designent municipia, alii gentem totam vel adeo societatem quampiam universalioris sed parum definitae rationis.

d) *Quidquid est quo res gignuntur vel commutantur.* Cogites agros, materias (*matière première*), officinas, machinas, et quidquid fructum ferat vel usum habeat quaestuosum, exceptis tamen propriis personae viribus et labore.

Satis enim nota est haec rerum divisio, ab oeconomistis recepta, qua aliae ab ipso homine absumuntur (*objets de consommation*), ut vestis quam induit, domus quam habitat, voluptaria possessio ;

---

[1] « *Appropriation collective de tous les moyens de production et de circulation.* » Schaeffle, probante Vandervelde, op. cit. p. 159. — « *Socialisation des forces productrices.* » B. Malon, *Précis de socialisme*, c. 20, in fine.

[2] « *Socialisation, non seulement des moyens de production, mais de la production même.* » Vandervelde, op. cit. p. 297.

[3] *Collectivisme réformiste, socialisme intégral.*

aliae reservantur ad fructus novos gignendos vel novas afferendas divitias (*instruments de production*): ita pascua, domus quae locantur, ipsa pecunia fenori data vel qua quis in partem venit lucri ex negotiatione sperati; aliae denique (si haec a modo descripta sit distinguenda species), quae vecturis, commerciis et mercaturis inserviunt: ita viae ferreae, canales, currus cum equis, mensae nummulariae, etc. (*instruments de transport et d'échange*).

Agedum, rerum primi generis tantum concedunt socialistae privatam proprietatem. Cetera omnia ad sociale pertinebunt patrimonium.

Quid autem de ipsa pecunia, quae potissimum usu venit in commutationibus?

Pecuniam sperant aliquando remotum iri de medio. Satis enim fore si singulis suscepti a se laboris traderentur signa (*bons de travail*) quibus res utiles vel jucundas postulare sibique ex magnis publice ordinatis receptaculis sumere valerent.

e) Etenim, non ipsae res tantum sed *rerum administratio omnisque negotiatio* eriperentur privatis. Mercatibus, locandis et conducendis rebus, negotiis privatis, jam nullus foret locus [1].

Singulis artibus, singulis negotiorum speciebus constituerentur singulae praefecturae (*administrations*) quae, abolita omni contentione (*concurrence*), negotium sibi concreditum procurarent solae per universam societatem ad quam pertinerent instrumenta et subsidia artificiorum et mercaturarum, ita ut singulae absoluto rei gerundae fruerentur monopolio. Quae praefecturae, quamvis aliquo modo deberent esse obnoxiae publicae potestati, satis tamen a socialistis praedicantur fore sui juris, ut nefanda Status tyrannis non esset pertimescenda [2].

Res autem hac ratione confectae inveherentur in publice exstructas tabernas, unde a civibus forent quaerendae ope signorum (*bons de travail*) de quibus paulo ante.

Accurata iniretur computatio rerum quibus, pro civium necessitate vel voluntate, oporteret ut publicae tabernae forent instructae, ita ut ad justum modum exigeretur copia eorum quae in unoquoque artificii genere efficerentur.

Ex rebus confectis eas sibi sumeret publica potestas partes quae reficiendis negotiis, remunerandis magistratibus, communi utilitati sufficerent, ita ut praeter hanc realis tributi formam nullum alterum imponeretur vectigal [3].

---

[1] Schaeffle, *La quintessence du socialisme*, c. 4.

[2] Schaeffle, op. cit., c. 3. Destrée et Vandervelde, *Le socialisme en Belgique*, p. 262. Ipse tamen Status, si fides sit socialistis, cessaret a regendis personis, ut rebus administrandis unice vacaret. « Transformation de l'État en administration des choses. » *Déclaration de principes du parti ouvrier belge*, art. 1.

[3] Schaeffle, op. cit., c. 8; Destrée et Vandervelde, op. cit., p. 301.

Civibus autem, ob praestitam operam, rediret, instar mercedis minimae, unde suis possent consulere necessitatibus. Imo hanc in se praeferendam ducunt normam partiendi collectos fructus, qua pro suis quisque viribus laboraret, acciperet autem pro suis necessitatibus. Quae norma ab iis qui *Communistarum* nomine veniunt absolute defenditur. Socialistae autem fatentur eam induci non posse nisi prius perficiatur socialis cultus, magisque evolvatur altruismus. Interea, excepta minima mercede, non recusant operae merito accommodare fructum.

Atque hac ratione sperant se, non minus quam hodie, posse sine coactione obtinere ut cuilibet generi laboris non desint operarii [1].

Quaeres fortasse, in quem finem major illa excellentioris operae merces a civibus adhiberi posset ?

Omni profecto prohiberentur quaestu faciendo ex iis quae sibi superessent. Socialismi tamen placitis non videtur repugnare ut ea aliis tribuerent gratuita liberalitate, donando, legando; vel eadem sibi aut familiae reservarent ad tempus futurum. Memores tantum simus divitias istas non consistere in pecunia, sed exhiberi schedulis omni intrinseco pretio destitutis.

N. B. Duo supersunt observanda. a) Imago ista futurae societatis, quam ipsi socialismi doctores negant se posse accurate delineare, magis clarescet ex ipsis quae socialismo objiciemus argumentis.

b) Nolunt quidem socialistae repente supprimere privata negotia, sed hanc descripsimus ordinationem ad quam gradatim contendere se fatentur. Cfr. tamen infra, n. 193.

Satis ergo differt haec genuina socialismi ratio a vulgari doctrinae intellectu. Nequicquam illud infitiantur socialismi duces : Plerique ex proletariis qui eorum partes sequuntur locupletum invident bonis; de communi artium exercitatione parum vel nihil ad ipsos attinet, sperant autem fore ut omnibus civibus aequabilis fiat omnium bonorum partitio.

174. De socialismo mixto seu agrario. Quamvis, ut ostendemus, doctrina ista logice inducat communismum aliquem absolutum, omnino tamen dissimilia nobis videntur collectivismus quem modo exposuimus et systema

---

[1] Destrée et Vandervelde, op. cit., p. 300-304.

quod fisco mere confert dominium agrorum vel bonorum immobilium. Aliis enim nituntur rationibus ; nec qui posteriori favent systemati volunt in commune aliquas exerceri artes, nec funditus evertere cogitant praesentes mores vel cultum.

Verum, ut in breve haec placita cogamus, specialem causam esse arbitrantur, cur vel soli agri, ut contendit H. George, vel etiam aedificia, domus, ut alii volunt, in privatorum nequeant esse justo dominio. Bona igitur ista tribuenda esse fisco, qui tamen privatis permittere posset possessionem satis stabilem, modo sibi exigeret censum proprie dictum (*la rente*), praeter aliquam ejus partem relinquendam privatis ut pergerent in hujusmodi bona impendere curam. Inde ulterius illud commodi consequuturam civitatem, ut, hoc locupletata censu, quaslibet alias aboleret vectigalis exactiones, quas ceterum arguunt injustitae. Cfr. quae fusius damus infra n. 181. B.

175. De socialismo qui dicitur Status vel cathedrae [1]. Etsi hoc nomen *Socialistarum Status* aptari possit designandis iis socialistis qui reipublicae conferunt possessionem rerum quae usum habent quaestuosum, plerumque tamen iis reservatur qui fere unice a publica potestate exspectant oeconomicam societatis reformationem, adeo ut nimis amplum legibus concedant imperium. Quare etiam, ut convicium aliquod, in eos infligi consuevit qui jure vel immerito accusantur quod nimias faciant Status partes in rebus ordinandis.

Inter quos quum plures essent professores universitatum, potissimum Germaniae, coepti sunt vocari *socialistae cathedrae* (*Katheder Socialisten*). Ita Roscher [2], Conrad, Schmoller. Nonnulli ex iis non valde jam abhorrent ab oeconomicis socialismi dogmatibus. Quod praesertim tenet de Schaeffle.

---

[1] *Socialistes d'État* ou *de la Chaire.*

[2] Is annuum instituit conventum virorum qui his favent opinionibus : quae origo fuit celebris societatis *Verein für Sozialpolitik.* Cfr. de Laveleye, *Le socialisme contemporain,* p. 324.

176. Socialismi proprie talis scientificae rationes. a) Socialismo proprie dicto, ad quem hoc loco contrahimus sermonem, haec brevis ratio supponi potest, quod aequalitate conditionum occurrendum foret malis et vitiis quibus hodierna laborat societas. Accusando enim complurium inopiam, vituperando corruptelas et « abusus », maxime proficiunt socialistae. Simul insano furunt studio absolutae inter cives aequalitatis. Non satis ipsis est jus legis esse omnibus aequale, sed omnem conditionum disparitatem repugnare existimant aequali naturae quam participant homines. Quocirca, cum fere omnem ordinum inaequalitatem a fortunarum varietate noverint hodie proficisci, hanc volunt suppressam, eripiendo privatis divitiarum fontes, occasiones dico quaestus ac lucri.

b) Scientificam tamen socialismi demonstrationem potissimum aggressus est K. Marx [1], ejusque systema, ad summam quod attinet, omnibus fere scriptoribus collectivistis adhuc hodie probatur. Quare, paucis, ejus praecipua, notatis ubi fuerit opus controversiis, dabimus capita. Sunt autem haec :

α) *Processus dialecticus philosophiae hegelianae,* quem tamen K. Marx inversa dicit intelligendum ratione. Hegel enim statuerat processum *logicum,* quo, cogitationi seu mentis cogitantis evolutioni responderet evolutio entis cogitati. Marx, contra, induxit processum *ontologicum,* quo evolutioni reali idealis accomodaretur [2]. Processus autem ille seu motus tribus constituitur momentis inter se contrariis, ita ut per duplicem contrarietatem perveniatur ad quamdam compositionem seu concordiam. *Thesim* igitur seu affirma-

---

[1] Ipse tamen demonstrationis elementa non primus invenit. Cfr. v. gr. ea quae tradunt B. Malon, op. cit. c. 15 et D. Van Overberghe, op. cit. Ceterum pleraque argumenta socialistarum esse recantata ex iis quae superiore aetate, vel serio vel fingendo aliquam rempublicam, jam docuere philosophi sive ethnici sive catholici, ostendit R. P. Capart, *La Propriété individuelle et le Collectivisme,* 2e partie, c. 1.

[2] Womit, ut aïebat Engels, die Hegelsche Dialektik wieder « vom Kopf auf die Füsse gestelt wurde ».

tionem, quae prima est, excipit *antithesis* seu negatio; haec rursus, seipsam negando, pertingit ad *synthesim*. Exinde potuit Marx vaticinari fata futura et necessarium collectivismi adventum. Initio enim fuit rerum omnium communio tanquam *thesis*. Successit omnium rerum privata proprietas ut *antithesis*. *Synthesis* erit communio rerum quae quaestui destinantur et privata proprietas rerum sterilium. Vel, si malueris, in initio artifex privatim exercebat artem ejusque colligebat fructum (*thesis*). In magnis nunc officinis, in commune fit rerum effectio, non autem fructuum partitio (*antithesis*) [1]. Restat ut appropriatio fructuum induat, in *synthesi*, socialem rationem.

β) *Materialismus historicus* [2]. Ex quo res coeptae sunt privatim possideri, tota historiae connexio seriesque hac lege continetur quae vult oeconomicae societatis constitutioni cetera esse obnoxia: religio, mores, jus ac persuasiones, sunt quasi « epiphenomena » phenomeno oeconomico [3], ab iis qui principatum tenent in societate [4], superstructa. Ita exponi potest doctrina; ex qua illud consequitur, ut, mutata ordinatione oeconomica, nec religio nec pristini mores consistere possint.

γ) *Pugna ordinum inter se* [5]: haec ipsas mutationes oeconomicas operatur.

δ) *Theoria valoris*, quae in labore omnem causam reponit valoris. Haec rationem praebet cur varii ordines necessario bello inter se conflictentur. Et revera, si solus labor efficit valorem, illi qui rerum efficiendarum vel commutandarum possident instrumenta non ditescunt nisi ex *alieno* labore, quatenus sibi sumunt partem valoris qui per se pertineret

---

[1] « Gegensatz in... dem privaten Charakter der Aneignungweise und dem gesellschaftlichen Charakter der Produktionsweise. » Bernstein, op. cit. p. 14.

[2] Merito Bernstein, op. cit. p. 13 anteponeret vocabulum *Oekonomische Geschichtsauffassung*.

[3] Dictum ab Henrico Ferri.

[4] *La classe dominante*.

[5] *Lutte des classes*.

ad operarios. Hoc autem in ipsorum est potestate, quia, ex una parte, ob monopolium suarum possessionum, exigere valent ab operariis quidquid horum (propriae personae et familiae) superest moraliter necessariis alimentis ; ex altera vero parte, paucae horae sufficiunt ut labor operantis congruum victui quotidiano genuerit valorem. Quidquid ergo per reliquam effecerit diem, tollitur ab iis qui industriae possident instrumenta (*capitalistes*). Ac, quo magis ex novis inventis augetur laboris fertilitas, eo magis ingravescit ista spoliationis ratio. In dies etiam numero augentur artes quae hoc modo exercentur. Ex quo fit ut spoliationes istae majorem excitent invidiam, acuant furores belli quod sedari non poterit nisi postquam, inducto collectivismo, ipsa ordinum distinctio sublata fuerit e medio.

N. B. 1. Cum ista doctrina cohaeret nova quorumdam verborum apud socialistas significatio. Hodie enim, ex possessis industriae vel mercaturae instrumentis et subsidiis, maxime autumant esse distinguendos civium ordines. *Proletarios* vocant qui nulla habent [1] ; *pecuniosi (bourgeois capitalistes)* qui, illa locando, aliorum opera ex iis quaestum faciunt ; *cives medii ordinis*, qui in industriam propriam propria adhibent instrumenta ; *capitale* quidquid est quod aliena opera fructificet [2]. Vocabulo gallico *révolution*, *révolutionnaire* violentam quandoque designant rerum eversionem, quandoque novum societatis ordinem etiam qui pacifice videatur inductum iri [3].

2. Dum K. Marx non videt nisi unum rerum exitum, B. Malon et alii autumant easdem vario posse desinere modo, majusque faciunt imperium rationis et mentium in

[1] Hanc si urgeas rationem, ut merito observat Leroy-Beaulieu, inter proletarios habebis etiam eos qui, v. gr. ob negotii gestionem, pinguissima habent annua stipendia.

[2] « Le capital, c'est-à-dire la propriété qui exploite le travail salarié. » *Manifeste du parti communiste*, II, p. 18.

[3] Cfr. *Musée Social*, 1900, p. 16, 21, 29,

historica tata. Quare, aliquo modo certe, sunt et se profitentur adversarios materialismi historici [1].

Dissentiunt etiam a K. Marx in hac altera re, quod is existimat genus humanum in eo nunc esse, ut, emenso stadio, in collectivismi felicitate consistere perpetuo possit, dum alii nullam promittunt viatori requiem [2].

177. Reliqua socialistarum placita. Juvat, exposita oeconomica socialismi ratione, verbo indicare quaenam, in aliis generibus, placeant communiter omnibus qui agmen ducunt socialistarum.

a) Profitentur atheismum, et in locum divini cultus sufficiunt nescio quam humanitatis religionem [3].

b) Natura sua homines ad bonum ita dicunt propensos, ut vitio institutorum omnia sint tribuenda mala.

c) Negant animam spiritualem, liberum arbitrium, et fatali subdunt societatem evolutioni.

d) Repudiant indissolubile matrimonium; commendantque unionem quae solo nitatur amore. Contractum enim conjugalem aliis esse sanctiorem perfracte negant.

e) Partes essentiales publicae auctoritatis revocant ad rerum oeconomicam administrationem. In regimine socialistico, non jam, ut jactant, regentur personae.

178. Socialistarum species. Ex supradictis fit sat manifestum qua varia ratione distingui possit inter socialistas.

a) Ex *genere socialismi,* alii profitentur *socialismum purum,* alii *mixtum* seu *agrarium,* qui dici possit anglo-americanus ex regionibus ubi, propter malas artes in acquirendis sive administrandis agris vel in expellendis colonis exercitas, maxime invalescere coepit.

---

1 Cfr. B. Malon, *Précis de socialisme*, c. 15.

2 B. Malon, op. cit. c. 23, p. 225, Bernstein, op. cit. p. 5.

3 « Au sens religieux proprement dit, il (le socialisme) substitue le sens social; au culte d'une entité abstraite, le culte de l'humanité. » B. Marlon, *Précis de socialisme*, c. 19.

« Il n'est pas de sauveurs suprêmes.
Ni Dieu, ni César, ni tribun. »

In cantu *L'Internationale*, quo finem fecere congressui Parisiensi, habito 3-8 dec. 1899, ad reconciliandas inter se varias socialismi partes in Gallia

b) Ex *subjecto* dominii collectivi, Galliae *communistae-anarchici* possessiones tribuunt *municipiis* quae perfecta fruerentur autonomia ; alii res addicunt *Statui ;* alii *universaliori hominum societati* nullis circumscriptae finibus.

c) Ex *mediis* quae eligunt, alii, spretis modis legalibus et politicis, sola vi volunt praevalere suntque *anarchistae practici ;* alii potius ope suffragii popularis se sperant consecuturos supremátiam. Atque hi magis proprium *socialistarum* nomen retinent [1], qui tamen, occasione data, non abnuerent etiam agere vi ; et a singularibus homicidiis vel sceleribus potius quam a turbis sunt alieni [2]. Inter hos posteriores, alii, veluti morae impatientes, adversantur remediis quae plebis mala leniant, quum ex acerbitate dolorum magis proximum exspectent causae triumphum ; vel, si haec immania repudient, saltem remedia ista et lenimenta et varias reformationes, in rebus secundariis et subsecivis habent. Ita *Marxistae* puri. Alii contra, non contemnunt beneficia, et cooperantur legibus et decretis quae populi sortem in melius mutant. Hujus sententiae sunt « *possibilistae* » qui toti sunt in his obtinendis reformationibus quarum actu copia detur ; et per lentas progressiones ad ordinem tendunt novum. Ita plures in Gallia, in Germania v. gr. DD. Vollmar et Bernstein, nec pauci in Belgio.

179. Notiones historicae. Nimis profecto ab argumento nostro digrederemur, si socialismi fata historica accurate persequi vellemus ; non parum tamen juvabit ante oculos habere a) ipsius doctrinae quaenam fuerint

---

[1] Exinde intelligitur, cur jam, inde a congressu Londinensi, ad separandam suam causam ab anarchistis, inter essentialia principia socialismi ponant usum mediorum politicorum. Recens adhuc ii qui coegere comitia Parisiensia a. 1899, his verbis eadem reddebant principia : « Entente et action internationale des travailleurs, organisation politique et économique du prolétariat en parti de classe pour la conquête du pouvoir et la socialisation des moyens de production et d'échange. »

[2] « Sachons être révolutionnaires quand les circonstances l'exigent, mais soyons réformistes toujours. » B. Malon, *Précis de socialisme*, c. 18.

semina et *genesis* ; 2) quaenam *primordia hodiernae factionis* ; 3) qui *conatus* facti sint practice inducendi socialismum.

1. De genesi doctrinae.

A. *Praeformata est hodierni socialismi doctrina :*

a) Quibusdam operibus philosophorum antiquorum. Mentio in primis est facienda dialogorum Platonis *De Republica* et *Critias,* ubi, in perfecta quae fingitur civitate, omissis servis et plebe vulgaribus addicta artibus, proceres, qui civitatem prudentia regunt armisque tuentur, communia habent bona, mulieres et liberos.

b) Operibus romanensibus quae deliciosam pingunt imaginem vitae perfecte communis. Commemoranda hic sunt : sec. XVI, opus *De nova insula Utopia,* conscriptum a B. Thomas Moore [1], quod pluribus scriptis fuit exemplo, nec paucas socialistis praebuit rationes impugnandi privatas possessiones ; sec. XVII, *Civitas solis* vel *de Reipublicae idea dialogus politicus,* adornatus a Campanella, ex-Dominicano ; seculo XVIII, *La Basiliade,* carmen paedagogi Galli, cui nomen Morelly ; et, in Anglia, *Spensonia*, opus romanense institutoris Angli nomine Spence, qui agrorum potissimum adversabatur proprietati ; saeculo XIX, *Le Voyage en Icarie* (Iter in Icariam) quod condidit Cabet. Recens, 1890, in America prodiit adhuc simile opus romanense, *Looking backward,* cujus auctor est Bellamy.

c) Operibus philosophorum seculi XVIII, qui, ut Rousseau [2], impugnabant privatum dominium, vel, ut Diderot [3], celebrabant delicias amoris liberi, vel, ut Morelly [4], ex cultu hodierno repetebant omnia hominis vitia novumque delineabant in communismo constitutum ordinem, unde multa mutuati sunt recentiores communistae. Omittendus non videtur ipse Montesquieu, notissimus scriptor operis *L'Esprit des lois.* Scientificae expositioni

[1] Ipse in animo habebat utilia consilia miscere fictionibus.
[2] Cfr. *Discours sur l'origine de l'inégalité,* 2ª parte; *sur l'économie politique,* etc.
[3] *Supplément au voyage de Bougainville.*
[4] *Code de la nature.*

socialismi viam paravit philosophia rationalistarum Germaniae, atque omnium maxime Neo-Hegeliana.

d) Imo, jure ac merito, inter parentes socialismi poni possint plures pseudo-reformatores seculi XVI et omnes qui deinde dimicarunt adversus Ecclesiam Christi et instituta moralia ac civilia quibus dederat originem [1]. Socialismi dogmata etiam adumbrata sunt :

e) Scriptis plurium qui hoc seculo varia ratione sunt proprietati privatae moribusque christianis adversati, ut communismum, vel collectivismum, vel anarchismum laudarent. Praecipui sunt de Saint-Simon ejusque discipuli ; R. Owen, L. Blanc, Proudhon, P. Leroux, de Colins.

f) Libris *oeconomistarum* liberalium. Ita systema H. George innititur doctrinae Ricardo ; et, antequam Marx hoc uteretur fundamento, Ad. Smith, Bastiat aliique plures solum in labore positum censebant valoris fontem.

B. *Hodierni socialismi praecipui doctores* recensentur K. Marx et F. Engels, qui, rogati a congressu londinensi anni 1847, ediderunt anno 1848 libellum, *Manifeste du Parti communiste,* quo, quasi authentico edicto, adhuc hodie utuntur socialistae, etsi, diu neglectum, tantum post annum 1871 coeperit habere celebritatem. Primum tamen locum occupat K. Marx. Ipse suo libro *Das Kapital* scientifici socialismi propriam expressit formam. Huic addas Bebel, qui rempublicam socialistarum qualis foret adumbravit in pravo opere *Die Frau* (Mulier) ; Liebknecht, qui scribit ephemeridem *Vorwärts*. In Gallia maxime nota sunt opera B. Malon, *Précis de socialisme, Le socialisme intégral*. Is condidit *la Revue Socialiste*.

2. De factione. In *Germania*, praecipuum habuit socialismus apostolum Lasalle, qui velut alter Messias celebrabatur. Is, cujus consilia videntur fuisse pacifica, plurimam spem posuit in proletariorum collegiis, quae, juvante republica, artes exercerent vimque infringerent pecunio-

[1] Cfr. Enc. *Quod apostolici* (28 dec. 1878), in initio.

sorum; condidit autem coetus socialistarum qui proprii erant Germaniae, dum K. Marx, a quo profecta est secta cui nomen *l'Internationale*, potius variarum gentium proletarios amicitia ac foedere conjungere studuerat. Nec plane de principiis uterque consentiebant. Ita v. gr. famosum inventum Lasalle, *lex aenea salariorum*, placitis K. Marx minime congruebat. Verum, in congressu Gothensi, anno 1875, socialistae Germani adhaesere communiter doctrinae Marx, ita ut abhinc repeti possit factionis *germanicae* origo. Praeter Marxistas puros, et *Socialistas juniores*, qui, ducibus Werner, Auerbach, etc., morae magis impatientes, Marxistis nimium objiciunt « Parlamentarismum », non desunt alii qui ad partes magis temperatas inclinant animo. In hoc numero sunt von Vollmar, Bernstein, cui adversatur Kautsky.

Factio *gallica* condita est anno 1880, primumque caput sibi constituit D. J. Guesde. Deinceps in plures divisa est partes, quae inter se pacti sunt concordiam, in congressu Parisiensi, habito a 3 ad 8 decembris 1899 [1].

In *Belgio*, primordium factionis fuit conventus operariorum qui Bruxellis peractus est 5 april. 1885. Ibi, auctore Volders, potius quam socialistarum, nomen sumpsere *factionis operariorum. (Parti ouvrier* [2].)

Praecipui conventus. Omissis iis qui proprii sunt alicujus gentis, praecipua concilia, post dissolutam (1877) societatem cui nomen erat *Internationale*, fuere Gandavense, 1877; Parisiense, 1889, Londinense, 1896.

Experimenta regiminis aliquo modo communis. Quoniam ipsi socialistae non raro appellare audent alicujus communismi experimenta, quae sive olim consilio plane a suo ipsorum diverso, sive recentius etiam a nonnullis collectivismi fautoribus sunt tentata, operae pretium esse videtur ut quid de hac re sentiendum sit paucis expediamus.

---

[1] Cfr. *Musée social*, januar. 1900.
[2] Vandervelde et Destrée, *Le socialisme en Belgique*, I, 4 (p. 11).

Agedum, ad *tres formas* revocari possunt illa experimenta.

Prima, parum certa ac definita [1], pertinet ad nonnullas civitates antiquas, Cretensium nimirum et Laconum, ubi, neglecta multitudine servorum vel eorum qui humilioribus erant addicti artibus, cives proprie tales, seu ordo ille praecipuus qui suo arbitrio omnia domi militiaeque gerebat, similibus studiis, amore quodam patriae atque ipsa ejus tutandae necessitate perductus est ad satis conjuncte vivendum et ad aliquam victus communitatem [2] ineundam.

Altera forma nititur fundamento religioso, magnam edit severitatem vivendi, planeque fidit auctoritate paucorum.

Ita non pauci fideles ecclesiae hierosolomytanae, ultroneae addicti paupertati, coeperunt suas fortunas in medium afferre. Ita etiam sectae Albigensium et Anabaptistarum, quae privatis possessionibus erant infensae, originem dederunt (1527) *Fratribus Moraviae (Frères Moraves)*, qui per aliquod tempus communia habuere bona donec, post sex, septem annos, ipsorum res, obortis discordiis, coeptae sunt dilabi [3]. Diutius perstant in satis perfecta aequalitate coloni quibus, ex regione quam occupant, nomen datum est *Hernhuters*. Hi orti sunt ex *Fratribus Bohemis*, qui Hussitarum sunt propago. Strictam profitentur dependentiam ab auctoritate seniorum; et, quamvis non excludant privatas possessiones, arto vivendi modo et religioso quo nituntur fundamento potius imitantur instituta religiosa Ecclesiae catholicae [4].

Felices duxerunt annos, sub Missionariis Societatis Jesu Paraguaienses barbari. Nullum tamen stricte dictum profitebantur communismum, nec hujusmodi instituta excultis populis congruere valerent [5].

---

[1] Cfr. Pöhlmann, op. cit., p. 6.

[2] Pöhlmann, qui, op. cit., de his maxime est conferendus, communibus epulis *συσσιτίοις*, causam assignat militarem et politicam. Videsis p. 65.

[3] Cfr. Thonissen, *Le socialisme dans le passé*, c. 6, § 3.

[4] Cfr. ibidem c. 3, § 3.

[5] Cfr. *Stimmen aus Maria-Laach*, XXV, 445.

Nemo non videt quam parum hae binae rationes conveniant cum socialistarum somniis, a quibus abest quaevis humilitas atque abnegatio.

Tertia tandem forma ex intentione manat magis temporali et oeconomica.

Commemorandae hic sunt coloniae « *cooperativae* » frustra hoc saeculo tentatae ab R. Owen: prius in Scotia [1], ubi res aliquamdiu prosperrime cesserunt, dein in America et in Anglia; et, in Gallia, *officinae nationales* L. Blanc quae miserrimae desierunt [2]. Quae recens celebrantur societates communisticae Australiae *(villages communistes)* potius genus sunt « *cooperationis* » et argumenta praebent contra communismum [3].

Non felicius processere complures conatus qui facti sunt in America, ita ut scribere potuerit R. P. Cathrein, ex centum fortasse experimentis communisticis quae hoc saeculo recenseri possint, nullum esse qui optabilem habuerit exitum. Cfr. ceterum *Stimmen aus Maria Laach*, XLIX, 284 sq. LII, 347, LIII, 338.

ARTICULUS II. **Formula et argumenta conclusionis**

THESIS XII

Collectivismus, sive purus sive mixtus, cohaeret cum falsis rationibus et judiciis, nec minus in se est plane rejiciendus.

180. I. Status quaestionis. 1. Manifesta INTENTIO THESIS repugnat oeconomicis placitis hodierni socialismi. In qua refutatione, illud de ipsa methodo observandum venit, minime nobis opus esse ut contra socialistas praesentem tueamur oeconomici ordinis figuram, quasi haec sit in aevum mansura atque omnibus numeris absoluta et perfecta. Cur enim hic consistere debeat progressus generis humani, potius quam in herili dominatione, feu-

[1] Cfr. Thonissen, *Le socialisme et ses promesses*, c. 3, § 1.
[2] De his confer Pierre de la Gorce, *Histoire de la 2de république*.
[3] Cf. *Musée Social*, Mars 1900, p. 75, 77, 79, 85, 91.

dali aristocratia vel privilegiatis opificum collegiis, nulla apparet ratio; nec desunt, etiam inter catholicos, qui non minus ac socialistae gravissimis verbis corripiunt vitia et abusus illius quo utimur regiminis [1]. Sed ob hanc causam repudiamus socialismum, quod quae et a Christo nato et ante Christum communia fuere omnis excultae gentis instituta aggreditur et evertere cogitat; atque sic se prodit ipsi hominum naturae, qualis « in concreto » existit, infensum.

2. Exponuntur voces.

Collectivismus, id est socialismus hodiernus quatenus oeconomicum respicit ordinem.

Sive purus, cujus dogma praecisum istud est: communiter possideatur quidquid est quo res gignuntur vel commutantur; communiterque ordinetur omnis ratio artificii vel mercaturae *(la production et l'échange).*

Sive mixtus, qui rebus immobilibus, agris praesertim, circumscribitur;

Cohaeret cum falsis rationibus, ita ut jam corruat ex vanitate sui fundamenti;

Et judiciis: judicia appellamus sententias quae probatae sunt socialistis etsi minus directe vel necessario ipsis efficiunt argumenta.

Nec minus in se, ut non in solis rationibus sed etiam in seipsis attingamus et revincamus istos errores;

Est plane rejiciendus. Plane, inquam, quatenus non tantum praesentibus seu mox instantibus repugnat temporibus, sed omnibus, attenta natura humana qualis existit post originale peccatum; *plane* etiam, quatenus, ne quidem sublata impietate et redactus ad systema mere oeconomicum quale exhibetur a D. Schaeffle, admitti potest; *plane,* denique, h. e. non ex parte tantum sed ex toto, quatenus nec forma est quam inducere queas nec exemplar ad quod certe sit accedendum.

[1] Cfr. v. gr. opus R. D. Fr. Hitze, anno 1880 conscriptum, quod recens, 1898, gallice reddidit D. Weyrich, sub hoc titulo: *Capital et Travail.*

NOTA THESIS. De formali contrarietate quam *fundamenta puri socialismi* habent ad omnem religionem non est cur dicamus. « Tanta est, scribebat Leo Pp. XIII [1], inter eorum prava dogmata et purissimam Christi doctrinam dissensio, ut nulla major existat. » Ipsam eorum opinionem de bello inter varios ordines his, in Enc. *Rerum Novarum*, percellit verbis, quae profecto sunt gravissima: « Est illud in causa, de qua dicimus, capitale malum, opinione fingere alterum ordinem sua sponte infensum alteri, quasi locupletes et proletarios ad digladiandum inter se pertinaci duello natura comparaverit ».

Quod ad *placita stricte oeconomica* absoluti collectivismi, haec notanda videntur *temeritate*. Nota enim illa [2] plane videtur congruere cum hoc S. Pontificis judicio: « Ex quibus omnibus perspicitur, illud socialismi placitum de possessionibus in commune redigendis omnino repudiari oportere, quia iis ipsis, quibus est opitulandum nocet; naturalibus singulorum juribus repugnat, officia reipublicae tranquillitatemque communem perturbat [3]. »

Nec meliore nomine notandus est *socialismus temperatus* seu *agrarius*. In eadem enim Encyclica diserte docet S. Pontifex rectum esse jus quo agri a privatis ut dominis possidentur. Quod adeo verum est, ut ipse H. George conatus sit solvere S. Pontificis argumenta [4]. Quin imo, quum haec socialismi forma dominos agrorum formalis arguat injustitiae, videri posset indirecte perculsus reprobatione Apostolicorum (21 saeculi a Christo nato) et Wicleffi. Priorum sectam inter haereticas reponit S. Augustinus [5], quia putarent eos qui res proprias possiderent nullam habere spem salutis. Inter

[1] Lit. enc. *Quod apostolici*, 28 dec. 1878.

[2] « Propositio temeraria est illa quae repugnat doctrinae theologicae ita certae, ut illam negare fas non sit » C. Mazzella, *De virtutibus infusis*, n. 534.

[3] Enc. *Rerum Novarum*.

[4] In epistolâ ad summum Pontificem.

[5] *De haeresibus* l. 1, haeres. 40a. Similem videntur errorem esse professi Waldenses.

articulos J. Wicleffi damnatos in conc. Constantiensi, 10us et 36us peccati et haeresis reos faciebant clericos qui haberent possessiones [1]. Jam vero, patet, tunc praesertim res quarum Apostolici abjudicabant privatis proprietatem maxime fuisse terras ; nec minus est manifestum possessionem agrorum, quae clericis non repugnet, minus etiam esse laïcis interdictam. Nihilominus, quia hodierni possessionum osores agros non ex toto excludunt privato dominio, sed mere volunt ut Statui cedat census stricte dictus, arbitramur ab ipsis declinari posse pristinas damnationes.

Simul hoc loco notandum est, eos tantum agrariis accenseri socialistis, qui docent agros, *natura sua,* pertinere ad communitatem. In hujusmodi enim adjunctis versari potest civitas, ea praesertim quae nunc sua habeat primordia, ut e re publica esse videatur, instaurare, ope census ex agris percepti, aliquam fiscalis dominii rationem. Nec qui contenderit hanc formam tributi, qua totum censum sibi vindicet publica potestas, esse de se ubique commendandam, ideo labe socialismi fuerit infectus. Res tunc recidit ad quaestionem de justitia observanda in tributis et de recta horum partitione.

II. Probatio.

181. Probatur 1 Pars. *Collectivismus sive purus sive mixtus cohaeret cum falsis rationibus et judiciis.*

A. De Collectivismo puro.

Non solum enim *historice*, seu « de facto » ementita et falsa plenaque erroris sunt quae afferunt praecipui collectivismi doctores ad suum systema vel demonstrandum vel confirmandum, verum etiam, quod magis est, *logice* defendi nequit sine hujusmodi argumentorum praesidio.

1. *De historica conjunctione qua plurima falsa cum collectivismo connectuntur.*

---

[1] Nonnulli etiam provocant ad articulos de quibus Martinus v voluit ut interrogarentur quicumque suspecti erant errorum Huss et Wicleffi; sed, ut observat R. P. Billot S. I., *De Ecclesia Christi.* T. 2 p. 113, ex iis quaeri nequit lex et norma credendi.

Falsus est *materialismus; falsus evolutionismus* talis ut ipsae naturales propensiones abjici valerent a maxima parte generis humani : haec aliunde constant.

Falsus est *materialismus historicus* K. Marx. *A priori* enim, si suarum necessitatum causa homines inivere societatem, eaeque non tantum sunt ordinis oeconomici et materialis, satis jam apparet fieri non posse ut processus historicus ultimo resolvatur in causas oeconomicas. *A posteriori* autem sexcenta sunt exempla quae thesim istam evertunt. Quae ratio oeconomica substerni potest exordiis Christianismi qui praecipue nititur facto resurrectionis Christi, vel ipsi propagationi Mahometismi, vel expeditionibus ad liberandam Terram sanctam ? Quid oeconomicum in reperto codice juris romani, in renovatione artium ac literarum *(Renaissance)*, in pseudo-reformatione XVI seculi : quae maximi fuere momenti ad fata historica totius Europae, vel universi potius orbis [1] ? Quid, quod saepe ex indole, ingenio, virtute vel vitio unius hominis penitus mutantur fortuna, religio, cultus alicujus gentis. Animo recolas Alexandrum Magnum, Gust. Wasa, Napoleonem, Bismarck, etc.

Nec satis est, ad enervandam vim istius argumentationis, ostendere aliquam convenientiam inter doctrinam christianam et temporales societatis conditiones, vel probare plures ex iis qui sacris expeditionibus nomen dedere fine oeconomici ordinis fuisse motos. Inde nullatenus sequitur ipsam doctrinam, ipsas expeditiones causis tribui posse oeconomicis. Quam saepe enim complures qui operam aliquam navant vel partes quasdam amplectuntur, privatis aguntur cupiditatibus et studiis variis ac diversis quae a fine ipsius operis vel intentione eorum qui partes constituere sunt remotissima : nec tamen ab istis studiis opus istud vel istae partes mutuantur suam naturam. Sic, verbi

---

[1] Ipse B. Malon plura facta opponit huic doctrinae, in *Précis de socialisme*, c. 14.

gratia, negari nequit sat multos fortasse sperato pecuniae quaestu moveri ad nomen dandum catholicis vel liberalibus partibus. Quis tamen serio existimet hic quaestionem agi ordinis oeconomici, et de rei familiaris dispensatione ambas partes inter se conflictari?

Neque illud praecipuum praeteriri potest, socialistas parum proficere eo quod fere in omni re aliquas deprehenderint rationes oeconomicas: ob naturam quam habemus compositam et momentum quod apud plerosque obtinent corporis utilitates id suspicari poteramus nec mirari debemus; sed minime inde efficiunt in societate omnia oeconomicae parti positive aptari ipsique esse obnoxia. Quod nisi praestiterint, omni caret firmitate ipsorum historicus materialismus.

Falsa est *pugna inter ordines*, qualis exponitur a K. Marx, qui eam habet ut medium universale, quo, desinente harmonia inter institutiones positivas et ordinem oeconomicum, humanum genus necessario ad novum pertingeret stadium suae evolutionis. Et re quidem vera, ideo, ex intentione naturae, variant conditiones et fortunae, ut mutuam alii aliis ferrent opem potius quam ut hostili animo inter se confligerent [1]; apertissima autem historiae documenta demonstrant multo magis ex bellis cum exteris gentibus quam ex civili dissensione populos ad alium usum cultumque vitae fuisse deductos. Sic barbari agrestes deposuere mores, sic Graecia victa suam humanitatem in rusticum induxit Latium. Nec apud plures Orientis gentes vestigium hujusmodi pugnae deprehenditur. Atque, ut ad nosmet ipsos redeamus, quid in nostros mores non potuere variae excogitatae artes, v. gr. typographica. Quam aliena tamen ab istis inventis fuit ordinum pugna! His addas, ut teneret ratiocinium K. Marx et Engels, opus fuisse ut egestas proletariorum in dies sese intenderet: unde, statis intervallis, post decimum quemque annum [2],

[1] Cfr. Enc. *Quod apostolici*, in initio; et Enc. *Rerum Novarum*, in Ia parte.
[2] Secundum conjecturam K. Marx.

erumperent res trepidae, turbae accelerantes praesentis ordinis finem. Sed ipsi socialistae fateri coguntur sortem operariorum, a medio circiter saeculo XIX, in melius esse mutatam [1] : numeroque crevisse eos qui partem haberent soli, nedum ad paucorum manus universae divitiae pervenissent [2].

Falsa est *assecratio*, ceterum plane gratuita, qua *in instituta ceruntur omnia mala et crimina:* quum in ipsa nostra indole satis se prodant vitiorum semina, hominesque moribus diversissimi iisdem usi fuerint institutis. Quin imo, si quae fuit necessitas aliter civitatem constituendi, hominibus, qui corruptis suis moribus vitiarunt regimen, culpa ut plurimum est assignanda. Recolas fata romanae reipublicae. Civilibus ceterum institutis priores fuere ipsi homines. Qui si perfecti fuissent, non apparet quomodo perversis institutis dedissent originem. Quanto verius ergo Aristoteles jam suo tempore scribebat [3], de litibus et variis malis non esse accusandam proprietatem sed improbitatem.

Falsa est *aequalitas jurium et officiorum*, quum natura non tantum fecerit ut homines essent ejusdem speciei sed singulis maxime varias statuit conditiones ingenii, ortus et loci ita ut ab ipsa nativitate jam multis inter se differrent. Cfr. Enc. *Quod Apostolici*, in 1ore parte.

Falsa est *theora valoris*, quam Marx ponit instar primi fundamenti. Cfr. infra, thesim de valore et pretio.

Falsa, nec minus religioni quam naturae contraria, *ratio qua matrimonium cujuslibet simile praedicant contractus*, ipso paciscentium consensu *rescindibilis*, et *prolem parentum providentiae volunt subductam*. Id patet ex aliis disciplinis.

[1] Cfr. Cathrein, *Der Socialismus*, c. 2, art. 2, § 3 et 4.

[2] « Die Zuspitzung der gesellschaftlichen Verhältnisse hat sich nicht in der Weise vollzogen, wie sie das Manifest schildert... Die Zahl der Besitzenden ist nicht kleiner, sondern grösser geworden... Die Mittelschichten änderen ihren Charakter, aber sie verschwinden nicht aus der gesellschaftlichen Stufenleiter. » Ita ipse Bernstein, *Die Voraussetzungen des Sozialismus*, Vorwort, p. VI.

[3] *Politicorum* lib. 2, c. 3.

2. *De logica conjunctione falsorum cum collectivismo.* Satis erit haec sumere exempla.

Repudiato materialismo, ruit ipse processus historicus quo omnia phaenomena in causam oeconomicam proxime vel ultimo refunduntur. Negato autem isto processu, ordo futurus quem celebrant socialistae ostenditur vanum esse somnium.

Qui negat omnimodam evolutionem, fateri debet nunquam, saltem per notabile tempus, inductum iri collectivismum, cum nimis aperte repugnet naturae humanae qualis nunc habetur.

Nisi socialistae ponant varios civium ordines pertinaci duello inter se confligentes, quam pacem, quam felicitatem ex suppressa ordinum distinctione nobis promittere possunt?

Nisi plane fidant innata, eaque perfecta, hominum bonitate, nequeunt ex mutatis institutis nunciare futuram concordiam felicissimamque hominum consensionem.

Si vanam facias doctrinam valoris K. Marx, jam funditus evertitur ratio quam excogitavit *capitalis* et proprietatis « capitalisticae ». Nec habet jam *antithesim* qua dialectice inferre valeat *synthesim* (cfr. 176, b, a).

Consistere non posset perfecta hominum aequalitas, quam socialistae propugnant, si viro, si patri suam permitterent auctoritatem, tolerarentque ex privata puerorum institutione cives aptitudine, studiis et persuasionibus discriminari. Verum, ad sua obtrudenda dogmata, ad omnia extrema auxilia ipsis foret descendendum.

B. De collectivismo mixto seu agrario.

1) In *falsa* nititur *oeconomica ratione*, adulterina vel saltem imperfecta *census* notione quae inventa est a Ricardo.

Census stricte dictus (*rente*) non significat apud oeconomistas omnem illam pensionem annuam quam colonus domino solvere consuevit (*fermage*), sed eam partem qua specialis aliqua reperditur agri bonitas quae naturae est tribuenda, vel ex nulla certe domini industria proficiscitur.

Ad cujus rei evidentiam, fac advertas, eum qui pretio vendere vel locare destinaverit praedium cui extricando et parando dederit operam imprimis hoc conaturum esse ut congruam stipuletur sibi mercedem tam domus et aedificiorum quae fortasse exstruxerit, quam pecuniarum vel sumptuum quae ad solum aptandum vel in melius mutandum impenderit: nec per se tale pretium ipsi denegabitur. Haec tamen ad censum non pertinent nisi late dictum; sed si quid praeterea sibi constituere valeat dominus, illud census proprie talis continet rationem.

Age nunc, ut in causas hujusmodi census inquiramus, nemo ignorat praedia, quo magis ceteris praestent, eo majores colono afferre utilitates eoque majori locari posse pretio.

Quae praestantia ergo, nisi parta sit labore sed ab ipsa proficiscatur nativa bonitate, a fertilitate v. gr. qua fit ut fructus fundant vel meliores vel qui minoris constant cultoribus, importabit incrementum locationis quod gratis obtinget domino. Is proinde percipiet censum stricte talem. Notissimum est quantum sic vineae annuo proventu inter se differant; neque aliter res se habent circa annonam vel ceteras fruges.

Rursus, sine negotio cuivis satis erit spectatum, terris non solum ex fertilitate sed etiam ex situ hoc meritum obvenire posse: sic majoris aestimantur campi qui civitatibus adjacent quam qui procul distant.

Denique, neque hoc ambigi potest, causam hanc non esse agriculturae propriam. Nam fecundiores fodinae, situs qui magis opportuni sunt exercendo negotio, imo ipsae domus quae ex area in qua collocantur aliis sunt praeferendae, censum hujusmodi in nostris regionibus ferre solent. Sed, quod magis est, in omni arte et in omni re, si quis ingenio vel casu modum invenerit parcendi sumptibus, qui modus per se vel ex privilegio legali aliis sit impervius, nonne emolumentum reportabit quod censui plane est simile, ita ut hoc solum interesse videtur quod privilegium soli sit magis perpetuum?

Hactenus quae de re difficili et disputata statui posse videntur. Celeber autem oeconomiae peritus, cui nomen Ricardo, hanc hujus census excogitavit doctrinam, quae, etsi pluribus adhuc est accepta, non uno tamen laborat vitio. Contendit enim homines, postquam certam coeperint habere sedem, primum eis solis operam dare agris qui maximae forent fertilitatis. Censui tunc nullum esse locum. Paulatim vero, ob multitudinis incrementum, necesse fieri ut sive colendo agro habitus paulo inferioris, deinde tertiae classis, tum quartae, quintae et inde porro, sive majora faciendo impendia, abundantiores compararentur fruges, quae consequenter majore essent divendendae pretio. Hac ergo ratione censum nasci iis primum qui optimos possiderent agros, deinde aliis etiam qui minus generosa colerent arva, etc. ita ut haec universe statui possent:

a) Census originem explicari per majorem annonae caritatem ;

b) Census modum metiendum esse ubertate qua, inter agros qui coluntur, ceteri eos superant qui infimi sunt habitus [1].

c) Pro crescente hominum multitudine necessario ingravescere annonam et consequenter ad ipsum censum fieri accessiones.

Atqui haec omnia ex parte tantum sunt vera, nimisque absolute dicuntur. Etenim :

a) Ficticius est ordo ille quo ab optimis colendis agris ad usque pejores deveniretur, cum praeter ubertatem non pauca alia in eligendis agris sint consideranda, nec scientifica terrarum exploratio in his primordiis fieri sit solita.

b) Solius ubertatis ratio haberi videtur, dum etiam ex situ manare potest census. Imperfecta est ergo formula quam secundo posuimus loco.

c) Utcumque se habet census stricte dictus, locationis pretium potest etiam augeri ob invalescentem artem colendi agros. Quamvis enim annona eodem stet pretio vel etiam vilescat, nihilominus lucrum majus redibit cultori si feliciorem vel minore dispendio obtinuerit segetem. Minime ergo rationes eorum qui agros possident contrariae sunt agrorum profectui [2]. Rursus hoc negligere visus est Ricardo.

d) Ob hanc causam, atque etiam ob fructus qui ex aliis regionibus advehi possunt, claudicat regula quae literae c) est supposita. Quid, quod ex ipsis factis arguere licet. Nonne, ante paucos annos, in Belgio, ubi densissimus est populus, reditus praediorum valde decrescere vidimus? Praeterea, etiamsi creverint, ob impendia usque majora quae in exercendas terras sunt adhibita, census proprie talis (gratuitus) fere ad nihilum redigitur.

Magis etiam decipitur Ricardo, quum plane negligit census qui aliis cohaerent possessionibus, et de solo agrorum censu quaestionem habet.

In manca tamen ista doctrina innititur collectivismus mixtus, qualis saltem ab H. George proponitur.

Inde enim invidiam facit possessoribus agrorum, quasi ipsi infensi forent perfectiori agriculturae artibusque quae faciliorem victum praebent hominibus.

Inde, quia putabat ad censum continuas fieri acces-

---

[1] Satis similem profert regulam D. Hervé-Bazin, cum ait (*Traité élémentaire d'économie politique*, p. 4, c. 5). « La rente est égale à la différence entre le profit que donne la culture d'une terre et celui que donne la culture de la plus mauvaise terre cultivée. » Ipse tamen, cum iis qui recte sentiunt bonitatem istam non ex sola fecunditate sed etiam ex situ ducit esse aestimandam.

[2] Cfr. V. Brants, *La lutte pour le pain quotidien*, n. 78.

siones, arbitratus est ex possessionibus agrorum cives nimis disparibus separari fortunis; dum, in nostris certe partibus, maximi quaestus ex aliis artibus et negotiis sunt percepti.

Inde, quia censum habebat aliquid quod agrorum esset proprium, has solas possessiones coepit insectari.

2) Praeter hunc errorem cujus causam in Ricardo conferre potest neque alterum effugit H. George quo:

Falso incrementum census quod dominus fundi obtinet ex amplificatis civitatibus vel similibus causis, falso, inquam, illud *cedetur tribuere formali actioni societatis* qua talis, dum debetur potius facto privatorum; nec minus falso existimat tunc solum societati profuturum quum in manus venerit Status (cfr. difficultates B. 1. b.). Sed, ut videbimus, est sua privatis possessionibus publica utilitas [1]. Quid, quod tam multi esse possunt inter quos terra distribuatur, ut longe maxima pars patrum familias commodis fruatur hujusmodi possessionis [2]. Ita, ante 15 circiter annos, in Gallia ex 7.600.000 patribus familias, 5.550.000 aliquam possidebant soli partem; in Belgio autem ex 1.100.000, 900.000.

3) *Falso* denique *negat quidquam, praeter laboris fructus, legitime a privatis possideri.* Cfr. thesim de proprietate.

182. Probatur altera pars. ***Uterque collectivismus non minus in se est plane rejiciendus.***

A. De Collectivismo puro. Sive *effectus* consideres quos secum traheret collectivismus; sive *difficultatem* eum inducendi, sive *modum* quo perveniendum foret ad istum statum: omni ex parte ostenditur damnandus et arcendus.

---

[1] Cfr. Enc. *Rerum Novarum*. R. P. Holdain, op. cit., hunc adducit locum ex Roscher (*Econ. polit.* l. I, s. 87). « Le progrès de la civilisation demande une parfaite fixité et une création plus générale de propriétés foncières dans l'intérêt de ceux qui participent à ce progrès et même de ceux qui ne possèdent pas de terre. »

[2] Quare nonnulli, ut D. Van Overberghe, valde favent legibus quae impediunt quominus magna patrimonia diu maneant indivisa. Alii, ut D. Brants (op. cit. n. 79, 84 sqq.) minus repugnant etiam amplis dominiis sed beneficam inculcant locupletum clientelam.

1. Ut ab EFFECTIBUS exordiamur, in primis observemus, vigente seu potius saeviente collectivismo, privatos homines prohiberi omni arte, omni negotiatione propria, omni quaestu vel lucro ex re vel industria propria; artes autem omnes exercendas fore sive a Statu, sive, quod malunt, ab immensis collegiis quae in suo quodque munere absolutum haberent monopolium per totam rempublicam, ita ut singula singulis praeficerentur artibus. Quam maxime enim a collectivismi ratione distaret ut plura essent sodalicia quae inter se certarent. Neque ab hujusmodi monopolio excipi possent sive scholae sive officinae typographicae. Id in confesso est apud socialismi doctores, qui, his mediis confisi, portendunt aequalitatem fortunarum finemque anarchismi oeconomici. *Aequalitatem:* stipendia enim laboris proprii, extra quae nihil acquireretur, parum inter se fore dissimilia, discrimen autem, quodcumque fuerit, mox suppressum iri, cum in sterilem tantum usum a domino adhiberi possent; *finem anarchismi oeconomici:* ad unitatem enim redacta artium exercitatione, singularum rerum eam tantum copiam affuturam quae societati satis foret, nec plus nec nimis.

Jam vero, *perspectis effectibus*, haec ratio oeconomica:

a) Repugnat *abundantiae et copiae rerum in societate.* Hebetatur enim stimulus quo ad intendendum laborem excitari consuescunt homines: notabile incrementum lucri, spes fructuose impendendi obtentam mercedem; penitus autem supprimitur stimulus accuratam praestandi operam, perficiendi artes, nova inveniendi et tentandi: sin minus redeundum foret ad pretia, commercia etc. Quin imo, civibus non sola voluntas sed ipsa deesset copia et peritia. Dum enim ex negotiis proprio susceptis arbitrio et periculo acies mentis miro modo acuitur, eadem fit obtusior ex consuetudine laborandi sub ductu aliorum. Huc accedit, quod praefecti istarum administrationum modicam darent spem solertis prudentiae et integritatis, praesertim quum suffragio populari, eoque frequentissimo,

essent designandi. Errores tamen ab ipsis commissi universam perturbarent societatem : quippe quae, ex monopolio, veluti una tantum machinata foret machina.

Repugnat *civium libertati.* Qui enim nunc loco sunt mercenariorum mere dominum mutarent : pro viro privato, particulari societate, subintraret Status vel collegium privilegiatum. Reliqui autem cives, vel ad similem mercenariorum conditionem detruderentur, vel, tamquam ministri procurationis collectivae, gerendam acciperent aliquam partem innumerabilium praefecturarum quae necessariae forent Statui qualem somniantur socialistae. Praeter binos istos civium ordines, studiis satis diversos, aeque tamen alieni juris et carentes libertate, tertio alicui ordini non esset locus. Nulla ergo reliqua vis quae paucorum obsistere valeret tyrannidi ; tyrannidi, inquam, absolutissimae rationis. Qui enim praevalerent in republica sibi haberent obnoxios omnes fontes quibus cives aluntur, instituuntur *(scholae)*, quibus sententias proferunt et abusus carpunt *(prelum).* Nec prodest effugium quaesitum ex variis corporibus quae singulas administrarent artes. Nisi enim haec in arbitrio forent et potestate eorum qui universae praesunt societati, quo pacto servaretur variorum istorum corporum congruentia et harmonica conspiratio in operando ? Et quid conqueramur dominatum Status, cum jam in singulis collegiis praefecti magis durum civium cervicibus imponerent jugum. Nec quia suffragiis instituerentur, minorem haberent opprimendi copiam, sed, experientia teste, vexandi majorem conciperent voluntatem ob aemulationes et contraria partium studia.

Insuper, foretne arbitrio praefectorum permissum, ut socios admitterent vel excluderent ? Centuplicato redirent abusus antiquorum collegiorum ! Cogerenturne quoslibet recipere ? Quid, si tunc numero se offerrent plures vel pauciores quam oportet ? Si plures : solveresne posterioribus mercedem minorem ? Quo jure haec inaequalitas,

qua prioribus competeret aliquod privilegium-dominium in quandam artem? An omnibus mercedem minorem statueres? Quam multae tunc querelae! Praeterea, sic jam recederes a lege valoris quae ex labore omnia aestimanda pronunciat. Pari modo, si ingrato labori pauciores quam necesse est operam dare vellent, non posses, nisi deserendo rationes collectivismi, majore mercede alios allicere.

Neque hic finis difficultatum. Vilioribus enim artibus, ad quas omnes sunt idonei, majora tunc tribuerentur stipendia. Quis non viderit, brevi ad contrariam nimietatem perventum iri, ita ut diu discrimen notabile mercedis consistere nequiret. Sed si modicum tantum discrimen, jam nihil efficaciter cives ad ingratum alliceret laborem, praesertim quum ex placitis socialismi nulli operario negari posset ea merces qua commode sibi suisque provideret. Quare, quasi fatale malum, novum induceretur genus servitutis quo miseris civibus ipsius laboris adimeretur optio [1].

Ceterum, ut dicamus in transcursu, nec jam apparet quomodo, suppressa facultate locandi vel vendendi domum, posset aliquis libere domicilium mutare.

Repugnat *parsimoniae et bonis moribus*. Cui enim nulla suppetit copia utiliter impendendi fructus qui supersunt laboris, is ad prodigas dissipationes plerumque est propensus. Nec motiva quibus ad socialismum cohortantur homines ejusmodi sunt quae faveant continentiae et sobrietati. Inde nec de moderandis cupiditatibus nec de componendis moribus jam agendum esse videretur.

Repugnat *civium felicitati*. Inexplebili siti voluptatum modicae responderent facultates. Tenor vitae potius uniuniformis. Nulla laetitia de propriis bonis, quae sterilis chartae haberent figuram ; — nulla de familia nec de

[1] Profecto neque nunc optio conceditur infinita ; aliqua tamen habetur ; et quae cogit necessitas est adjunctorum, ingenii, non autem invisa jussio atque coactio.

liberis instituendis : aboleretur auctoritas ac providentia parentum, qui non jam existimarent se in filiis, suam continuantibus personam, fore superstites ; — nulla de animo benefico et liberali : occasio et media praestandi beneficii aeque desiderarentur. Communia studia atque utilitates multis variisque vinculis nunc inter se jungunt cives : inde discursus, molimina, mutua obsequia, relationes quibus sua non deest jucunditas ac veluti alitur ipse convictus socialis. In statu socialistico, praeter societates mere voluptarias factionesque odiis divisas, cives forent potius alter alteri appositi quam conjuncti atque harmonice commixti. Quid quod in singulis administrationibus, ex partibus oppositis, ex rebus gerendis, ex aestimanda opera, ex partiendis fructibus, infinitae essent causae dissensionum, querelarum et corruptionis ?

Repugnat *ipsi naturae ;* et vi tantum vel induci vel aliquamdiu consistere posset. Constanter enim impediendae forent causae multiplicis inaequalitatis, prohibendus appetitus lucri, voluntas regendi familiam et liberos ; tollenda personae independentia.

Systematis istius fautores negligunt plurima perpetuae experientiae documenta : v. gr. homines pronos esse ad pigritiam et desidiam ; plerosque minime moveri consectariis remotis suorum vitiorum [1] ; multitudinem maxime propensam esse ad tyrannicam oppressionem, etc.

2. Quod attinet ad DIFFICULTATEM inducendi collectivismum, ea, a prudentibus viris, judicatur tanta, ut plurimi eam nunquam superari posse asseverent. Neque ipsi diffitentur, quod ad modum quo positive constituendus foret ordo, pleraque adhuc esse in incerto [2]. Difficultati

---

[1] Si nunc non valemus pluribus divitibus persuadere ut abstineant luxu et vitiis quae argumenta praebent socialistis, quae spes erit movendi omnium hominum animos aliqua quam vocant lege *solidaritatis* quae, si bene attendamus, non abest a nostra societatis ratione ?

[2] Cfr. opusculum *Bebel und sein « Zukunftsstaat » vor dem Reichstage*, et librum *Le Socialisme en Belgique* par Destrée et Vandervelde, Parte 2ª, II, *Le collectivisme.*

intrinsecae accedit extrinseca, non spernenda, eorum qui isti ordini sunt infensi. His positis, sic breviter ex hoc arguimus capite :

Scelus admittit qui turbat societatem et res molitur novas quae nec apparent meliores, nec fieri posse probantur. Scelerata ergo sunt molimina socialistarum.

3. Modus autem quo parare cogitant res novas is est, ut multa bona privatorum a Statu velint usurpata ; civilemque auctoritatem adducant extra fines a natura ipsi praestitutos. Per media ergo illicita bonoque communi contraria [1], viam muniunt ordini novo qui pugnantibus videtur confictus notis. Ordinem inquam novum, cujus spes in dies magis ac magis longinqua et sera ipsis affulget [2].

Plura omittimus quae reperiri possunt in tractatibus qui de uno socialismo agunt [3]. Modus enim adhibendus est. Quae autem dedimus satis superque sunt ut omnibus, sincero animo rem considerantibus, persuasum sit quam justa nota collectivismum inusserit S. Pontifex, in Enc. *Rerum Novarum,* cum scripserit : « Ac praeter injustitiam, nimis etiam apparet qualis esset omnium ordinum commutatio perturbatioque, quam dura et odiosa servitus civium consecutura. Aditus ad invidentiam mutuam, ad obtrectationes et discordias patefieret : ademptis ingenio singulorum sollertiaeque stimulis, ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent ; eaque, quam fingunt cogitatione, aequabilitas, aliud revera non esset nisi omnium hominum aeque misera atque ignobilis, nullo discrimine, conditio ».

B. De collectivismo mixto seu agrario. Non minus ista collectivismi forma est in se rejicienda :

1. Quia *logice infert collectivismum purum.* Etenim, non agris solum sed plerisque rebus, iis praesertim quarum

[1] Ipsi fatentur minime optabilem esse publicae potestatis tyrannidem ; repelluntque crimen quod vellent omnia Status committere providentiae. Cfr. Destrée et Vandervelde, op. cit. p. 262 sq.

[2] Ut ferunt, Rodbertus ad 500 annos, Lasalle ad 200 terminabant modum praesentis oeconomiae.

[3] Cfr. opp. cc. Cathrein, Castelein, Leroy-Beaulieu, etc.

ope exercentur artes vel negotiationes, ipsisque monetis argenteis vel aureis, inest proprius valor qui Deum immediatum habet auctorem, nec operae humanae est fructus. Causa ergo ob quam negant privatas possessiones agrorum communis est omnium istarum rerum, quae proinde, ut vult collectivismus purus, extra privatorum commercium forent ponendae. Nec ipsum emolumenti genus quod census stricte dicti nomine designatur aliquid proprium est possessionis agrorum.

2. Quia *falso concludit*. Ratio enim qua nititur minime efficit agros esse in alicujus gentis dominio communi. Cur enim de singulis gentibus non teneret illud quod de singulis affirmant hominibus : ea tantum ab ipsis usurpari posse ut propria quae proprii laboris essent partus; et cur magis particulari genti quam particularibus personis fas esset pro suo vindicare illud quod natura non in unius gentis sed in universi generis humani condidit utilitatem? Nonne plane simili occupatione qua unus vir alterum suo prohibet agro, una gens, v. gr. Gallorum, suo prohibet territorio populos qui minus felices incolunt terras, minus laeto utuntur coelo ?

3. Quia *communis possessio agrorum cives nimis faceret obnoxios civili potestati*, quae inde facilem sumeret ansam cujuslibet tyrannidis.

4. Quia *privat hominum societates utilitatibus* quas adducunt privatae agrorum possessiones. In his potissima, ut modo dicebamus, inest vis resistendi tyrannidi; per eas efficaciter excitantur cives ad terras emendandas faciendasque meliores; possessiones istae fovent industrias et parsimoniam, dum praestant modum fructuose et stabiliter collocandi pecunias; ex nulla alia possessione majorem capit homo laetitiam, quae, si reipublicae territorium, ut in Belgio et in Gallia, satis multis fuerit dispertitum, plerisque patribus familias obtingere potest.

5. Quia usurpando dominium agrorum, *Status excurreret extra campum suum, nec speratum faceret quaestum*, quo, ut

contendunt isti collectivistae, ceteris abstinere valeret exigendis vectigalibus. *Excurreret extra campum suum:* non haec est enim provincia Status, ut res quas natura aptas fecit possessioni eas suo arbitratu civium eripiat commercio; *speratum non faceret quaestum:* non tanti enim, judicio peritorum, aestimandus est census proprie dictus, quem solum velint a Statu sibi vindicari. Cfr. supra, **181**, B, traditas notiones.

6. Quia, ut hodie apud plerasque gentes res constitutae sunt, non possent suum inducere systema, quin inciderent in *apertissimam injustitiam* secundum sua ipsorum placita. Pecuniarum enim vel divitiarum non rejiciunt fructus civiles vel industriales. Aliunde volunt, ita certe H. George, ut, sine ulla compensatione, agrorum domini suo spolientur censu. Sed qui hodie agros possident, plerumque illos immediate vel mediate tenent ex emptione, qua bona fide collocarunt in agris pecuniam quae utiliter et fructuose alibi collocari poterat. Nisi ergo hi compensationem accipiant, non tantum solum perdunt, sed virtualiter ipsas divitias quae solo repraesentabantur.

Quod si velles compensationem tribui, aerario deficerent opes. Census enim agrorum non superat 2 vel 3 p. c., mutuam autem quam Status ad agros redimendos accipere deberet pecuniam, majore tantum fenore sibi compararet.

Praeterea, quid hodie in locatione agrorum census proprie talis habeat rationem, vix ac ne vix quidem definiri possit.

Cfr. plura quae de hac re egregie disputat R. P. Holdain, et insignia quae profert testimonia summorum doctorum.

183. III. **Difficultates.** A. Ex rationibus collectivismi puri.

1. In Novo Testamento non semel vehementer reprobantur divitiae et divites. Ita v. gr. *apud S. Matth.* XIX, 24. « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum » ; *apud*

S. Lucam, VI, 24, sq. « Verumtamen vae vobis divitibus, etc. » et, c. XVI, parabola de divite et de Lazaro mendico. *In epistola catholica, S. Jacobus* acerbissime invehitur in divites. *E.* Novum Testamentum hunc tacite commendat ordinem societatis in quo congerendarum divitiarum jam non erit locus ; hoc est, probat regimen collectivismi.

R. Dist. antec. In Novo Testamento divitiae et divites reprobantur *simpliciter, N.* ; reprobantur *secundum quid*, ut res saepe plenae periculo spirituali, sive ex artibus injustis quibus, tunc praesertim, plerumque acquirebantur pecuniae, sive ex inhumana duritie multorum divitum, sive ex affectu nimio quo possideri consueverunt et cor ad infima deturbare studia [1], *C. Dist. conseq.* Novum Testamentum commendat ordinem diversum in quo, ex ipsa lege, directe vel indirecte aequabiliter dispertiantur fortunae, *N.* Commendat voluntarium studium paupertatis, saltem spiritualis, quo pauperes libenter carent divitiis, divites, per gratiam Dei, animo soluti sunt a terrenis cupiditatibus et a periculo divitiarum, *C.*

Textus novi Testamenti esse ita accipiendos facile constat [2]. Qui enim ponuntur divites apud *S. Matth.*, apud *S. Marcum*, X, 24, accuratius describuntur ut « *confidentes in pecuniis.* » Etsi similitudo cameli sonat rem quae fieri non potest, ut ait S. Hieronymus [3], re vera vult Dominus solam inculcare summam rei difficultatem, quam tamen ipse, ex gratia Dei, affirmat non inexsuperabilem. — Divites quibus praenunciantur mala (*vae vobis*), exhibentur a S. Luca ut se totos tradentes terrenae laetitiae, ita ut « saturati » praesentibus, curam non gerant de futuris. Dives denique epulo immitem se ostendit erga Lazarum. — Quod S. Jacobus omni vi verborum persequitur, illud est, ut vita et mores quadrent ad fidem christianam (c. 2, ℣. 14 sqq.) Quare, cum videret apud fideles res terrenas in nimio haberi pretio, acriter tendit ut in animis imprimat quam vana sint praesentia bona et vita (c. 1, ℣. 10, 11; c. 4, ℣. 13 ad c. 5, ℣. 3); vehementerque objurgat locupletes qui mer-

---

[1] Cfr. R. P. Castelein, *Le Socialisme* etc. c. 15.

[2] Ita ipse S. Ambrosius : « Non eos qui habeant divitias, sed eos qui uti his nesciant, sententiae coelestis auctoritas condemnat... Non census igitur, sed affectus in crimine est. » (*Expos. in Luc.* l. 5, n. 69).

[3] *Epist.* 120, *ad Hedibiam* (Migne, 1ª ser. t. 22, col. 984).

cedem operariorum fraudaverint (c. 5, ŷ. 4 sq.); nec vult pauperes contemni (c. 2, ŷ. 1-9); simul tamen non negligit carpere pauperum impatientiam (c. 5, ŷ. 7-11), nec divitem excludit lege caritatis (c. 2, ŷ. 8). Paucis, vult ut christiani, soluti a concupiscentiis hujus seculi (c. 4, ŷ. 1-4), noverint, si humiles, gloriari de spirituali sua exaltatione (c. 1, ŷ. 9 et c. 2, ŷ. 5), si divites, humiliter sustinere mox perituram opulentiam (c. 1, ŷ. 10).

Praeterea, in novo Testamento, ipse juvenis dives dicitur observasse mandata quae satis sunt ut vitam ingrediaris aeternam; dives narratur (Matth. c. 27, v. 57) fidelis Domini discipulus, Joseph ab Arimathaea; laudantur qui eleemosynas faciunt ex « mammona iniquitatis ». Is iniquus dicitur ut saepe conjunctus cum peccato. (Cfr. I, Tim. VI, 6-10.)

Denique, quod ad rationem qua distinximus *consequens*, in Evangelio, nullum abdicandi se bonis datur praeceptum, sed merum consilium (*si vis perfectus esse*, S. Matth. XIX, 21). Quomodo cum divitibus sit agendum, ita exponit S. Paulus (I. *Ad Tim.* VI, 17-19): « Divitibus hujus seculi praecipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui praestat nobis abunde ad fruendum), bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. » Ad summam, « Tempus breve est, ait Apostolus (I *ad Cor.* VII, 29-31): reliquum est, ut... et qui flent tanquam non flentes (sint): et qui gaudent, tanquam non gaudentes: et qui emunt, tanquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: praeterit enim figura hujus mundi; » et antea (VII, 20, 21) « Unusquisque in qua vocatione vocatus est in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit tibi curae. »

2. Non repugnat collectivismus purus. Etenim:

a) Formae possessionum variaverunt secundum tempora et loca. Quot privilegia obsoleverunt! Nonne majori in dies invidiae obnoxiam videmus quamlibet inaequalitatem? Qua justa spe praesumunt hodierni divites perenne fore praesens bonorum regimen atque in aevum permansura sua privilegia?

R. Immerito ex varietate illa regiminis possessionum collectivistae quaerunt pro sua causa praesidium. Etsi nullam praesenti regimini pollicemur firmitatem quae sit absoluta, hoc tamen perfracte negamus, fieri posse ut unquam per notabile tempus vigeat ordo qui eorum congruat somniis. Haec enim, ut ostendimus in probatione,

non conveniunt cum indole communi, propensionibus et vitiis hominum quales ab ultima constant antiquitate. Unde, « in forma », sic breviter dixeris : Variabit hodiernum regimen, *C. vel Trsm.* Desinet in collectivismum, *N.*

Observes insuper impropriam atque insolitam acceptionem, qua privilegiis accensentur commoda quae ex suis facultatibus hauriunt divites. Privilegia enim speciales sunt leges in quorumdam gratiam latae, dum, jure civili, pauperes hodie fere ubique sunt divitibus pares.

b) In non paucis regionibus cives laetantur monopoliis quibus Status ad se revocavit vecturas literarum, telephonia, etc. ; iidem optant a Statu redimi vias ferreas, etc. Cur non possint aeque bene Statui addici metalla, mox latifundia, dein agri, denique omnes res frugiferae ?

R. Mere *transmisso antecedente,* cum his monopoliis et susceptionibus sua non desint incommoda : *nego paritatem,* tum a) quia ex nonnullis administrationibus simplicioris formae nihil colligi valet de aliis magis difficilibus et contortis ; tum b) quia minus etiam ad totum transferri potest quod fortasse in aliquam quadrat partem. Quamdiu enim pauca numero sic publice suscipiuntur negotia, nec privatis deest occasio spontanei conatus, nec Statui confertur medium redigendi cives in perfectam servitutem.

Praeterea *nego hoc suppositum :* Statum, dum talia suscipit, ex parte jam exercere collectivismum. In his enim administrationibus, privatam agit personam ; atque ex modo quo administris suam tribuit mercedem et ex omni negotii ordinatione, imitatur, quod facere possit, privatorum susceptiones. Cfr. Leroy-Beaulieu, *Le Collectivisme,* p. 345-348.

N. B. Minime negamus in quibusdam regionibus metalla pertinere posse ad rempublicam, vel utiliter augeri dominium fiscale Status. Arbitramur tamen majore hodie quam olim opus esse prudentia et circumspectione, quum publicae potestates nimis pronae sint ad favendum civium desidiae qua, propria sollicitudine liberati, libentius quam par est omnem causam in Status reponunt providentia. Cfr. Destrée et Vandervelde, *Le socialisme en Belgique,* p. 278-281.

c) In dies crescunt numero et momento negotia quae ab « anonymis » societatibus feliciter geruntur. Nonne manifestum faciunt, quantum possint collectivae negotiorum gestiones ; nonne praenunciant magnas istas societates quibus collectivistae commissa velint monopolia artium et negotiorum ? Cfr. Destrée et Vandervelde, ibidem.

R. Praeterquam quod societates anonymae sola facilitate colligendi ingentes pecunias ceteris praestant societatibus ; longe autem, sive curas sive sumptus attendas, sunt aliis inferiores, in ipsarumque inhumanitatem et avaritiam maxime relegari possunt miseriae opificum et invidiae nostrorum temporum : praeter haec omnia, inquam, societates istae minime accedunt ad rationem collectivae gestionis quam praedicant adversarii. Nam et stipendiis et parte lucri sibi promissa, viri qui societati praeficiuntur proprio impelluntur emolumento ad res bene gerendas ; ac potestate qua sunt praediti fere aequiparari possunt domino qui suam ipsius rem procuret. Addas etiam anonymas societates nunc excitari aemulatione quae, saeviente collectivismo, plane aboleretur. Cfr. Leroy-Beaulieu, op. c. p. 348-351.

3. Inducendus est collectivismus :

a) In magnis enim officinis et tabernis, quae brevi absument susceptiones minores, collective gignuntur divitiae. Oportet autem ut rationi qua artes et negotia exercentur respondeat ratio qua ipsa administrantur et qua fit fructuum partitio. Binae ergo istae rationes jam non possunt esse singulares, sed collective sunt ordinandae. Cfr. Bernstein, op. cit. p. 14.

R. Nusquam artes eo exerceri modo quem velint collectivistae ; non magis autem repugnare ut multi operam dent negotio quod ad unum pertineat quam repugnat monarchicum esse regimen totius civitatis. Denique fructuum partitionem satis rationi qua artes exercentur respondere, statim atque omnes, sive ut socii sive ut mer-

cenarii, congruam meritorum accipiant retributionem.

Praeterea, more suo, vehementer res dicendo amplificant collectivistae; et a vero longe aberrant quum modicis incoeptis brevem praenunciant ruinam. Non pauca enim sunt quae parum fructuose augeantur; nullum autem, ultra certos limites, utiliter intenditur [1]. « In forma » ergo, *transmissis majore et minore, negari* potest *consequentia et consequens*. Rationi enim exercendi artes ea respondet administratio qua bene gerantur eaque partitio fructuum qua suum quisque obtineat.

b) Oportet ut tollantur hodierni abusus; ut desinat anarchismus oeconomicus quo temere et fortuito divitiae ea gignuntur copia quae modum excedit vel haeret infra necessitates; ut prodigis paucorum dissipationibus non jam universae societati pereant infinitae divitiae. *A.* Haec radicitus evellet solus collectivismus. *E.*

R. D. maj. Oportet ut, sedulo cavendo ab inducendis malis majoribus, quantum fieri potest, praesentibus occurramus malis, *C.* Oportet ut inconsiderate quaelibet malis adhibeantur medicinae, *N. Cdt. min.* Radicitus hodierna mala evellet solus collectivismus, *D.* Omnia, *N.* Nonnulla, *S. d.* Prudenter, *N.* Temere et pejora inducendo, *C.*

Quod attinet v. gr. ad anarchismum, praeterquam quod non est absolutus, cum propria utilitate moveantur cives ad inquirendum de copia rerum ex qua lucrum sibi sperare possunt, et jam coeperint in hunc finem conferre consilia ii qui in iisdem versantur artibus: dubitari potest annon melius quasi ultro inveniatur rerum temperamentum quam si ex industria illud velis omnibus constituere. Sic, ut exemplis inhaereamus D. Leroy-Beaulieu [2], in corpore humano vires naturales melius fovent et reficiunt varias corporis partes aptiusque distribuunt sanguinem quam deliberate ipsi nostrae rationis cura ac providentia unquam praestare possemus; sic opera multorum qui, nullis communicatis consiliis, singuli suas tantum partes ex proprii lucri studio curant, fit ut sine negotio immensae urbes, Londinensis v. gr., nullo necessario careant commeatu, dum nihil difficilius est quam consulto et cogitate vel modicum exercitum congruis instruere alimentis.

---

[1] Cfr. Conrad *Handwörterbuch*, v. *Grossbetrieb und Kleinbetrieb*.
[2] Op. cit. p. 320.

Dissipationes vero in immensum crescerent inducto collectivismo, quippe qui acuat studia voluptatis et fere penitus auferat stimulos laboris et parsimoniae. Nunc, contra, comparate pauci sunt qui prodige patrimonium effundunt. Addas, majorem partem fortunarum quae dissipantur non ipsi societati exstingui, cum prodige datae pecuniae perveniant ad multos qui utiliter eas impendere possunt.

Ipsa demonstratione indicavimus quae pejora mala secum afferret collectivismus.

c) Omnibus hominibus idem inest jus vivendi. *E.* Oportet ut ad fontes vitae pateat omnibus idem accessus. Hoc autem non habetur nisi communia sint bona quibus divitiae gignuntur.

R. D. maj. Idem omnibus inest jus vitae, quatenus oportet ut omnium vita sit aeque inviolata, *C.;* Quatenus idem esse deceat omnium vitae tenor, *N. Dist. pariter conseq.:* Oportet ut ad fontes vitae necessarios pateat omnibus idem accessus, *C.* — Quare, in necessitate extrema, omnibus fas esse dicimus, quocumque possint, sibi usurpare necessaria alimenta. — Oportet ut ad fontes non necessarios pateat idem accessus, *N.*

Ceterum, ne collectivistae quidem illud principium premere valent. Immediati enim vitae fantes sunt res quibus homines utuntur. *E.* Si verum foret eorum effatum, inducenda foret communitas etiam istius generis bonorum.

d) Inviolabile est uniuscujusque jus ad fructum sui laboris. *A.* In hodierno regimine plerique aliis cedere coguntur fructum laboris sui. *E.* Oportet ut alter inducatur ordo, collectivismus, quo iniquitas ista auferatur.

R. D. maj. Inviolabile est illud jus, ita tamen ut ipse labor possit vendi, locari: quo casu fructus laboris addicendi sint emptori vel conductori, *C.* Aliter, *N.* Cfr. infra, ubi de locatione operarum. *Cdt. min.:* Hodie plerique cedere coguntur fructum laboris sui aliis qui illum emerint vel conduxerint, *transmitto vel conc.* laboris vere sui, *Neg.* Ad hoc contendendum, opus est arguere ex falsa theoria de valore quae a K. Marx nomen habet.

B. Ex rationibus collectivismi mixti.

1. CENSUS PROPRIE DICTUS AGRORUM JURE PERTINET AD COMMUNITATEM. Etenim :

a) Agri, utpote opus Dei, non magis a privatis acquiri proprie possunt quam sol, ventus et mare.

b) Ipse census proprie talis causam habet non agri possessorem sed ipsam societatem. *E.* huic, non autem possessori, est addicendus. Ita fere H. George, in 1ª parte suae epistolae ad S. Pontificem.

R. Nego antecedens. Et ad rationes :

a) *Nego,* quae opera sint Dei non posse a privatis acquiri.

Haec enim acquisitio nec supremo Dei dominio, quod servatur intactum, repugnat, nec fini quo Deus illa bona destinavit in usum hominum, cum ad ipsum bonum commune necessariae sint privatae possessiones. — Cfr. infra, instantiam qua contendunt possessiones privatas agrorum bono communi adversari. — Ratio autem cur sol, ventus et alia hujusmodi non sint in se materia dominii, non depromitur ex eorum origine, sed ex eorum natura qua sine alicujus appropriatione singulis inserviunt. De mari fortasse idem dici possit. Vel saltem intellexere homines non expedire ut altum mare in alicujus sit dominio. Quare, ex jure gentium, altum mare (minime tamen pars quae litus adjacet), positum est extra commercium.

Ceterum minime tali argumento efficitur dominium esse commune alicujus gentis; et, si consequenter dicere velis, neganda etiam fuerit proprietas privata rerum mobilium. Cfr. thesis argumentum.

b) *Dist. antecedens.* Census proprie dictus causam habet ipsam societatem collective sumptam, seu ipsam rempublicam, *N.*; causam habet multos privatos qui pertinent ad societatem, *subdistinguo;* interdum, *C.*; semper, *N. Dist. conseq. E.*; iste census est addicendus societati, i. e. ipsi reipublicae, *N.*; multis istis qui interdum ejus sunt causa, *Subdist.* : semper, *N.*; interdum, *subdistinguo:* si haec attributio foret rationabilis merces eorum operae quae directe in hunc finem esset collata, *C.;* Secus, *N.*

Ut arguimus in probatione, George, deceptus a Ricardo, non alia respexit census incrementa nisi quae oriuntur ex hominum multitudine quam rerum omnium consequatur caritas. Fatemur quidem hoc esse agrorum dominis lucro; non iis tamen solis, sed et iis qui

domos possident variasque exercent artes. Verum, praeterquam quod causa ista non est unica, ut vidimus in probatione, estne talis quam ipsa respublica ad se vindicare queat? Ut vulgatissimo utamur exemplo, omnes novimus quantum ex hominum concursu in eamdem civitatem pretio crescant domus et finitimi agri. Quae causa est cur unam cupiant insidere urbem? Non alia profecto nisi privatum aliquod studium voluptatis, utilitatis, etc. Quare nec per se apparet hic actio societatis publicae, formaliter sumptae; nec ipsi privati possessoribus agrorum directe aliquam operam navant, ita ut possent rationabiliter a dominis agrorum quodpiam exigere laboris stipendium: hoc potius jam per se in quaesito commodo reperiunt. Ceterum, quid quisque indirecte contulerit ad illud census incrementum, definiri non potest. Innumerabiles autem sunt occasiones in quibus aliorum actio vel omissio aliis prodest vel nocet. Quare maxima foret rationum et jurium confusio nisi firmiter his stemus principiis: nec damna esse ex justitia sarcienda nisi quibus injuriose aliquis suo privatus sit bono; nec utiles operas esse pretio compensandas, nisi onerose in alterius gratiam se aliquis re sua vel rei usu abdicaverit.

Quid denique, ut plura omittamus quae in probatione sunt indicata, quid si, ut etiam contingit, populus aliquem deserat locum, vel mutentur portoria, ita ut inde agri fiant viliores? An H. George stipulabitur possessoribus restitutionem ex publica pecunia? Nisi fecerit, patet ipsum secum pugnare.

2. PER SOLUM COLLECTIVISMUM AGRARIUM, APTE SIMUL CONSULITUR INDIGENTIAE STATUS ET INVIOLABILI JURI UNIUSCUJUSQUE IN RES SUAS. Nisi enim censum percipiat agrorum, Status alia exiget vectigalia quae civibus partim auferunt fructum sui laboris: quod est iniquum. Cfr. eamdem epistolam H. George.

R. Nego prorsus antecedens et additam rationem.

Neque enim ex illo censu suppetent Statui congruae facultates; neque iniquum est exigere ut cives etiam ex suo labore contribuant ad bonum commune Cfr. probationem hujus thesis et thesim de vectigalibus.

3. PRIVATA DOMINIA AGRORUM NOCENT BONO COMMUNI. Etenim:

a) Quot ex latifundiis orta sunt mala in agro romano, in Hibernia, in Scotia, in Australia, in America; quot ex variis artibus *(spéculations)* quibus, in America, agros comparando, vendendo, etc., infinitis circumfluunt divitiis

pauci cives qui honestum laborem videntur contemptui habere. Cfr. H. George, eadem epistola, II, n. 3, 5.

R. His et similibus facilis est responsio. In agrorum dominia rejiciunt vitia vel abusus certae formae regiminis quae nec universalis est nec perpetua. Omittunt praeterea similia objici posse dominiis rerum mobilium; nec utilitatem comparant cum incommodis.

b) (Difficultas similis priori). Possessiones privatae rerum immobilium, sua stabilitate et securitate causa sunt perpetuae et in dies crescentis praevalentiae paucorum in societate; qui mox, otio et segnitia tabescentes, nihilominus in sua potestate tenebunt pretiosissimos divitiarum fontes. Quanto cum detrimento reipublicae, quis non viderit.

R. Adversarii hic rursus cogitant latifundia nonnullarum regionum. Cui rationi breviter respondemus facile posse leges haereditatis tales ferri quae hujusmodi malis obstent. Exemplo sint Gallia, Belgium, ubi nemo serio conquereretur nimiam agrorum penes eosdem perpetuitatem.

c) Agrorum domini necessario adversantur iis qui ex labore vel pecuniis quaestum facere student. Praeter enim eos qui laborando sibi comparant *mercedem,* vel qui, pecunias collocando, percipiunt *fenus*, jam non sunt qui lucrum aliquod faciant nisi ii qui ex rebus possessis colligunt *censum.* Omnes ergo alicujus gentis reditus exhibentur censu, fenore, mercede, ita ut scribi possit:

Proventuum summa — census = merces + fenus.

Cum autem jugitur crescat census, cetera autem jugiter minuantur, patet agrorum dominos ex censu suo aliorum prosperitatem impedire.

R. Aeque a vero aliena sunt et quae hoc argumento affirmantur et quae supponuntur.

Experientia novimus censum minui, crescere autem fenus et mercedem: sive eam consideraveris mercedem quae singulis tribuitur operariis stricte talibus, sive, ut rectus postulat intellectus

formulae modo traditae, omnem sumas personalem industriam, cujuscumque fuerit rationis etiam nobilissimae, et attenderis ad partem proventuum quam obtinent ii, simul sumpti, qui aliquod navant opus.

Falso supponit fieri non posse ut census crescat aliter quam detrahendo de parte quae obtingit mercedi et fenori, dum, ex ipsa fructuum abundantia, uni plus tribui potest sine alterius damno [1].

Falso supponit proventuum summam fore eamdem, suppresso censu; dum, sublato hoc stimulo industriae et laboris, facile fiet ut minore cura colantur arva exerceanturque artes.

Falso supponit omnem censum perceptum penes dominum manere ipsique soli prodesse, dum ope census solvuntur stipendia et fenora, ipsaeque foventur artes quibus valde juvatur causa mercedis vel fenebris pecuniae.

Falso supponit mercedem et fenus notabiliter auctum iri ex quo, loco privatae personae, Status censum obtineret. Cfr. R. P. Holaind, p. 127-129.

4. PRIVATAE POSSESSIONES SUNT INJUSTAE.

a) Injuriae enim reus foret qui publicum circum praeoccupans deinceps adventantes prohiberet quominus sedem sibi sumerent. *A.* Hoc modo se gerunt qui eo quod antiquior ortus siverit eos priores agris insidere, jam alios iisdem arcent agris. *E.*

R. Neg. assertum. Ad argumentum et similitudinem jam usurpatam a Cicerone et S. Basilio [2], *D. maj.* Injustitiae foret reus qui deinceps adventantes prohiberet sede vacua, *C.* sede a seipsis occupata, *N. Cdt. min.* Praeterea observes non solos dominos frui agris. Nam, ut eos reticeam qui fructus coemendo mediate agrorum aluntur fertilitate, villicus et multi operarii sibi ex agricultura quaerunt victum. Cfr. Ciceronem, *De finibus* etc., III, 20.

b) Possessiones privatae vitiosam habent originem: violentas oppressiones, spoliationes iniquas. Cogites Hiberniam, direptiones monasteriorum, etc. *E.* Sunt abolendae.

R. Nego consequentiam.

---

[1] Cum enim plerumque ipse populus numero crescat, fit ut major fructuum copia eodem quo ante divendatur pretio. Patet hujusmodi abundantiam favere ipsi censui.

[2] *Homilia in illud Lucae,* Destruam, etc , n 7.

Monemus imprimis istud summum objici posse privatis possessionibus nonnullarum regionum, neque omnibus, sed parti tantum. Neque, etiam ibi, haec fuit prima regiminis origo. Praeterea, non paucae possessiones ad eorum manus pervenerunt qui bona fide et legitima praescriptione merito se plane tutos existimare valent. Tandem, illud quod concludere velint adversarii nullo pacto efficitur ex propositis. Consequens tantum foret possessiones veris dominis, si innotescerent, esse restituendas, non autem inducendum esse regimen ipsi bono communi contrarium.

N. B. 1. Alia nonnulla quae contra dicuntur huc redeunt ut ex solo labore quaeri velint justum dominii titulum. Quae ratio, non minus mobilium rerum possessioni quam immobilium contraria, in proxime sequenti dissolvetur thesi per ipsum argumentum quo vindicabimus jus possidendi res exteriores.

2. Factis unde collectivistae argumenta depromere conantur non vacat immorari. Nec ad nostrum refert intentum. Non enim repugnamus, quin quaedam possessiones sint gentiliciae vel municipales; nec agrarium collectivismum reposuimus numero eorum quae plane fieri nequeunt. Verum frustra conantur adversarii, nisi exemplis suis ostendant possessionum communionem, eamque generalem, ad ipsum profectum civilis cultus esse expedientem. Sed tantum abest ut illud praestent, ut ipse de Laveleye scripserit [1] progressus agriculturae proprietatis progressibus facto ostendi junctos. De factis illis, v. gr. de *mir* imperii russiaci, de *allmenden* Helvetiae, conferantur scriptores qui in his rebus praecipue sunt versati. Ita, quod ad *mir*, cfras. P. Leroy-Beaulieu, *Le Collectivisme*, vel A. Leroy-Beaulieu, *L'empire des tzars et les Russes;* quod ad *allmenden*, P. Leroy-Beaulieu vel ipsum de Laveleye.

3. De collectivismo agrario non pauca utilia habet R. P. Holaind, op. cit.

---

[1] « Le progrès parallèle de la propriété et de l'agriculture; voilà le fait important que les dernières recherches mettent de plus en plus en relief. » *La propriété et les formes primitives*, in initio. Cfr. alia testimonia apud Holaind, p. 77, 116.

ARTICULUS III. **Doctrinae supplementa**

I. ***COROLLARIA.***

184. Multo magis quam collectivismus **rejiciendus** est **anarchismus**: non tantum **practicus** ille qui bellum molitur et vi vult in republica dominari, sed etiam **doctrinalis**, qui ad municipia perfecte autonoma transferenda dicit dominia et oeconomicam rerum administrationem. Is enim communibus vitiis socialismi addit illud, quod ne cogitat quidem de tollendo anarchismo oeconomico, qui, negata societate atque auctoritate municipiis superiore, mox evaderet summus.

185. Etsi **mixtus collectivismus** logice desinat in purum, non tamen iisdem est argumentis refellendus; neque in socialistarum numero haberi possunt H. George [1] et plerique qui mere volunt agros ad rempublicam pertinere.

186. Inter Liberalismum et Socialismum viget, prima specie, maximum dissidium, cum prior privatam rerum possessionem velit esse maxime absolutam, nolitque legibus contineri artes et commercia: quae bina propositis socialismi sunt plane contraria. Nihilominus, ut supra jam innuimus, adeo sunt in reliquis conjuncti studiis et doctrinis, ut socialismus haberi merito possit pro genuino liberalismi fetu. Et revera:

1. Si animo volvamus quaenam fuerint *Liberalismi cogitata:*

a) Religionem amandavit inter res privatas, quarum nulla publica cura, sine quarum respectu feruntur leges, statuuntur morum regulae. Haec plane socialistis probantur.

b) Legi omnique potestati originem assignavit popula-

---

[1] « Nous nous séparons à la fois des anarchistes et des socialistes. Nous estimons qu'ils se trompent en sens contraire, les uns en méconnaissant la nature sociale de l'homme, les autres en méconnaissant sa nature individuelle. » H. George, *Lettre au Pape*, Trad. franç., p. 91.

rem, civilibus autem decretis absolutam atque infinitam attribuit vim, utpote quae essent supremae jurium regulae et fontes. Non aliter socialismus, nisi quod liberalismus in populo magis considerat cives alicujus census vel doctrinae, socialismus autem multitudinem proletariorum. Cfr. quae de indole perturbationis gallicae scribebat B. Malon, *Précis de Socialisme*, c. 5.

c) Ab initio hanc liberales professi sunt libertatem quae divina negabat jura; hanc laudavere aequalitatem cui omne privilegium esset odiosum. Quid moliuntur socialistae, nisi omne excutere jugum, nisi omnimodam inducere aequalitatem?

d) Quae collectivismus mutare cogitat in regimine familiae et conjugii, prono alveo fluunt ex theoria perfecti divortii: quam pestem generavit liberalismus [1].

e) Philosophice, liberales aeque ac socialistae celebrant ingenitam hominis bonitatem, quae sine freno auctoritatis vel poenarum, per se veritatem amplecteretur et virtutem.

f) *Darwinismus* [2] *et evolutionismus* scientiae liberalis, quanto usui fuerint socialistis, nemo non videt.

g) Ab oeconomistis liberalibus mutuati sunt socialistae ipsam de valore doctrinam. Nec minus his favet principium quo labor habetur ut unicus proprietatis titulus. Cfr. dicta articulo 1.

2. Si ad *facta Liberalismi* respicias, ipsi gratiam debent socialistae:

De imminuta fide et auctoritate religiosa;

De scholis popularibus « neutralibus », quae seminaria sunt socialistarum.

De individualismo et egoïsmo, quorum mala et abusus

---

1 « Nous ne faisons qu'élargir, somme toute, les arguments qu'ils (les libéraux) ont fait prévaloir dans notre législation en y établissant le divorce. » Destrée et Vandervelde, *Le Socialisme en Belgique*, p. 351.

2 Contra tamen ac statuit *darwinismus*, evolutio quam socialistae tuentur fit selectione non singulorum meliorum sed eorum qui *per se* sunt inferiores et debiliores. Cfr. *Rivista internazionale*, 1900, p. 187-189.

validissimo sunt socialistis argumento atque accommodatissimo ad persuadendum plebi sua argumenta.

Qui haec paulisper consideraverit, facile non viderit in socialismo nisi *Liberalismum ad usum plebis (libéralisme à l'usage du quatrième état).*

Cfr. de hac cognatione qua liberalismus socialismo conjungitur, RR. PP. Pachtler, Cathrein, Biederlack, opp. cc.

187. An Socialistae ad Massonum genus pertineant. Affinitatem cum socialistarum coetibus diffiteri nequit secta Massonum, quae « summa sententiarum capita cum ipsis habet communia [1]. » Inde vero exorta est quaestio, utrum necne ii qui socialistarum causam complecterentur, committerent excommunicationem latae sententiae, R. P. reservatam, qua, ex C. *Apostolicae Sedis,* § 2, n. 4, plectuntur : « Nomen dantes sectae massonicae aut carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu *palam,* seu *clandestine* machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec denunciaverint. »

Non pauci, plerique fortasse theologorum qui quaestionem versant, socialistas massonibus aequiparant. Ita, v. gr. Ill. D. Gennari [2], Génicot [3]. Existimantque rem declaratam fuisse a S. Pontifice in Enc. *Quod Apostolici,* 28 dec. 1878. Isti tamen severitati, ut jam alibi scribebamus [4], non possumus astipulari ; sed, freti supra traditis notionibus, arbitramur opus esse distinctione qua animum attendamus ad variam socialistarum doctrinam variamque rationem eorum conjunctionis.

Perbelle enim ipse S. Pontifex nobis descripsit sectas massonici generis in Enc. *Humanum genus,* 20 april. 1884, § *Variae sunt hominum sectae,* etc. ubi his notis easdem

[1] Enc. *Humanum genus,* 20 apr. 1884.
[2] *Monitore Ecclesiastico,* X, p. 24.
[3] *Theol. mor.* II, 596.
[4] *De prohibitione et censura librorum,* n. **13,** 9.

definivit : a) Communione propositi summarumque sententiarum re congruunt cum secta massonum ; b) « Quamvis nunc nolle admodum videantur latere in tenebris.... re penitus perspecta, *genus societatum clandestinarum moremque retinent.* Plura quippe in iis sunt arcanis similia, quae non externos solum, sed gregales etiam bene multos exquisitissima diligentia celari lex est : cujusmodi sunt intima consilia, summi factionum principes, occulta quaedam et intestina conventicula : item decreta et qua via, quibus auxiliis perficienda ; » c) Arto foedere inter se junguntur ; quare « qui cooptati sunt, promittant ac recipiant necesse est, ducibus ac magistris se dicto audientes futuros cum obsequio fideque maxima : ad quemlibet eorum nutum significationemque paratos, imperata facturos : si secus facerent, tum dira omnia, ac mortem ipsam non recusare. »

Agedum, prima nota non videtur abesse a socialistarum coetibus. Reliquae perfecte aptantur nihilistis, socialistis qui a° 1852 in Gallia turbas excitarunt [1], iisque socialistarum gregibus qui, nostris diebus, vitae principum insidias paraverunt. Hodie tamen fit ut socialistarum societates nullatenus sint clandestinae, ut nullo arto nexu uniantur socii, ita ut a vulgo et a peritis aequiparentur factioni politicae qualis fuit liberalium. Si ita res se habeant [2], non videmus quo pacto liceat nobis proprietatem sermonis deserere ad ampliandas censuras et excommunicationes.

Utique, quum edebat Enc. *Quod Apostolici,* videtur S. Pontifex paris fecisse conditionis socialistas, communistas, vel nihilistas [3]. Sed si animo recolas vix tunc praesentis factionis coepisse exordia, imo in non paucis regionibus recentiorem esse ejus originem, facile perspexeris a

---

[1] Has descripsit D. de la Gorce in opere *Histoire de la seconde république.*

[2] Quod de socialistis Belgii nobis confirmarunt plures viri docti. In Anglia, socialistae maxime varii sunt intentionibus et studiis. Cfr. P. Verhaegen, *Les socialistes anglais,* c. 12.

[3] Statim tamen describuntur ut « iniquo inter se foedere artissime colligati. »

nobis negligi non posse posteriora socialismi fata et formas. Quid, quod ipse S. Pontifex, post sex annos, in literis *Humanum genus*, non jam dixit *omnes*, sed *plurimos* communistarum et socialistarum consociatos greges commutationem eversionemque omnium rerum consulto meditari.

Nec juvat dicere, C. *Apostolicae Sedis* plecti etiam societates quae *palam* machinentur, nec proinde requiri ut sint *clandestinae*. Ex literis enim *Humanum genus*, ipsae Massonum sectae jam *palam* aperteque moliuntur Ecclesiae perniciem ; et tamen « retinent morem *clandestinarum* societatum. » Hanc ergo notam merito postulamus, praesertim quum in ipso articulo C. *Apostolicae Sedis* statim sermo fiat de occultis hujusmodi sectarum ducibus.

188. Qua ratione praesens ordo socialis a collectivistis pro iniquo habeatur. Ex declaratis rationibus socialistarum, satis patet eos qui scientifico adhaerent socialismo non formalis arguere injustitiae eos qui hodie bona possident, operarios conducunt, etc. [1] Nos enim vel invitos obnoxios fatentur hodierno regimini quod non libera hominum voluntas sed potius necessarius adduxit cursus rerum. Iniquitas ergo in quam invehuntur est iniquitas *objectiva*, quae continetur nimia civium inaequalitate et spoliatione qua, ut contendunt, operarii fructu sui laboris ex parte privantur. Haec ipsis sunt indicia futurae in meliorem ordinem conversionis ; haec improbant et conviciis suis lacessunt, ut maturent beatissimi seculi ortum.

189. Vera ratio impugnandi socialismum. Nimis, ut vidimus, cum natura pugnat collectivismus, ut diu praevalere possit. Magis ergo quam eorum respublica, timenda

[1] Cfr. v. gr. Schaeffle, *Quintessenz des Socialismus*, c. 2. Atque ipse Marx, in Praefatione operis *Das Kapital*, haec habet: « Je n'ai pas peint en rose le capitaliste et le propriétaire foncier. Mais il ne s'agit ici des *personnes*, qu'autant qu'elles sont la *personnification de catégories économiques*, les *supports d'intérêts et de rapports de classes déterminés*. Mon point de vue, d'après lequel *le développement de la formation économique de la société* est *assimilable à la marche de la nature et à son histoire*, peut moins que tout autre rendre l'individu responsable de rapports dont il reste socialement la créature, quoi qu'il puisse faire pour s'en dégager. »

sunt perversitas opinionum et cupiditatum quibus fautores socialismi populares inficiunt animos, et turbida tempora quae impendent societati ex vanis promissionibus quibus vulgus ad se allicere conantur.

Quod si quaeras quibus potissimum artibus sit hujusmodi arcenda pestis :

a) Palam facere oportet quae vera sint eorum consilia, ne jam possint se exhibere ut minime infensos religioni vel modicis fortunis ;

b) Naviter corrigamus, in moribus atque institutis, vitia quae suppeditant ipsis efficacia quibus populum seducunt argumenta ;

c) Operam demus restituendae religioni, quae sola menti rationem reddit de praesenti hominum conditione, sicut malorum, quae auferri nequeunt, persuadet animis tolerantiam.

Hac via ostendemus ipsis factis quam inania sint socialistarum dogmata, spemque seriam concipiemus respirandi a metu et diuturnis dissensionibus.

II. *SCHOLIA.*

190. In *libro 2º Politicorum* complura tradit **Aristoteles**, quae, etsi alteram quam nostram impugnant formam communismi, opportune tamen ad hodiernam controversiam traduci valent. Pauca quaedam dabimus exempla [1].

Nam sisti non posse in aliquo mixto seu agrario communismo, ita perhibet c. 4 (7) n. 12: « In agrorum possessione duntaxat bona vult Phaleas Chalcedonius aequari. Atqui et in servis et in pecoribus et in nummis divitiae consistunt: sunt et in multo supellectilis quae appellatur apparatu, multoque instrumento. Aut horum igitur omnium quaerenda aequalitas est, aut haec in aliquem ordinem moderatum redigenda sunt, aut omnia sunt praetermittenda. »

Objicit et ipse Socrati (quem Plato in dialogo introducit patronum communismi) multa non definiri de statu

1 Locos afferemus ex editione parisiensi Didot, 1848.

futuro civitatis. « Verum enimvero quis totius reipublicae administrandae modus sit futurus bona omnia inter se communicantibus, neque exposuit Socrates, neque facile explicari potest... Sed enim utrum sint haec aeque necessaria, necne, nunc quidem nihil ab eo definitum est. Tum neque de ceteris proximis et deinceps sequentibus, quae sit horum reipublicae administrandae ratio et disciplina, quae leges. Neque autem est ad inveniendum facile, neque parum refert » c. 2 (5) n. 11, 14.

Dum idem Socrates, hodiernis praeeundo socialistis, promittebat « suis civibus paucis omnino legibus opus futurum propter disciplinam atque institutionem », respondebat Philosophus : « Criminationes et judicia seu actiones et quaecumque alia in civitatibus haerere mala dicit, ea omnia his etiam civibus inerunt » c. 2 n. 13.

Postquam autem plura descripsit incommoda communismi, ita, quasi nostro usui, quamdam profert conclusionem : « Hujus igitur legis rogatio speciosa quidem et humana videri possit : nam qui eam audit libenter et cupide amplectitur, existimans admirabilem quamdam omnibus inter omnes amicitiam futuram.... Videtur autem prorsus fieri non posse ut haec vitae ratio consistat » c. 2 n. 8, 9. Atque alio loco, in c. 4 (7), n. 5, non minus sapienter dicit cupiditates potius esse exaequandas quam facultates.

191. An possessiones primitus fuerunt communes ? Non raro, post celebre opus de Laveleye *La propriété et ses formes primitives*, contendunt ii qui mixto favent collectivismo, agros fuisse primo communiter possessos. Quamvis futile praeberet argumentum, quasi ad haec initia foret redeundum, monere tamen juvat illud assertum esse a vero alienum. Cfr. Capart, *La propriété individuelle*, et Cathrein, *Der Socialismus*. Recens adhuc D^r^ Richard Hildebrand [1] merito conquestus est plura ab adversariis permisceri : *communes* dicunt res, cum potius adhuc sunt

[1] *Recht und Sitte auf den verschiedenen wirtschaftlichen Kulturstufen.*

nullius ; pro *collectiva* habent forma *indivisam* plurium sed privatam possessionem ; nec jus *fruendi* distinguunt a jure *dominii*, nec jus quoddam *regendi bona* a publica *proprietate*. Subjungit laudatus scriptor, agros, quo comparate fiant rariores, eo magis fieri proprios ; primigeniam autem proprietatis formam non esse collectivam.

192. De aenea lege salarii [1], qua Lasalle contendebat fieri non posse ut salaria diu ascenderent ultra necessaria alimenta, non est cur dicamus. Repudiata enim a Marx, doctrina ista, cujus rursus elementa deprompta sunt ex classica oeconomia, expuncta fuit ex socialistarum edictis. Cfr. Cathrein, *Der Socialismus*, c. 3, § 2.

193. *Quaeres* quid sentiendum sit de temperamentis istis quibus non pauci e socialistis [2] protestantur se nihil adversari parvis negotiis, modicisque possessionibus ?

R. a) Ipsis nulla fides haberi potest : fatentur enim se facile mutare sententiam nec dogmata agnoscere perpetua; praeterea inter ipsos res minime convenit, cum moderatio quae aliis placet, ab aliis vituperetur ut ludificatio [3].

b) Temperamentum istud ipsorum repugnat principiis. Quum enim et in modicis negotiis adhiberi consueverint famuli et mercenarii, haec non specie sed gradu tantum differunt a majoribus infectaque sunt omnibus vitiis quae radicitus tollere cogitant collectivistae. Quid, quod plures abusus magis invasere in minores officinas quam in amplas ?

c) Hujusmodi privatae susceptiones, quamdiu manerent, obstaculo forent unitati rerum gerendarum socialique administrationi cujus commoda laudibus efferunt. Hanc ergo si serio tueantur, oportet ut illas aboleant.

d) Status denique ipse, qui interim exerceret negotia-

---

1 *Das eherne Lohngesetz.*

2 Ita v. g. Destrée et Vandervelde, *Le Socialisme en Belgique*, p. 259, 260. Cfr. tamen jam p. 361, 362.

3 « *È una mistificazione* » Marioni, in *Critica sociale*. Cfr. in *Revue Sociale Catholique*, 1900, articulos D. Vliebergh, de socialismo agrario, praesertim p. 123-125, 145, 146, 190.

tiones majores, num diu aequo ferret animo ut privati certarent cum ipso de arte et industria? Id parum est verisimile et praeter Status consuetudinem, ut rescire possumus ex odio quo, postquam ipse coepit instituere juventutem, privatas prosequitur scholas.

Haec igitur temperamenta mere sunt artes quibus sperant se timorem erepturos agricolis et civibus tenuis census, vel ab iis adhibentur qui minus de socialismo quam de suffragiis sibi conciliandis [1] sunt solliciti.

Si qui autem sincero animo mere velint hodiernos compescere abusus et malis mederi quae proletarios vexant, viderint an aliud quam nomen retineant collectivistarum; et annon melius et utilius fecerint redeundo ad castra Christi Salvatoris qui pauperes speciali complectebatur dilectione.

CAPUT II

DE JURE PROPRIETATIS PRIVATAE

ORDINATIO HUJUS CAPITIS

194. Praesens argumentum videtur in **tres praecipuas partes** commode posse distribui.

In prima parte disseremus conjuncte de *objecto* juris proprietatis privatae ejusque *causis,* tam *remota* ea qua ipsum inducitur *regimen* proprietatis privatae, quam *proxima (facto primigenio)* qua res nullius in *alicujus* ingreditur *dominium.*

Secunda erit de lege qua primo sanciuntur *hereditates* et *testamenta.*

Tertiae addicemus *terminos ac limites* quibus jus illud circumscribatur: unde perfectam simul et *christianam* ejus nobis comparemus *rationem.*

Cohaerentem denique cum ipso capite versabimus quaestiunculam, satis hodie disputatam, de *dominio scriptorum et inventorum.*

---

[1] *Socialisme électoral.*

SECTIO I. *DE OBJECTO ET CAUSIS PROPRIETATIS PRIVATAE*

Aristoteles, *Politicorum*, l. 2, c. 3; ***S. Thomae*** lectiones 5a et 6a *in 2 libr. Politicorum*; II. II, q. 66 art. 2; ***Joannes Duns Scotus***, in IV Sententiarum, d. 15, q. 2; ***Molina***, Tr. 2, d. 18 et 20; ***Rebellus***, *De obligationibus justitiae, religionis et charitatis*, l. 1, q. 2, s. 4; ***Suarez***, *De legibus*, l. II. c. 14, 18, 19; ***Vasquez***, in I. II, d. 157; ***Lessius***, c. 5, n. 1-10; ***C. de Lugo***, d. 6, s. 1; ***Grotius***, *De jure belli ac pacis*, l. 2, c. 2, § 2; c. 3, § 6; ***Taparelli***, *Saggio teoretico di dritto naturale*, n. 399-405; 778-788; 1521-1525; ***Thiers***, *De la Propriété*; ***Cathrein***, *Moralphilosophie*, p. 2, s. 1, l. 4, c. 3, 4, 5. Cfr. ejusdem opus *Philosophia moralis in usum scholarum*, n. 359-403; ***Carrière***, *De justitia et jure*, n. 23, 24, 502, 503; ***Waffelaert***, *Exposé sommaire des principes généraux de la science sociale*. Cfr. ejusdem opus *De justitia*. I, 23, 24, 265, 266; ***Castelein***, *Le Socialisme et le Droit de propriété*; ***Capart***, *La Propriété individuelle et le Collectivisme*; ***Antoine***, *Cours d'économie sociale*, c. XVI; ***Holaind***, *Le Socialisme américain, la propriété et le droit naturel*; ***Pottier***, *De jure et justitia*, dissertatio 1, s. 2, c. 3-8.

Opera adversariorum indicata sunt in capite superiore.

ARTICULUS I. De objecto et fonte regiminis (causa remota juris)

§ 1. *Notiones et sententiae*

195. Adumbratio ipsius juris. 1. Perfecta juris definitio, tamquam fructus totius argumentationis, erit sub finem istius capitis colligenda. In praesentia, ipsam *vulgarem* juris rationem assumimus declarandam, quo praecipuis certe notis dignoscamus jus de quo ponitur thesis.

Agedum, facile constat rationem istam quatuor potissimum cohaerere:

a) Aliquo *dominatu rei* nobis *inferioris*, quo ejus utilitatem ad nostrum ordinamus bonum;

b) *Jure capiendi hanc utilitatem;*

c) *Jure* non transeunte, sed *stabili ac perseverante* solo animo domini, etiam postquam is desierit rem physice apprehendere;

d) *Jure excludendi ceteros* eodem usu.

In primo enim signo rationis, gnarus rem aliquam esse aptam ad mihi inserviendum, eam constituo usurpare atque usurpo. Hactenus merum agitur *factum*. Res autem fit *juris*, statim atque alii

homines hunc meum usum observare, revereri debent. Nondum tamen ad *jus proprietatis* pervenimus. Etenim, ut exemplis illud illustremus, sole vel aqua me prohibere aliis nefas foret; jus mihi est incedendi per vias ac plateas: proprietatem tamen mihi nemo affinget nec solis, neque aquae, nec viae, nec plateae [1]. Quam ob causam? Quia aliis, in easdem res, in eumdem rerum usum non minus inviolata competit facultas. Si autem talis fuerit utilitas quae nequeat sine deminutione pluribus prodesse, ita ut quantum aliorum concederetur commoditati tantumdem de mea detraheretur, jus utendi infert jus alios excludendi eadem utilitate; et qui revereri debent meam facultatem utendi, eo ipso prohibentur quominus ex eadem re similem sibi quaerant utilitatem. Jus tunc recidit in *privilegium* quod *proprietatis* nomine designatur si *stabilem* infert rei servitutem seu addictionem uni prae aliis. Cfr. jam ab initio dicta, n. 5 et 7.

2. Porro privilegium istud exerceri potest circa quoslibet fructus, quamlibet rei utilitatem vel aptitudinem quae nequeat ad multos actu destinari. Inde quodlibet jus percipiendi, exclusis aliis, aliquam rei utilitatem, reipsa est jus proprietatis.

Sicut tamen arborem, agrum, fundum formaliter considerare valemus qua fructus ferunt et fontes sunt utilitatum, ita, praeter jus (« exclusivum » seu privilegium) in fructus vel utilitatem, concipimus jus in ipsam arborem, agrum, fundum, quo veluti in radice et in fonte possideamus omnem utilitatem ac fructus, sive praesentia sive futura. Jus autem quod *mere* afficit fructus vel utilitatem apprehenditur ut negans radicalem illam rei frugiferae possessionem. Inde jam, respectu ipsius rei quae est utilis vel frugifera, distinguitur :

a) Dominium *perfectum* seu *plenum* in ipsam rem, quo quis valet suam facere omnem rei utilitatem omnesque fructus, atque etiam de ipsa re, prout fert ejus natura, disponere : eam perdere, consumere, si mobilis ; vel, si immobilis, eam ad hoc vel illud genus frugum aut utilitatis accommodare : terram arboribus conserere, vel in ea sementem facere, aut aedificare, etc.

---

[1] Latiore tantum acceptione usi, Molina, d. 18, de Lugo, d. 6, s. 1, et alii disputare potuerunt de dominio quod homini competeret in corpora caelestia.

b) Dominium *utile*, quod jus tribuit (ex toto vel ex parte) sive in *usum* sive in *fructus*, sive in *utrosque*, servata tamen rei substantia. Quare est imperfectum in ipsam rem. *Substantia* porro hic sumitur *juridice* pro ea forma ac figura qua res certam habet utilitatem atque appellationem, qua, v. gr., pratum est potius quam vinea. Dominii utilis notissimae species sunt *ususfructus, usus, habitatio, servitus activa*.

c) Dominium *nudum* seu *radicale* in ipsam rem cujus fructus vel usus ad alterum pertinent. Quare jura realia quibus utile dominium cohaeret accipiuntur jam ut partes avulsae a dominio perfecto.

3. Ex dictis apparet etiam, res, prout a nobis nunc considerantur, esse alias *extra commercium*, quae propriae fieri nequeunt, alias *nullius*, quae nondum in alicujus sunt patrimonio, alias denique alicujus personae *proprias*.

4. Rursus autem *subjectum* quod positive res possidet, potest esse ipsa hominum *communitas, publica* societas, vel *privatus* aliquis vir.

196. Disputationis objectum. Quum nemo jam sit qui partes amplectatur communismi negativi, cujus nimia insulsitas prima specie deprehenditur, facileque etiam conveniat res a privatis saltem actu absumi posse, dicendum hic potissimum est de stabili dominio privato rerum quae perpetuam habent utilitatem ; et maxime de possessione rerum immobilium. Difficultas porro oritur ex tertia et quarta nota qua insignitur proprietas, jure nimirum perpetuo excludendi ceteros homines, quibus tamen res aeque a mundi Conditore videbantur destinatae. Jamvero, *de jure sic intellecto*, quaeritur :

Utrum necne res, etiam immobiles, a privatis stabili dominii jure acquiri possint ;

Quo fonte manaverit possessionum inter privatos divisio.

197. Sententiae. 1. Inter *antiquos* non videtur de ipsa privata rerum possessione fuisse disputatum ; nisi quod nonnulli perfectae civitatis rationi, quam mere animo

fingebant, magis congruere existimabant quamdam communitatem bonorum vel aequalem inter cives distributionem.

2. Veri obtrectatores dominio proprietatis fuere *haeretici,* tum ii quos a primis Ecclesiae temporibus nomine *Apostolicorum* cognovere et redarguere Patres, tum alii qui novatoribus saeculi XVI muniere viam. Ita *Wicleff, Huss, Anabaptistae.*

Quid senserint ipsi *SS. Patres,* dabimus in scholio.

3. *Doctores Scholastici* ad unum asseverant eam nunc esse generis humani conditionem, ut, multiplicatis hominibus, stabilis bonorum divisio inter ipsos summopere fuerit ad pacem et prosperitatem communem expediens, quin imo necessaria.

« Quod homo propria possideat... est necessarium ad humanam vitam. » S. Thomae II. II. q. 66, art. 2.

Communitas bonorum esset « contra pacificam conversationem... et contra necessariam sustentationem. » J. D. Scotus, in IV sent. d. 15, q. 2, n. 5.

Post lapsum et multiplicatis hominibus, divisio rerum ita est necessaria, ut sine illa « vix hominum status conservari posset. » Molina, *De justitia,* Tr. 2, d. 20, n. 5.

Rerum divisio probatur esse « huic statui et conditioni hominum accommodata » atque ad illa pertinere instituta quae introducta sunt « magis necessitate exigente, quam voluntate. » Suarez, *De legibus,* l. 2, c. 14, n. 13 et c. 19, n. 2.

« Sine hac (divisione agrorum) civitates recte gubernari, esset difficillimum. » Vasquez, in I. II. d. 157, n. 16.

« Si possessiones mansissent communes, relictae fuissent incultae... mundus arderet perpetuis contentionibus et bellis. » Lessius, *De justitia et jure,* c. 5, n. 3.

« Certum imprimis est de facto... multa esse sub aliquorum dominio. Certum item est, hoc non solum licitum esse, sed etiam expediens, imo et necessarium ad vitam politicam humanam. » C. de Lugo, d. 6, s. 1.

Quare, quod in hac re praecipuum est, consentiunt de instituti istius *liceitate*, quam divinitus habent revelatam [1], atque de ejus *perennitate*. Nec ambigunt, post factam

[1] Lessius l. c. n. 2 ; Rebellus, l. c. n. 20.

rerum divisionem, ipso jure naturali ac divino prohiberi *furta*. Ita, v. gr. Suarez, l. c., c. 14, n. 17 ; Vasquez, l. c., n. 22.

Quum autem inquirunt in causam quae proxime induxerit ipsam bonorum divisionem, communi placito, quod jure canonico existimant confirmatum, hanc divisionem reponunt inter instituta *juris gentium*.

Non pauci conceptis verbis negant eam ascribi posse legi divinae vel naturali. Ita J. D. Scotus, qui de lege tamen naturali id existimat mere *probabile*. Hac ratione movetur, quod lex naturae, quae pro statu innocentiae potius praeceperat communitatem, licentiam quidem post lapsum Adami concesserit « appropriandi et distinguendi communia » non tamen potuerit ipsa inducere regimen primigenio contrarium. Interponendum ergo esse decretum humanum illius qui sive ex paternitate familiam suam regeret, sive ex auctoritate politica imperaret etiam extraneis. Cfr. l. c. et etiam *Reportata parisiensia*, in eamdem dist., q. 4, n. 7-12, ubi eamdem doctrinam profitetur.

Molina non vult juri naturali tribuere nisi id quod semper et ubique rationi appareat esse moraliter necessarium, dum necessitas possessionum privatarum non obtinet nisi plerumque, et post multitudinis incrementum. Etsi ergo lex naturalis obligare possit rectorem societatis ad faciendam rerum divisionem, haec tamen de facto « sine tacito aut expresso humano statuto esse non potuit, etiam post peccatum. » Efficaciam autem ad id sufficientem tribuit, ut Scotus, potestati sive paternae sive politicae, atque etiam communi hominum consensui. Cfr. l. c. d. 18 et 20.

Fere ejusdem sententiae est Rebellus, *De justitia*, l. I, q. 2, s. 4.

Suarez ex eo videtur arguere, quod « congruentiae quae ostendunt divisionem rerum esse commodiorem in natura lapsa, non probant hanc divisionem esse sub praecepto naturali ; » et quia natura « contulit communiter dominium rerum omnium et consequenter unicuique dedit potestatem utendi : proprietatem autem dominiorum non ita contulit. » L. c., c. 14, n. 13 et 16.

Lessius concedit regimen istud posse, perspecta ejus necessitate, hac ratione dici juris naturalis, strictam tamen negat necessitatem, cum valerent singulae respublicae imitari civitatem haereticorum Moraviae. L. c. n. 10.

Non ideo tamen habendi sunt in numero eorum quos hac thesi impugnamus, sed, pro vario juris gentium intellectu, existimandi sunt vel nihil vel parum ab hodie recepta sententia discrepare. Cfr. in altero vol. thesim de jure gentium et hic infra, 207.

Quare nobis non adversatur Vasquez; dum aliquantisper contrarios arbitramur J. D. Scotum, plerosque Thomistas, Molinam, Rebellum, Suarez et Lessium.

C. DE LUGO vero conceptis verbis tradit doctrinam quae hodie placet catholicis: « Est de jure naturae divisio rerum et dominiorum in genere loquendo, quia naturalis ratio dictat, in circumstantiis praesentibus naturae lapsae et hominum multitudinis necessariam esse divisionem. » Jus autem naturae accipit « pro lege obligante independenter ab omni praecepto positivo superaddito ».

Ab hoc jure autumat non distingui jus gentium, in quod alii refundunt rerum divisionem. Primigenia autem communitas ita ab ipso explicatur, quod natura « introduxit homines in mundum quasi in domum opibus refertam, ut singuli acciperent, et accipiendo facerent sua ea quae antea erant communia omnium. » Cfr. d. 6, n. 5, 6.

Quid autem de S. THOMA? Ipse divisionem possessionum imputat juri gentium. Verum his notis describit istud jus quae plane ad nostram conveniant thesim; ex ipsius enim sententia, instituta juris gentium: a) vigorem habent etiam a lege naturali [1], b) « non indigent aliqua speciali institutione, sed ipsa naturalis ratio ea instituit [2]. »

N. B. Non pauci satis subtiliter distinguunt inter aliarum rerum divisionem, quam tribuunt juri gentium, et occupationem rei mobilis cujus possessio nulli est incommoda: hanc a naturali jure profectam dicunt. Id aperte docet Lessius, l. c. n. 10; Scotus, ante ipsum, n. 6, de re dubitavit; et in Decreto Gratiani, D. 1, c. 7 (ex Isidoro), ad jus naturale simul haec tria referuntur: « communis omnium possessio et omnium una libertas, acquisitio eorum quae caelo, terra marique capiuntur; item depositae rei vel commendatae (commodatae) pecuniae restitutio. »

4. Nec putamus *H. Grotium,* cum privatas possessiones ascribit alicui pacto generis humani, aliud exigere quam

[1] I. II. q. 95 art. 2.
[2] II. II. q. 57 art. 3 ad 3.

consensum illum quem plerique scholastici postulabant ut de facto induceretur salutare illud regimen. Nam pacto etiam tacito est contentus ; et alio loco ita distinguit inter dominia eorum qui ratione pollent et infantium vel amentium, quod priora proficiscuntur a lege naturali, posteriora a jure gentium. Cfr. *De jure belli et pacis,* l. 2, c. 2, § 2 et c. 3 § 6; cfr. etiam quae de ipsius opinione scribunt RR. PP. Holaind, op. cit., c. 3, p. 59, 65, et Capart, p. 64-68.

5. Error de origine societatis civilis persuasit quibusdam *philosophis* s. XVIII, ut Hobbes et J. J. Rousseau, talem publicae potestatis « absolutismum », qui huic tribueret omne jus in bona. Jura ergo privatorum ex civilis imperii auctoritate consisterent. Hi ergo, fortasse omnium primi [1], vere a nobis dissentiunt. Non minus nobis adversatur schola Kantiana, quibus lex civilis est fons omnis juris, proindeque etiam proprietatis.

6. Hoc seculo, sententia C. de Lugo facta est communis catholicorum. Ipse S. Pontifex Leo Pp. XIII haud semel de re judicium fecit verbis quae nullum relinquunt locum dubitandi : « Ecclesia multo satius atque utilius inaequalitatem inter homines, corporis ingeniique viribus naturaliter diversos, etiam in bonis possidendis agnoscit, et jus proprietatis ac dominii, ab ipsa natura profectum, intactum cuilibet et inviolatum esse jubet [2]. » Et recentius, in Enc. *Rerum novarum* [3]. « Possidere res privatim ut suas jus est homini a natura datum. » Quod dein ostendit obtinere non solum de iis quae usu consumuntur, sed de iis etiam « quae nobis utentibus permanent et » ipsius terrae dominatu.

7. Qua parte huic nostrae doctrinae infensi sint

---

1 « Hobbes est, pensons-nous, le premier qui ait formulé et défendu expressément cette opinion (que la propriété vient de la loi civile). » Capart, op. cit. p. 36.

2 Enc. *Quod Apostolici,* 28 dec. 1878, versus finem.

3 Sub initio. In medio autem rursus haec alia habet : « Bona privatim possidere, quod paulo ante vidimus, jus est homini naturale. »

socialistae, tam puri quam mixti, nimis constat ex superiore capite quam ut hic sit rursus inculcandum.

§ 2. *Formula et argumenta conclusionis*

THESIS XIII

Ipsa lege naturae sancitur hoc genus instituti quae est privata proprietas rerum exteriorum etiam immobilium.

198. I. **Status quaestionis.** Quo spectet nostra intentio ; et cur in specie disseramus de rerum immobilium dominio : haec, inquam, satis constant ex superiore capite et modo traditis notionibus. Quare ad declarandas voces statim nos convertere licet.

1. EXPONUNTUR VOCES.

Ipsa lege naturae, cujus haec solemnis definitio : « Participatio legis aeternae in rationali creatura [1]. » Continet ergo ordinationem imperatam ab ipso Deo, auctore naturae, atque in ipsa natura nostra promulgatam. Quare a natura nostra divelli nequit. — Porro dicimus *ipsa lege naturae*, ut innuamus vim quae ex legibus positivis accrescit ubique privatis possessionibus.

Sancitur, i. e. valorem et efficaciam sortitur, statim atque exsistit ; et natura duce atque instigatrice est communiter inductum.

Hoc genus instituti. Genus, inquam, quia praeter generícam approbationem, quam habet a lege naturae, modus quo in concreto exsistit et viget non est, ut observat C. de Lugo, « complete de solo jure naturae, sed pendet saltem negative a jure humano ; non solum quia multi modi acquirendi et perdendi ac transferendi dominium introduci possunt, et de facto introducti sunt jure mere humano, sed etiam quia illi alii modi acquirendi dominium, qui videntur jure naturae introducti, adhuc saltem negative pendent a jure humano, quatenus potuerant jure

[1] S. THOM. I. II, q. 91, art. 2.

humano impediri, sicut de facto... plures redduntur jure humano incapaces acquirendi dominium » d. 6, n. 5.

Quae est privata proprietas, non transiens tantum sed stabilis.

Rerum exteriorum, nec tantum propriae actionis, famae et honoris quae, omnibus fatentibus, sunt singulis ab ipso naturae jure appropriatae. Ipsa autem membra, potius quam possidentur, pars sunt personae possidentis.

Etiam immobilium, sive aedificiorum sive agrorum. Quod non prohibet quin, positiva lege, nonnulla commercio eripiantur privatorum, alia autem ipsi fisco addicantur.

2. NOTA THESIS. a) Regimen privatae proprietatis esse de *licitis*, clare continetur in Scripturis, ita ut *fide* catholica id sit tenendum.

b) *Temeritatis* notam incurreret ille qui regimini isti affingeret civilem originem, vel negaret, quod attinet ad res exteriores, ullum privatae proprietatis jus oriri ab ipsa natura. Aperte enim repugnaret doctrinae quam S. Pontifex declaravit esse doctrinam Ecclesiae.

c) Nulla autem reprehensione dignum per se existimaverimus qui simpliciter adhaeserit doctrinae scholasticorum, nisi quod parum prudenter egerit adhibendo vocabula quae hodie ansam parint abusus. Et revera, ipsi scholastici omnino assentirentur huic formulae qua S. Pontifex suam de divisione rerum, praesertim immobilium, dissertationem concludit sententiamque pronunciat : « Merito igitur universitas generis humani, dissentientibus paucorum opinionibus nihil admodum mota, studioseque naturam intuens, in ipsa lege naturae fundamentum reperit partitionis bonorum, possessionesque privatas, ut quae cum hominum natura pacatoque et tranquillo convictu maxime congruant, omnium seculorum usu consecravit [1]. »

Talis ceterum est ipsa thesis formula ut non dirimat

1 Enc. *Rerum Novarum*, in 1ª parte

quaestionem de consensu qui negative vel positive requiratur tamquam mera *conditio* ad inducendum regimen divisionis possessionum. Cfr. Scholion, n. 207.

II. **Probatio.**

199. A. Prioris Partis : ***Ipsa lege naturae sancitur per se hoc genus instituti quae est privata proprietas rerum exteriorum.***

Arg. 1. Ex fine rerum exteriorum.

Ita jam praecise efferri possit argumentum : Natura sancit hoc regimen bonorum quo solo bene obtinetur finis ob quem sint creata. **A.** Hujusmodi est regimen quo multa saltem bona a privatis possideantur propria. Supra enim ostendimus utrumque repugnare communismum : negativum videlicet et positivum. **E.**

Ut tamen explicatius dicamus, hac ratione procedit nostra argumentatio :

Natura sancit hoc de rebus exterioribus genus instituti, quod facili consideratione apparet omnibus necessarium ut res exteriores fini ad quem ab Auctore naturae destinantur convenienter aptari possint.

A. Hujusmodi est per se privata proprietas rerum exteriorum.

E. Ipsa lege naturae haec per se sancitur.

Ad majorem. Hinc enim, voluntas finis demonstrat penes Auctorem naturae voluntatem medii unice apti ; illinc autem, communis perspicuitas necessarii nexus inter medium et finem de quo facile homines consentiunt efficit ut medium istud sit communiter receptum atque observatum, etiam antequam lex humana suam exercuerit vim atque efficaciam. Hoc autem arguit institutum naturale. Namque, ut dicimus in 1 vol. ubi de Legibus et de Jure Gentium, ideo agnoscenda est vera causalitas ordinationibus humanis, quia in rebus obscuris, vel quae inter plura permittunt optionem, civium consensus atque conspiratio non obtineretur nisi Princeps, electione sua, subditis necessariam imponeret regulam. Cfr. S. Thomae I. II, q. 91, art. 3 ad 1.

Ad minorem. Cuilibet, vel parumper cogitanti, haec liquido patent :

a) Res exteriores hujus mundi conditae sunt propter hominum genus, in subsidia multiplicis eorum indigentiae et instrumenta omnis progressus.

b) Non ita tamen pleraeque res sunt hominibus concessae, ut ultro ipsis ad nutum sint praesto ea quae requiritur copia eaque forma qua proxime sint utiles. Agri, quamvis fertiles, sine cultura non erunt fructuosi. Atque ipsi qui gignuntur fructus plerumque nostris usibus non sunt apti, nisi industria nostra advehantur congruasque induant formas. Nec solum in rebus inanimis, sed etiam in pecudibus alendis et belluis subigendis, non mediocris opera est consumenda. Non possunt ergo pleraeque res exteriores quasi sibi permitti, sed cura in eis impendenda est quae diligens sit, constans atque ordinata. Aliis verbis, ut cum fine ab Auctore naturae intento convenienter plurimae res disponantur, opus est ut in hominum veniant diuturnam possessionem.

c) Possessio autem haec fingi adhuc possit communis vel privata. Verum, si ineatur communis, homines ut plurimum nec sollertes erunt in curandis rebus, nec ordinati ; nec diu pacifice alii cum aliis conversabuntur [1]. Hoc simul docent et hominum mores, quos, si aliquantulum attendas, valde per se propensos videbis ad desidiam, amorem proprium et invidiam ; et jugis experientia, quae

[1] Idem jam eleganter proposuit s. Thomas, II. II, q. 66, art. 2, his verbis : « ... Licitum est quod homo propria possideat. Et est etiam necessarium ad humanam vitam propter tria. Primo quidem quia magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli competit, quam id quod est commune omnium vel multorum : quia unusquisque laborem fugiens, relinquit alteri quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministrorum. Alio modo, quia ordinatius res humanae tractantur, si singulis immineat propria cura alicujus rei procurandae. Esset autem confusio si quilibet indistincte quaelibet procuraret. Tertio, quia per hoc magis pacificus hominum status conservatur, dum unusquisque re sua contentus est. Unde videmus quod inter eos qui communiter et ex indiviso aliquid possident, frequentius jurgia oriuntur. »

ostendit res communes plerumque negligi prae privatis, nisi forte ipsum studium commune privatis cedat emolumento ; bonorum denique cum extraneis communionem, nisi ad finem aliquem specialem et ad modicum tempus appareat necessaria, parum ab hominibus appeti, seminaque continere perpetuarum discordiarum, jurgiorum et inimicitiarum.

Haec, inquam, statim probantur cohaerere cum bonorum communione generice sumpta.

Si vero ad illam respicias communitatis formam quam adversarii praedicant, recurrunt omnes rationes factae in superiore thesi contra hodiernum collectivismum.

Assumptae *minoris* veritas jam satis etiam fit evidens ex facto universali quo homines, sensu ducti communi, statim ac coepti sunt multiplicari atque ad artes applicari, simul divisas inter se habuerunt possessiones. Quae ratio eo fit urgentior, quod, ut optime observat s. Thomas [1], « aestimandum est quod in longitudine praecedentium temporum fere omnia inventa sunt circa conversationem humanam, quae excogitari possunt. »

Arg. 2. Ex natura tum personali tum sociali hominum.

Repugnat ut natura non sanxerit hoc genus instituti, a) ad quod ineundum homo fertur maximis propensionibus vitae suae personalis et domesticae ; b) quod solum consociat has propensiones cum requisitis societatis politicae.

A. Hujusmodi est privata proprietas rerum exteriorum. *E.*

Major patet, quia secum pugnasset natura, quae fecit hominem animal rationale, domesticum et politicum, si huic per se negasset unde satisfaceret binis prioribus notis suae substantiae, et unde tres notae inter se concinere valerent.

Probatur minor per partes.

a) *De ipsis propensionibus.*

[1] *In l. 2 Politicor.* lect. 5.

α) Maxima est propensio hominis qui adolevit, ut suo se regat arbitrio proindeque per se ipse suis consulat necessitatibus et desideriis. Ratione autem sibi conscius est, necessitates quibus premitur transeunte rerum usu minime sedari, verum constanter recurrere et habere, ut ait Leo Pp. XIII, perpetuos reditus etiam postquam senio vel infirmitate impar factus fuerit viribus. Ratione etiam prospicit varios profectus, non solum qui pertinent ad utilitates temporales vel commoditates vitae corporalis seu praesentis, sed etiam qui attinent ad studia nobiliora literarum, bonarum artium, virtutis. Securitas autem futurorum, major vitae voluptas, otium ad nobiliora studia, nisi quod ad haec omnia ex alieno velit pendere arbitrio, undenam sibi praesto erunt nisi ex stabili ac privata rerum exteriorum proprietate? Eadem ergo qua ad illa sectanda, ad hanc sibi comparandam impellitur propensione.

Si, ut plerumque fit, naturali inclinationi obsecundans, matrimonio initium facit societatis domesticae, ille qui caput est familiae experitur uno tempore in se et auctoritatem et voluntatem regendi suos simili quo seipsum modo. Rursus autem in possessione rerum exteriorum unum agnoscit medium hodie accommodatum explicandi providentiam quae ad sobolem pertingat limitesque praesentis vitae transgrediatur.

β) Non minus vehemens inest homini inclinatio ad vindicandum pro suo fructum sui laboris. Imo veritate nititur haec persuasio qua omnes existimant illius esse opus cujus fuerunt operae. Natura autem ita res disposuit, ut nullae operae essent fructuosae nisi quae alicui rei exteriori applicarentur quacum unum deinceps individuum fierent corpus. Agedum, si ad neminem pertinuerit lignum ex quo confeceris malleum vel aratrum, terra quam in agrum vel pratum redegeris, vel, universe, materia quam operatione tua permanenter vestieris, cujusnam, quaeso, erit totum illud compositum re exteriore et opera personali

tua? Nonne, instigante natura, ipsum malleum vel aratrum, ipsumque agrum — quamdiu saltem tua opera maneat indutum — adjudicabunt tibi qui, animo fruendi re, ad eamdem adhibueris tempus et diligentiam? Hac ergo altera via, fortasse breviore, adducitur homo, quasi manu naturae, in opinionem proprietatis privatae.

Quid, quod ipsa voluptas quam a pueris capere solent homines ex proprietate rerum exteriorum non mediocrem detegit naturae propensionem vel instinctum.

b) *Proprietate privata consociantur hae propensiones cum requisitis societatis politicae.* Et re quidem vera :

α) Politica societas requirit caput quod imperet et congrua instruatur potestate. Simul tamen, ut nunc est humana ambitio, maximum subest periculum ne principes modum excedant nimisque sibi faciant cives obnoxios. Tollas privatam rerum proprietatem, in qua, — teste historia, — maxima sita est vis resistendi tyrannicis conatibus; ipsis communitatis rectoribus tradas etiam bona regenda : quo sibi quaerent cives praesidium ad tuendam libertatem personalem ?

β) Politica societas requirit ut cives in maxime varias incumbant artes; ut sint qui simul se fecerint habiles et ab occupatione se expedire valeant ad vacandum reipublicae. Haec ultro suppeditantur regimine privatarum possessionum, quo, ipsa cogente necessitate vel utilitate propria, cives ad omne artium genus excolendum moventur nec minus scientia ac prudentia quam fortunis inter se differunt. Eodemque fit regimine, ut talem possint ex sua diligentia sibi promittere fructum quo incitentur ad non detrectandum quorumdam munerum onus. Tollas rerum privatam proprietatem : vix erit ut aliter quam publica vi cives certis addicantur sedibus atque artibus; ut aliter quam publico decreto nonnulli eo fruantur otio iisque vacent studiis quibus se parent ad quondam gerendos honores. Rursus ergo actum erit de supra descriptis propensionibus.

His addas, ex rebus quas privatim possident maxime incitari cives ut rempublicam velint salvam ac prosperam; et mutuis commutationibus, societatibus et pactionibus quae fiunt de rebus propriis veluti totidem vinculis inter se conjungi homines: quae quantum conferant ad bonum commune neminem latere potest.

N. B. Vis istius argumenti magis apparet, si recolas quae fusius proposita sunt in refellendo socialismo. De ipso utiliter conferri possunt tum Enc. *Rerum Novarum,* tum opusculum citatum R. P. Holdain, qui a cap. IV, egregie in eo explicando versatur.

Neve dicas, ad infirmandam argumentationem factam:

1) Eam nimis proindeque nihil probare, cum consequens foret oportere ut omnibus hominibus pateret accessus ad possessiones privatas; neminem enim esse qui expers sit propensionum unde eruebatur ratio;

2) Hoc ipsis catholicis esse persuasum ut religiosi qui communem agunt vitam suae necessitati prospiciant satis, melius autem quam ceteri suo consulant profectui et superioribus artibus. Posse ergo communi bonorum possessione haec omnia felicius haberi.

Ne haec, inquam, dicas. Etenim:

1) Quod attinet ad priorem dubitationem: eo quod omnibus insint hujusmodi propensiones quae postulent privatam rerum proprietatem, non immerito fortasse colligitur per se copiam fieri unicuique a natura ut eam consequatur proprietatem quae satis sit ad aliquo congruo modo satisfaciendum istis propensionibus; eamque societatem minus recto uti regimine bonorum ubi plerisque haec copia *per se* deesse videatur. *Per accidens* tamen facultas illa deficere potest sicut aliae facultates, utputa conjugii, quae naturali respondent propensioni. Nec requiritur ut aeque perfecte adsit omnibus. Ipsa enim natura homines fecit varii ingenii atque virium. — Utcumque tamen se habet ad perfectam naturae intentionem ratio proprietatis privatae quae alicubi vigeat, nihilominus a natura sancietur

proprietas, quatenus per eam aliquo certe modo est congenitis propensionibus satisfactum. Revera autem, si ad id quod factum est nos nunc convertamus, quotquot homines aliqua parte suo se suosque regunt arbitrio optionemque habent loci vel status, id stabili proprietati ascribere debent, ita ut perinde sit aliquem isto privare jure eumque in servitutem redigere. Nec, suppressa servitute stricte tali, alicui per se deest copia saltem plura possidendi. Praeterea, ex sola jam spe melioris fortunae alitur industria hominum et foventur ista studia quae ad profectum civilis cultus plurimum conducunt. Res exteriores, in eo quo utimur regimine, dixeris veluti positas in medio, ita ut nulli, qui contendat, negetur per se aliqua pars ; abundantiam autem obtineant qui, in utilissimo concursu, felicius tenuerint metam.

2) Quod attinet ad communitates religiosas, nihil thesis evidentiae officiunt. Haec enim est ratio qua constituuntur, eoque delectu cooptantur sodales, ut curae ac providentiae communi singuli plane fidere possint. Hi ceterum, motivo ducti superiore, abjudicant sibi libertatem et matrimonium, ita ut, Praelato valde obnoxii, vitam agant tenoris simplicis et humilis quae admodum paucorum esse potest.

Si qui praeterea coetus commemorantur ubi vigere videatur bonorum communitas, eadem occurrit vitae simplicitas, ac simul plerumque, ne dicam semper, causa religiosa quae socios artius inter se conjungat.

Tunc tantum aliquid proficerent adversarii, si nobis exemplum statuere valerent societatis mere civilis, ubi florerent artes cultusque civilis absque possessionum divisione.

200. B. ALTERIUS PARTIS. *Ipsa lege naturae sancitur... privata proprietas rerum exteriorum etiam immobilium.*

Haec pars facile eo constat, quod :

1) Res immobiles hanc praeferunt indolem, quae convenit in genus rerum quae privato subjiciuntur dominio. Harum enim rerum concedit natura dominium, quae

a) distinctae a persona humana, b) homini sint utiles, c) copia sint finitae d) talesque sint quae, nisi usu absumuntur, ab homine seu possessore suo quasi signo stabiliter notari valeant. Cfr. R. P. Holdain, c. 7, initio. Etenim, a) objectum juris nunquam est persona, ut vidimus n. 7; b) et c) proprietas rerum inutilium vel infinitae quantitatis justa destitueretur causa; d) nisi stabili vinculo res appareat alicujus addicta servitio, privilegium proprietatis ruit a fundamento, nec jus per se innotescere valeret ceteris hominibus : quod tamen requiritur ut illud observandi teneantur officio. Haec autem quatuor si adfuerint, adest simul proprietatis utilitas et ratio.

Jam vero liquet terras his insigniri dotibus. Ut enim de tribus prioribus, quae omnium oculis sunt comperta, taceamus, quod attinet ad quartam qualitatem, terrae magis quam ceterae res vestigium retinent dominantium. « Ager quippe cultoris manu atque arte subactus habitum longue mutat : e silvestri frugifer, ex infecundo ferax efficitur. » Enc. *Rerum Novarum.*

2) Privatis possessionibus rerum immobilium cohaerent specialia commoda communis rationis. Cfr. dicta n. 182, B, 4.

3) Usurpatio publica bonorum immobilium nemini prodesset, maximumque societati crearet periculum ne imperantium potestas in pessimam abiret tyrannidem, ne officiales, qui in immensa ista administratione versarentur, cupiditatibus, pravo favori et peculatui effrenate indulgerent, civesque republica et pacifisque artibus longe minus delectarentur.

201. III. **Difficultates**, quae, post rationes factas et refutationem collectivismi, nec multae sunt nec aliquod facessunt negotium, ita ut satis sit paucas proferre quae priorem impugnent thesis partem.

1. Ex naturali rerum communitate. Etenim :

a) Privata proprietas tribuit uni quod natura non fecit uni. *E.* non est a natura.

R. Divido antecedens. Privata proprietas tribuit uni: *dist. hanc partem.* Privata proprietas, i. e. actus legitimae facultatis appropriandi sibi res, *C.;* i. e. ipsa facultas seu regimen proprietatis privatae, *subdist.* tribuit proxime uni, *N.*; remote, *C.* — Natura non fecit uni, *dist.:* proxime *C.;* remote, in statu praesenti, *N. Dist. pariter consequens. E.* non est a natura proprietas privata, intellecta de actu appropriationis, *C.* vel *transmitto;* non est a natura ipsa facultas, seu regimen, *N.*

Quod dicimus a natura sancitum, est ipsum regimen proprietatis privatae, ubi sit inductum, idque sub ratione communi qua *in universum* permittit privatis possessionem divisam. Non ideo tamen aliquis jam quidpiam possidet, sed requiritur insuper factum positivum, humanum, quo res in alicujus perveniat dominium. Factum istud, saltem si primigenium occupationis, nonnullis videtur esse mere conditio, ita ut a jure naturali hypothetico repetant proprietatem ipsius rei occupatae. Alii, quos melius dicere existimamus, illi facto veram tribuunt causalitatem. Sed quia praesens thesis versabatur mere circa ipsum regimen, concessimus vel transmisimus actum appropriationis non esse a sola natura.

Inst. Natura ne remote quidem fecit uni illud quod uni tribuit regimen proprietatis privatae. Res enim exteriores toti destinavit generi humano.

R. Nego factam exceptionem. Quod spectat ad *rationem* adjunctam, praeterquam quod non minus impugnaret possessiones unius gentis communes, quam unius privati proprias, eam *sic distinguo:* Res destinavit generi humano ut ab ipso tanquam dominii subjecto possiderentur, *nego;* ut in ipsius cederent bonum et utilitatem, *subdist.* si res et genus humanum sumas collective, *C.*; si res et homines sumas distributive, etiam *subdist.* Si accipias res et homines simul vel res tantum, *nego;* si homines tantum, *subdist.* aliquo modo, *C.* aequaliter, *nego.*

Quo spectent istae distinctiones, facile apparet. Quum omnia facta sint propter hominem, non tam hunc vel illum quam genus humanum, manifesta naturae intentio est ut res exteriores in universum sint hominibus generatim sumptis utiles: quare concessimus sententiam de rebus et genere humano *collective* sumptis. Non ideo tamen statuit unamquamque rem debere unicuique

homini servire, vel genus humanum debere ex *singulis* rebus utilitatem capere : quocirca negavimus sive res et homines simul sive res tantum accipi posse *distributive*. Quod attinet tandem ad ipsos homines, nullus est quin, secundum naturae jussionem, in *aliquam* partem venire debeat rerum exteriorum. *Eamdem* tamen minime singulis praestituit natura, quae causas induxerit inaequalitatis. Hac ergo ratione annuimus homines accipi *distributive*. Sed ex hac destinatione nullo pacto efficitur res esse communiter possidendas, quum, ut ostendimus, ipsa rerum divisio necessaria sit ut hic finis bene procuretur. Imo ipsae res quae unius sunt propriae, multis nihilominus prodesse solent.

b) Solemne est effatum SS. Patrum et juris canonici, ex natura omnia esse communia.

R. Dist. Ex natura integra, *transm.* ex natura ut est post lapsum Adami, *subdist.* omnia esse communia negative, ob communem facultatem factam res legitime acquirendi, *C.*; omnia esse communia positive, quod ad jus disponendi, *N.*; quod ad usum, ratione modo explicata, *C.* Cfr. Scholia de communitate negativa et de Patrum sententia.

2. EX FACULTATE SE ABDICANDI HOC JURE. Unde sic arguitur :

Cum regimine proprietatis privatae quod foret a natura stare nequit : a) facultas qua pollent privati renunciandi juri possidendi bona ; b) valida constitutio proprietatis communis in nonnullis societatibus.

R. Ad a) *Nego*, quum ipso jure nubendi plures se spolient.

Cujus rei ratio est, quia eatenus est aliquid praeceptum vel institutum a natura, quatenus rectae rationis dictamen postulat hanc jussionem vel institutionem. Unde si recta ratio mere exigit ut jus aliquod *per se* insit in homine, ita ut in quibusdam adjunctis evanescere possit ipsa juris illius necessitas vel opportunitas, fas erit homini qui in his versetur adjunctis se spoliare jure etiam naturali. Jam vero, ex prolatis argumentis haec tantum concluduntur : a) regimen proprietatis privatae esse hodie communiter necessarium in societate multorum hominum ; b) unicuique esse ingenitum jus legitime acquirendi bona. Quum autem, in certis adjunctis, ut quae religiosos circumstant, conservationi ac perfectioni hominis aliter ac per stabilem proprietatem consuli possit, nihil obstat quin religiosi illud jus abjiciant.

Observes tamen minime constare, quod sine legis auctoritate

possit aliquis se ita abdicare facultate acquirendi bona ut ne valide quidem deinceps possidere conaretur. Imo praeferenda est sententia quae negat illud esse in privatorum potestate.

Ad b) *Distinguo:* cum regimine naturali proprietatis privatae stare nequit inductio proprietatis communis seu regiminis contrarii in societatibus in quibus, ob specialia adjuncta, divisio non sit necessaria, *nego;* nam illis tantum societatibus ubi perspecta est necessitas proprietatis privatae est ipsum regimen naturale. — In societatibus de quibus thesis posita est, *transmitto.* Nulla hujusmodi fuit vel diu erit. Quaestionem tamen de validitate reservamus in scholion.

3. Ex malis et abusibus quae secum adducunt privatae possessiones.

R. Mala oriuntur per accidens et minora sunt quam si induceretur regimen contrarium.

§ 3. *Doctrinae supplementa*

1. ***COROLLARIA.***

202. Re prior est privata proprietas quam civilis conjunctio. Etiamsi tempore simul cum civili societate sumpsisset privata proprietas exordium, nihilominus ab ipsa naturae lege firmaretur, sicut non alia pauca quae ad publicum hominum convictum necessario consequuntur. Non ita tamen se res habet. In civitate quidem certi jam cultus primum fortasse conspicitur perfectum privatae proprietatis regimen, quia tunc hominum et necessitatum frequentia magis absolutam postulare solet rerum ordinationem. Quae tamen dedimus argumenta faciunt manifestum, jam in minoribus coetibus vel consortiis, imo non raro in una familia, ad pacem et concordiam servandam, opus fuisse ut sua quisque inciperet stabiliter habere. Nonne, etiam hodie, utut paucis personis componi consuescant domus seu domesticae societates, conspicimus res ne inter fratres quidem perfecte manere communes? Putandum ergo est usu venisse, ut quo magis, crescente mul-

titudine, invalescerent rationes suadentes privatam proprietatem, eo simul magis, sensim sine sensu et absque formali hominum deliberatione vel decreto, ipsum proprietatis regimen perficeretur; idque bifariam: quod ad *objectum*, ita ut prius possiderentur res mobiles, deinde immobiles quarum minus perpetua potuit aliquandiu esse possessio: ut si minus fixae essent ipsius gentis sedes [1]; et quod ad *ipsum jus*, seu ipsam possessionem, quae in initio erat minus « exclusiva ».

203. Quae sint partes juris naturalis et juris humani. In regimen aliquod privatae proprietatis sanciendum, veluti in unum confluunt natura et lex positiva. Non ita tamen constat quid utrique sit deferendum, quid commune utriusque, quid humanae ordinationis proprium. Perspecta enim necessitate humani convictus definitur ordo rationis qualis jam ex natura inter homines habetur. Minime autem abruptus est transitus ex eis quae manifesto requiruntur ut floreant artes pacis, etc., ad ea quae hominum arbitrio relinquuntur definienda; verum multi inter necessaria et indifferentia interjacent gradus. Hoc solum ergo dici potest in universum, quo magis aliqua regiminis pars appareat cohaerere cum bono communi, eo magis constare eam esse a natura ortam.

204. Qua ratione sit juris naturalis genus proprietatis privatae. Argumenta probant aliquam bonorum divisionem omnino nunc esse necessariam ad pacificam hominum conversationem eorumque profectum. Eodem ergo naturae impulsu alliciuntur homines ad civilem communicationem et ad partitionem bonorum; *tamque naturalis est privata proprietas quam societas civilis.*

Non eodem tamen modo quo alia nonnulla instituta manat proprietas privata a natura. Matrimonii v. gr. est, in omni statu generis humani, praeceptum naturale; neque altera conjunctio maritalis permittitur nisi quae foedere conjugali fiat inviolabilis; dum si homines vellent

[1] Sic a C. Tacito dicebantur Germani singulis annis arva mutare.

communiter possidere bona, istorum bonorum usu minime prohiberentur. Cfr. etiam 207.

II. *SCHOLIA.*

205. De possessione rerum exteriorum ante peccatum. Convenit inter doctores scholasticos, rationes cur natura nunc postulet proprietatem privatam conjungi cum statu generis humani qualis est post peccatum, ita ut existiment futurum potius fuisse ut, nisi Adamus peccasset, res mansissent communes. Imo fuere qui asseverarent aliquod praeceptum naturae de communitate servanda, sive proprie dictum, — ita Alensis, Conrad, — sive latius intellectum, quod videtur placuisse J. D. Scoto, l. c. n. 5 : quod praeceptum fuisset post lapsum Adami abrogatum. Melius tamen hujusmodi praeceptum a plerisque negatur. Cfr. Suarez, *De legibus,* l. 2, c. 14, n. 13, Lessium, c. 5, n. 4.

Ad nos quod attinet, quantum de statu tam parum nobis noto aliquid conjicere licet, ita putamus esse dicendum :

a) Quia ex donis praeternaturalibus simul evanuissent proprietatis privatae et necessitas et abusus, natura de regimine bonorum nihil pronunciasset ; et ad jus spectasset humanum definire, pro adjunctis, utrum divisim an conjunctim possiderentur bona.

b) Communitas tamen ista, si quae placuisset, non eo accipi potest modo qui maximam pareret confusionem. Quare ex triplici ratione qua, secundum Aristotelem, fingi possint bona esse inter homines communia [1], hanc magis verisimilem habemus, qua fundi, agri separatim haberentur, omnibus autem potestas fieret in fructus rationabiliter utendos.

206. Argumenta minus efficacia. 1) Dum ita de statu naturae integrae sentiebant veteres, tacite simul redar-

[1] *Politicorum*, l. 2, c. 3. Duae reliquae eo spectant, ut communes fiant vel soli agri, vel agri et fructus simul.

guerunt hanc rationem demonstrandi jus proprietatis qua nonnulli usi sunt moderni scriptores. Est autem hujusmodi. Homo ratione novit se esse rebus exterioribus superiorem, easque ad suum bonum ordinari. Aliunde nemini, ne societati quidem, ab ipsa natura alicujus rei confertur dominium. Qui ergo sibi sumit aliquam rem quae in nullius erat patrimonio nemini facit injuriam utiturque re secundum finem rei naturalem. Quare hunc usum, i. e. appropriationem, ipsa natura fecit licitum et inviolabilem.

Iste modus dicendi, inquam, non consonat sententiae veterum. Efficeret enim privatae proprietatis esse jus naturale etiam ante lapsum.

Praeterea per se ostenditur inefficax. Jus enim quod agitur non est mera facultas qua bona hominibus tribuuntur utenda — « quod est, ut ait S. Pontifex, omnium animantium commune » — sed est dominium *permanens*, quod continet facultatem excludendi ceteros usu rei quae actu domino non inservit. Jam vero, ex dominatu terrenorum commodorum quem natura homini concessit, erui fortasse potest *transiens* utentis dominium ; quomodo autem ex hoc solo efficias perpetuam exclusionem aliorum quibus aeque terra data est utenda-fruenda, minime appareret. Forte invenisti aurum, agrum colere coepisti. Occurrit alter : « auro isto, quod tu multo post tantum adhibebis, nunc mihi opus est ; postquam messueris, velim et ego, mea vice, conserere, paratus tibi sarcire impensas. » — Quo, quaeso, jure objicies dominatum naturalem quem ipse tecum habet communem ?

2) Similiter claudicat argumentum quod alii promunt ex necessitatibus quibus obnoxia est humana persona.

Perfectum ergo privatae proprietatis regimen tunc tantum efficaciter suadetur pertinere ad jus naturae, postquam incommoda ostenderis possessionis communis. Prius ergo redarguendus est communismus quam statuas proprietatem privatam. Cfr. Cathrein, *Moralphilosophie*, l. c., c. 4, art. 2.

207. An requiratur humanum condictum, ut conditio. Verum ulterius inde quaeritur, utrum divisio bonorum ita sit nunc de jure naturae ut nullus hominum consensus seu condictum, ne ut conditio quidem, requiratur, an contra, dissensus positivus majoris partis valide impedire queat privatam rerum appropriationem.

In qua re nobis utendum videtur distinctione. Complurium enim rerum, ut sunt mobiles illae quae usui personae vel domus addicuntur, privata appropriatio ita apparet necessaria, ut sine ea pacificus hominum convictus consistere nequeat. Has res proprias facere ita per se cuilibet homini est a natura concessum, ut frustra vel tyrannus vel popularia comitia tentarent contrarium regimen imponere renitentibus civibus. Sunt tamen aliae res quarum privata proprietas non ita cum essentia civilis ordinis cohaeret. Non omnino v. gr. repugnat ut solum ab ipsa republica possideatur. Quid ergo si, absque laesione jam acquisiti juris, velit aliqua civitas his legibus uti quibus non permittatur privatis nisi imperfecta agrorum possessio ? Quamvis regimen istud plane improbemus ac censeamus mutandum, nihilominus, quamdiu vigeat, existimamus oportere ut privati se ad talem ordinationem accommodent. Paucorum enim privata proprietas non multum prodest bono communi ; eorumdem rebellis reclamatio potius huic bono noceret. Divisio autem bonorum non sancitur ab ipsa natura nisi quatenus cum bono communi hominum evidenter conjungitur.

Quibus dictis, ut praecise concludamus, institutum privatae proprietatis, quod attinet ad certa rerum genera, ascribimus ad jus naturale magis absolutum ; aliarum vero rerum, in specie immobilium, divisiones potius juri gentium attribuimus, quod, ut in altero volumine explicamus, fundamentum tale habet in natura ut, nisi dissentiant homines, ab ipsa natura vim suam ac robur sortiatur. Modus noster dicendi videtur valde confirmatus Encyclicis S. Pontificis, ubi hinc quidem simpliciter docetur, « possidere

res privatim ut suas esse jus homini a natura datum [1] » ; illinc vero de possessione agrorum magis temperata profertur formula, quam laudavimus n. 198, 2, c. Neque aliud fortasse voluit Vasquez, dum agrorum divisionem adjudicat juri gentium intellecto de jure naturali secundario, quod potius permittit quam jubet aut vetat ne aliter fiat. Cfr. ipsum in I. II. d. 157, n. 17.

208. Communitas rerum, qualis sit a natura. Post dicta et disputata, videtur hoc pacto res tota accurate declarari posse, si dixeris a natura res esse factas communes :

a) Quia Deus terrae « partem nullam cuique assignavit possidendam » Enc. *Rerum Novarum*, 1ª p. Haec dicitur communitas *negativa*, qua tamen non continetur tota ratio primigeniae communitatis. Communes enim etiam sunt res exteriores :

b) Quia Deus *destinavit* terram communi omnium utilitati, et sic unicuique contulit aliquam potestatem utendi. Inde jus sumendi in extrema necessitate; inde officium divitiorum ut facile de suo tribuant egentibus [2], et sic quod ad usum res considerent ut communes.

c) Quia *jurisdictionem* detulit hominum communitati ordinandi regimen bonorum exteriorum eo modo qui naturae jussis vel votis congrueret et videretur esse e republica. « Potuere, ait Rebellus [3], homines de rebus statuere quod magis expedire videbatur. » Nec sine tali jurisdictione explicares dicta Patrum et Scholasticorum, vel solutionem traditam n. superiore.

Inde praeterea consequens est, agnoscendum esse aliquod positivum rerum « dominium apud hominum communitatem, quamdiu tamen non usurparentur legitimo modo ab aliquo privato [4] » ; consequens etiam est, praeter occupa-

---

[1] Enc. *Quod Apostolici*.
[2] Enc. *Rerum Novarum* ; S. Thom. II. II. q. 66 art. 2.
[3] Op. cit. p. 1, q. 2, n. 22. Cfr. Suar. *De Legibus*, l. 2, c. 14, n. 16-18.
[4] C. de Lugo, d. 8, n. 6. Quare Suarez, l. c. n. 16, ait non ita a natura conferri proprietatem dominiorum, sicut « contulit communiter domi-

tionem qua res aliqua cedit privato viro, esse occupationem qua civitas potestatem jurisdictionis obtinet in suum territorium. Potestas illa designatur nomine *alti dominii*. Cfr. sect. 3.

209. Quod si denique *quaesieris*, **utrum necne**, facta appropriatione, **res exterior dicatur mea sicut meae sunt vires corporis et operationes**, id arbitramur negandum. Nam nec physice, seu facto, jugiter permanet rei apprehensio seu detentio, sicut mihi adhaerent membra mea ; nec umquam negligi potest intentio naturae qua res ista ad commune pertinebat generis humani patrimonium, dum ab initio ad meum bonum erant ordinatae corporis et animi vires ac facultates. Non ergo plane eodem modo ad haec et ad illa respicit personae inviolata facultas (cfr. 5 et 7).

210. ***Quaeres*** **de locis SS. Patrum** quos pro se afferre solent proprietatis osores [1]. Nam de sententiis Novi Testamenti diximus supra, n. **183**, 1.

R. 1. Imprimis animadvertant adversarii se, proferendo hujusmodi locos, nihil proficere, donec illud effecerint, e sententia Patrum esse ut privatae possessiones damnentur tamquam injustae, vel saltem ut lege sanciatur aliqua positiva communismi ratio.

Verum, tantum abest ut illud probare possint, ut potius ipsis aperte repugnent ii etiam Patres ex quibus solent promere argumenta.

Ita, ex PP. Graecis, S. Basilius, *in illud Lucae*, « *Destruam,* etc. » n. 7, aperte fatetur a Deo esse accepta bona et quidem inaequaliter : « Num injustus Deus, sic ait, qui nobis inaequaliter vitae necessaria distribuit ? Cur, divite te, ille pauper est ? An non utique, ut et tu benignitatis

---

nium rerum omnium » ; et ipse, n 17, ita intelligit communitatem rerum esse de jure naturae *negative*, quia « natura non praeceperit, ut res semper essent communes ».

[1] De ista quaestione, utiliter adiri possunt R P. Cathrein, *Moralphilosophie*, l. c. § 5 ; R. P. Capart, op. cit., p. 485-501 ; R. D. De Gryse, *Revue sociale catholique*, 1897, p. 74 et sqq.

ac fidelis dispensationis mercedem accipias, et ille magnis patientiae praemiis donetur ? » (Migne, t. 31, col. 275.)

S. Joannes Chrysostomus, in *Homilia 2ª ad populum Antiochenum,* n. 5, inquirit cur non dixerit Apostolus « Divitibus praesentis saeculi praecipe non ditescere, praecipe depauperari, praecipe quae habent exhaurire » ; ipse autem, priori quam dat rationi hanc alteram subjungit : « Praeterea novit non prohibitas esse divitias, si quis eis usus fuerit ut oportet. Sicut enim dixi : non mala res vinum, sed mala ebrietas : ita non mala res divitiae, sed mala avaritia, mala cupiditas.... Etenim illi diviti ad se accedenti et de vita loquenti non dixit (Christus) : Vade vende omnia quae habes ; sed, hoc praetermittens, de aliis ipsum mandatis instruxit. Deinde postquam ille ipsum invitavit, inquiens : *Quid adhuc mihi deest ?* Neque tum simpliciter dixit, vende omnia quae habes ; sed, *si vis perfectus esse, vende quae habes :* hoc in tuo pono arbitrio, te electionis dominum constituo, non in necessitatem traho. » (Migne, t. 49, col. 40).

Ex latinis vero, S. Ambrosius, *De Nabuthe Jezrael,* c. 16, n. 67, divitias a Deo acceptas profitetur, dicendo : « Ab ipso accepistis quod offeratis ; ipsius est quod ei solvitis. Dona, inquit, mea et data mea, hoc est, quae offertis mihi dona, data sunt mea ; ego dedi vobis atque donavi ».

S. vero Augustinus satis mentem suam aperit in l. 1 *De haeresibus,* ubi reprobat haeresim Apostolicorum. (Cfr. n. 180, 3.) Non minus clara sunt haec pauca, decerpta ex sermone 113, « De justis laboribus facite eleemosynam ; ex eo quod recte habetis, date. »

Denique, S. Hieronymus, commentando Ezechielis c. 46, ℣. 16 et sqq., dum exponit regimen quo parentes intactam debebant relinquere filiis acceptam a majoribus possessionem, quid tacite agnoscit nisi proprietatem privatam ? (Migne, PP. lat. 1 ser. t. 25, col. 463.)

2. Etiam apud recentioris aetatis concionatores, apud eos v. gr. qui in Gallia floruere in sec. XVII, occurrunt

similes locutiones, cum tamen nemo sit qui ad aliquod socialistarum genus eos ascribere sit ausus. « Les pauvres s'élèveront contre vous pour vous demander compte de leur revenu dissipé. Vous avez aliéné le fonds sur lequel la Providence divine leur avait assigné leur vie, ce fonds c'était votre superflu.... Vous avez tué ceux que vous n'avez pas assistés. » Ita ipse Bossuet [1]. Atque, nostra etiam aetate, mens SS. Patrum qui severius dixerunt videtur spirare in scriptis episcopi moguntini Ketteler [2].

Neque hoc est praetereundum, Patres istos quorum dicta aliquam speciem habent difficultatis [3] ejusdem esse aetatis : scripsisse videlicet, sive in Oriente, sive in Occidente, post medium seculum IV ad vigesimum vel trigesimum annum seculi V. Sunt enim S. Basilius (331-379) ejusque aequalis, S. Gregorius Nyssenus ; S. Joannes Chrysostomus (347-407) ; S. Ambrosius (340-397) ; S. Hieronymus (340 ?-420) ; S. Augustinus (354-430). — Haec res nobis claro est indicio quod sancti isti doctores ex adjunctis suae aetatis, potius quam ex doctrina Christi per se sumpta, causam habuere cur divites insectarentur omnique vi verborum inculcarent animis audientium evangelicum fraternae caritatis documentum.

4. Ut nunc paucis declaremus quo generatim revera spectent eorum rationes : ne minime quidem cogitant de ordine aliquo ubi evanescerent vel ad aequalitatem redigerentur privatae possessiones ; sed, moti durissima avaritia ac tenacitate opulentorum, interdum etiam magna calamitate [4], divitibus iis qui per fas et nefas amplificandis studebant fortunis [5] et pauperibus detrectabant subsidia,

[1] *Sermon sur nos dispositions à l'égard des nécessités de la vie* (4e dim. de Carême, 2d p.).

[2] Cfr. *Œuvres choisies*, edita a Decurtins.

[3] Hoc addimus, quia nullum facessit negotium S. Gregorius Magnus ; nec magis serio afferri potest contra nos aliquis ejus locus quam verba pseudo-Clementis quae inconsulte allegantur a de Laveleye, *Le Socialisme contemporain*, p. XVII.

[4] Ita S. Basilius in *homilia dicta tempore famis et siccitatis*.

[5] Cfr. v. gr. Bardenhewer, *Patrologie*, p. 44,46.

ante oculos proponunt quam gravi teneantur officio opitulandi egenis. In quem finem praesertim appellant manifestam intentionem Dei a quo, supremo domino, bona sua acceperunt divites, communemque destinationem bonorum in hominum utilitatem, qua fit ut nec a sola natura, nec umquam perfecte et absolute res exteriores fiant alicujus propriae. Quandoque, conferendo suam aetatem cum primorum christianorum moribus, desiderio afficiuntur beatissimae caritatis qua multitudinis cor unum erat atque anima una, non sine votis ut perfectior fidelium virtus restitueret aurea ista Ecclesiae tempora.

Divites ceterum quos lacessunt maxime sunt viri pecuniosi, quorum, tunc praesertim, male audiebant opes, originis saepe parum fidae, et fetus vel fontes iniquae usurae et plurimorum vitiorum. Ita v. gr. apud S. Ambrosium, *De Nabuthe Iezraelita,* usque recurrit vox pecuniarum; S. vero Chrysostomus, cum sibi objiceret fortunas Abrahae et Job, « Illorum divitiae, reponit, non aurum vel argentum vel aedificia erant, sed pecora tantum. » *(In epist. 1 ad Timotheum*, c. 3, homil. XII. Migne, t. 62, col. 562). Hanc SS. Patrum mentem, qualem eam exposuimus, faciemus lectoribus manifestam, si eorum oculis subjecerimus praecipuos qui in hac re adhibentur locos. Hos ergo restat ut perpendamus.

1) Afferunt ut S. CLEMENTIS romani, locum *Decreti Gratiani* c. 2, C. XII, q. 1. « Communis enim usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit. Sed *per iniquitatem* alius hoc suum esse dixit, et alius illud, et sic inter mortales facta divisio est. » —

Jamvero : a) In se spectatus, locus iste depromptus est ex collectione pseudo-isidoriana, ubi reperitur in postrema quinque epistolarum decretalium quas falsarius iste assignat S. Clementi. Quae spuriae literae confectae sunt ex antiquioribus documentis, nominatim ex iis quae *Clementina* (Κλημέντια) vocari consueverunt[1]. Re vera, verba de bonorum communione leguntur in decimo libro *Recognitionum* — quod opus est scriptoris ignoti tertii seculi, — sed ibi in ore ponuntur senis alicujus pagani interrogantis de veri-

[1] Cfr. v. gr. Bardenhewer, *Patrologie*, p. 44, 46.

tate. Quare incunctanter subdit, « in omnibus autem (quae communia debent esse amicorum) sunt sine dubio et conjuges [1] » (Migne, series graeca, t. I, col. 506 et 1422).

b) In decreto Gratiani, canon iste vitam communem suadet clericis. Memorata autem verba ita jamdiu intellecta sunt, ut significarent privatas possessiones consecutas esse *ex peccato originali*, sine quo, secundum votum vel praeceptum naturae, usus rerum fuisset communis.

2. S. Basilius [2] : a) *Homilia in illud Lucae*, « *Destruam*, etc. » haec habet n. 7 : « Cur, inquit (dives), injuriam facio, dum retineo mea atque conservo? Quae, dic mihi, tua sunt? unde accepta in vitam intulisti? Velut si quis, loco in theatro ad spectandum occupato, deinde ingredientes arceat, id sui ipsius proprium ratus, quod ad omnium communem usum proponitur : tales ejusmodi quoque divites sunt.... Non avarus es tu? non spoliator es tu ? Qui scilicet quae dispensanda recepisti, ea tibimet ipsi propria facias. Furne vocabitur qui veste indutum denudarit, qui vero nudum non induerit, id si agere potest, alia quadam appellatione dignus est? Esurientis est panis, quem tu detines : nudi est pallium, quod tu in arca servas : discalceati calceus, qui apud te putrescit : indigentis argentum, quod defossum habes. Quare quot hominibus dare potes, tot infers injuriam. » (Migne t. 31, col. 275, 278.)

b) *Homilia dicta tempore famis et siccitatis*, n. 8. « Unum eumdemque montem depascuntur greges ovium ; equi quamplurimi in uno eodemque campo pastum capessunt. Denique singula (bruta animantia) necessarii pabuli usum ita sibi invicem cedunt. Nos contra, quae sunt communia, abdimus in sinu : ea quae multorum sunt, possidemus soli. » (Migne, t. 31, col. 326.) —

Ad a) :

α) In priore loco, S. Basilius mere invehitur oratorie in divites qui non facile communicant bona, sibi inutilia, quae propter omnes sunt facta. Etenim, haec statim antea leguntur : « Participes frumenti facias fratres : quod cras putrescet id hodie trade egenti. Avaritiae pessimum genus est, ne ea quidem quae corrumpuntur egenis erogare ; » — Arguit ex intentione Dei conferentis bona (verba dedimus hic supra, 1) ; — Provocat, n. 8, ad ultimum judicium : « Non enim illic raptor accusatur, sed qui bona non communicavit, condemnatur ; » — Vera est ea quam proponit similitudo theatri, si intelligas de divite qui, opibus quamtumvis affluens, nullum usum facit liberalem suorum bonorum.

---

[1] Locus ille, omissus a pseudo-Isidoro, nihilominus mendose irrepsit in corpus juris canonici, unde a correctoribus romanis est expunctus.

[2] In proferendis Patribus graecis, utemur plerumque latina interpretatione qualis exstat apud Migne, nisi tamen pauca quaedam visa sint corrigenda quo mens SS. Doctorum melius apparere posset.

β) Ob communem bonorum destinationem, lato sensu est pauperi injuriosus et spoliator qui res sibi inutiles non tribuit indigenti ad quem, lato illo sensu, dici possunt pertinere. Sed, cum nusquam S. Doctor facultatem faciat pauperi ea auferendi, profecto huic nullum tribuit jus stricte tale.

Ad b) In extremis istis rebus, fideles divitiores variis argumentis adhortatur, ut largitionibus suis imitentur christianos qui Hierosolymis communem sectati sunt vitam. Rursus autem solius destinationis affirmat communitatem. Tantum autem abest ut neget jura possessionis, ut eodem loco postulet ut saltem aequas partes constituant voluptati et animae: prosperitati praesenti et vitae caelesti, quas exhibet ut duas filias divitum: « Omnia si nolis dare praestantiori (filiae), partire certe ex aequo inter incontinentem filiam et pudicam. »

3) S. Gregorius Nyssenus, *De pauperibus amandis, oratio* 1: « Ne omnia vestra existimetis. Sit pars etiam pauperum et amicorum Dei. Illius enim vere sunt omnia, quem habemus Patrem. Nos autem fratres sumus. Quapropter ut genere conjunctos ac fratres melius quidem ac justius erat aequis partibus sortiri haereditatem. Verum, quando id factum est, et unus vel alter maximam sumpserint partem, aliquam saltem reliqui accipiant. » (Migne, t. 46, col. 466.) —

Revera, quid aliud ibi occurrit, nisi pulcherrima impulsio ad eleemosynas, qui scopus est totius orationis? Nihil autem mirum, quod magis aequabilem desideraverit bonorum partitionem, cum et tunc parum felix esset ista partitio, et nunc non desint qui similia vota proferant, quamvis a socialismo sint maxime alieni.

4) S. Joannis Chrysostomi non pauca declaranda sunt verba.

a) *In epist.* 1 *ad Corinthios, Homil.* 10, c. 3, videtur ipsam proprietatem pecuniarum negare, cum dicat n. 3: « Anima tua non est tua, et quomodo pecuniae tuae erunt?... Ne itaque dicas, mea impendo, meis fruor. Non tuis certe, sed alienis... Communia enim sunt et ad conservum etiam tuum pertinent, quemadmodum et sol communis est, et aer et terra aliaque omnia. » (Migne, t. 61, col. 86.) —

Re nulla difficultas. α) Jam eo quod animae utitur exemplo, satis indicat se mere negare nobis dominium absolutum quod est solius Dei, ut ipse statim dixerat: « Omnia quippe Dei sunt. »

β) Negat etiam pecunias esse nostras tantum, quia destinatione sunt omnium: « Tibi pro fratribus tradita sunt. »

γ) Negat eas vere fore nostras, nisi eas communicaverimus cum fratribus. Si enim bona ista fuerimus largiti, nobis vere proderunt, secus nos perdent. « Nescis nos ideo accusandos fore quod illis male usi simus... Aliena fiunt tua, si ceteris distribueris; sin autem in teipsum largiter insumpseris, tunc tua fiunt aliena. » Quod dein evolvit c. 4. Eumdem modum argumentandi adhibet in concione 2ª *De Lazaro*, c. 5 (Migne, t. 48, col. 988).

δ) Hunc finem persequitur, ut cohibeat fastum et arrogantiam sacerdotum.

ε) Quod attinet ad ultima verba, ubi pecuniae dicuntur communes sicut sol et aër, non vult S. Doctor perfecte aequare inter se utramque communitatis rationem. Ipse enim, in *Homil.* 2ª *ad populum antiochenum*, c. 6, n. 7, ex professo docet pecunias non esse communes sicut aërem, aquam, etc.; subjungitque causam : « Nisi enim communia forent haec necessaria, divites fortasse, solita usi avaritia, pauperes suffocassent: quod enim de divitiis faciunt, multo magis de illis rebus fecissent. Rursum autem si divitiae fuissent communes et aeque omnibus propositae, eleemosynae occasio sublata esset et opportunitas benevolentiae. »

b) *De Lazaro, concio* 2ª, c. 4 ; « Et hoc rapina est, non impartiri de tuis facultatibus. » (Migne, t. 48, col. 987.) —

Explicatio est in promptu : rapina est quia datae sunt ut partirentur indigentibus.

c) *In epist.* 1 *ad Timotheum, hom.* 12, c. 4 ; « Dic enim mihi, undenam tu dives es? A quonam accepisti? undenam ille alter? Ab avo, inquies, a patre. Poterisne generis serie ascendens ostendere possessionem illam esse justam? Non utique possis; sed necesse est ejus initium et radicem *ex injustitia* prodiisse. Quare? Quia Deus a principio non hunc divitem, illum pauperem fecit; neque, cum crearet, huic quidem thesauros multos ostendit, illum vero hac investigatione privavit, sed eamdem omnibus colendam terram dimisit. Undenam ergo, cum communis illa sit, tu quidem tam multa jugera habes, proximus vero tuus ne glebam quidem? » (Migne, t. 62, col. 562, 563.) —

In loco isto, paulo difficiliore, solvit S. Doctor dubitationem. C. 2, contenderat vacuis eos manibus discedere qui in secularibus negotiis collocassent suam spem. Hanc propositionem impugnat adversarius : « Quid porro, inquies, eos qui plurima adepti sunt non vides, qui minimis laboribus magna consecuti sunt bona? » Respondet ipse, ea non esse numero bonorum habenda. Causam subjicit, quia divitiae istae avare congestae et sine labore quaesitae fructus sint iniquitatis. Cum enim, ita fere arguit, dominii acquirendi aequabilem omnibus hominibus Deus fecisset conditionem, non potuit fieri ut sine injustitia unus ad immensas divitias prae altero inope perveniret. Quam, ni fallimur, propositionem S Doctor intelligit de iis quae plerumque, non tamen sine exceptione, contingunt. Utcumque tamen de istis judicavit, ex dictis jam patet ipsum longe abesse ut de proprietate aliquid novi statuere velit. Nec omnes carpit divitias verbis, sed eas quae minimo comparantur labore et auro vel praediis continentur. Defendit enim divitias Abrahae et Job, quod pecoribus constiterint; fortunas autem Jacobi, quod « accepta laborum mercede » dives sit factus. Ipse ceterum, quasi conscius se rem aliquanto amplificasse, dicta sua corrigit,

cum, post locum qui nobis opponitur, subdat : « Verum haec non accuratius scrutabor : justae sint tandem divitiae et omni rapina liberae ; neque enim tu in culpa es si pater rapuerit : habes quidem illa ex rapina, sed tu non rapuisti. Ceterum concedatur etiam illum non rapuisse sed ex terra emissum aurum habere : quid ergo ? Ideone bonae divitiae sunt ? Minime. »

d) *In Acta Apostolorum, Homil. VII*, c. 2 et 3, laudibus effert communitatem bonorum quae viguit inter christianos hierosolomytanos. « Haec angelica respublica erat, quod nihil dixerint sibi proprium. Hinc radix malorum excisa est... Pecunias abjiciebant et gaudebant, magnaque erat laetitia... Non erat frigidum illud verbum, *meum* et *tuum*. Ideo exsultatio in mensa erat. » (Migne, t. 60, col. 66.) —

S. J. Chrysostomus haec omnia in laudem vertit simplicitatis, virtutis quam, c. 3, « divitiarum contemptu et jejunio, et perseverantia in oratione longe majorem » praedicat. Quod autem, contemnendo divitias et voluptatem, sanctamque colendo simplicitatem felicius vivatur quam sectando terrena studia, res est quam quotidie experiuntur religiosi, qui tamen nullatenus sperant fore ut ipsorum ratio vivendi fiat aliquando communis inter homines. Nihil ergo inde proficiunt socialistae.

e) Ast videtur S. Doctor ejus fuisse sententiae, ut hujusmodi communitas universe foret commendanda et suadenda. Ita enim habet *Hom. XI in Acta Apostolorum*, c. 3 (locum, pro suo momento, exscribimus) :

« Hoc si nunc quoque fieret, cum majore viveremus voluptate, et divites et pauperes : nec majorem pauperibus quam divitibus hoc voluptatem afferret. Et si placet, hoc sermone describamus, et hinc voluptatem decerpamus, quandoquidem operibus non vultis. Maxime enim ex iis quae tunc facta sunt apparet quod vendentes non fiebant egeni sed et pauperibus procurabant divitias.

Ceterum hoc nunc sermone describamus : omnes sua omnia vendant et in medium afferant — sermone dico : nemo turbetur, neque dives neque pauper. — Quantum putas auri collectum iri ?

Ego sane conjicio (neque enim id certo dici potest), si singuli et singulae suas omnes hic pecunias evacuarent, si agros, possessiones, domos traderent (servos non dixerim, neque enim tunc erant, sed fortasse liberos dimittebant) : forsan decies centena milia librarum auri congregarentur ; imo et bis terve amplius. Dic enim mihi, civitas nostra (Constantinopolis) quantum promiscuorum hominum numerum continet ? quot vultis esse christianos ? vultisne esse centum milia, ceteros autem esse gentiles et Judaeos ? quot milia auri congregarentur ? quantus vero est pauperum numerus ? Non puto esse supra quinquaginta milia. Hos vero quotidie alere, quanta copia foret ?

Certe communi cibo et communi mensa ipsis apposita, non

tantum puto impensam fore. — Quid ergo, inquies, facturi essemus, insumptis opibus? Tune putas posse unquam insumi? annon millies abundantior gratia Dei esset? annon largiter gratia Dei effunderetur? Quid vero? annon terram efficeremus caelum? si id in tribus milibus et quinque milibus ita refulsit, et nullus eorum de paupertate conquestus est, quanto magis in tanta multitudine? Quis etiam externorum non aliquid adjiceret? Ut autem ostendam, sic distractas opes magis expendi, et paupertatis causam esse : sit domus ubi sint pueri decem et uxor et vir ; et illa quidem lanificio incumbat, ille vero de foris proventus afferat : dic mihi an illi in communi viventes et in una domo, an dispersi plus impendant? Palam est quod dispersi. Nam si dispergantur decem filii, decem domibus erit opus, decem mensis, decem famulis, ceteroque simuliter proventu. Quid vero, ubi servorum est multitudo? Nonne ideo omnes eamdem mensam habent, ne major fiat impensa? Nam divisio semper imminutionem parit ; concordia et consensus augmentum. Sic in monasteriis nunc vivitur, ut olim fideles vivebant. Quis fame mortuus est? quis non copioso cibo pastus est? Nunc tamen hoc magis timent homines, quam in pelagus immensum incidere. Si autem hujus rei periculum fecissemus, rem audacter aggrederemur. Quantam putas illam esse gratiam? Si enim tunc, cum nullus pene esset fidelis, sed solum tria et quinque millia ; cum omnes, qui in mundo erant, hostes essent ; cum nusquam consolationem exspectarent, tam strenue rem aggressi sunt : quanto magis nunc, cum per Dei gratiam per totum orbem fideles sunt? quis jam superesset gentilis? Nullus, opinor ; ita omnes attraxissemus et nobis conciliassemus. Ceterum, si hac via progrediamur, per Deum spero sic rem futuram esse. Obtemperate mihi tantum, et per ordinem rem bene geremus : et si Deus vitam dederit, credo fore ut cito in hanc vitae rationem nos ingeramus. » (Migne, t. 60, col. 97, 98) —

Ad hunc locum, utut speciosum, haec pauca tamen sufficere arbitramur : α) Mere verbo, non cogitans tunc de exsecutione (τῳ λόγῳ λέγω) ita disserit, ita ut nullam, sive diviti sive pauperi causam praebeat variae commotionis : summum aliquam fovet spem similis vitae rationis quandoque inducendae. β) Voluntariae abdicationis celebrat commoda. Quid autem de legali spoliatione senserit plane tacet. γ) Eam laudat communitatis rationem qua fructus in medium afferantur, minime ipsae artes communiter gerantur ; videturque potissimum intendisse mensas communes struendas pauperibus, ita ut has tantum fortasse postremis verbis tecte designaverit [1]. δ) Bonis tantum christianis hanc communitatem suadere audet, eamque satis mirabilem existimat cujus

[1] Similia habet *Homil.* 66 in *Matthaeum*, n. 3, 4 (Migne, t. 57 col. 630, 631).

specie ipsi infideles ad Christum sint perducendi. ε) Observat tamen fideles esse parum propensos ad vitam communem (« Hoc magis timent, etc. »). — Etiamsi hoc loco S. Doctor nimia fortasse spe sit delusus, quantum tamen distet a collectivismi placitis, post haec, nemo non videt.

5) Ex PP. latinis nullus est qui durius alloquatur divites quam S. Ambrosius.

a) *De Nabuthe Jezraëlita, liber unus :* α) cap. 1, n. 2. « In commune omnibus divitibus atque pauperibus terra fundata est, cur vobis jus proprium soli, divites, arrogatis ? (Migne, 1ª ser. t. 14, col. 731). — β) C. 12, n. 53 : « Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non divitum : sed pauciores qui non utuntur suo quam qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum. » (Migne, ibidem, col. 747.) —

Verum, fac observes divites quos hic lacessit, in principio istius libri, ab ipso sic describi : « Quis enim divitum non quotidie concupiscit aliena ? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem aviti ruris eliminare finibus? Quis contentus est suo ? Cujus non inflammat divitis animum vicina possessio ? » — Quare, ad α) locus est sic interpretandus : Dum natura omnes invitavit ad possidendam terram, cur, vos divites, pauperiorem injuste vexando, hoc suum jus ipsi facitis frustraneum, quasi vobis solis facta sit terra. — Ad β) mere ibi premitur communis destinatio rerum, et inculcatur praeceptum eleemosynae. Inde, ex communi destinatione, dives, faciendo eleemosynam, dicitur reddere suum pauperi, eam vero negando, usurpare solus quod est commune. Dein legenti totum numerum 53 constat ibi mere commendari misericordiam in pauperes, prius ut utilem diviti : « Tibi proficit... quidquid inopi contuleris, tibi crescit quidquid minueris... Misericordia seminatur in terra, in coelo germinat ; » — dein ut necessariam ex praecepto divino : « Qui non patitur te dicere *cras dabo,* quomodo patitur dicere *non dabo* » et cetera verba quae nobis opponebantur.

b) *In psalmum CXVIII, expositio sermo* 8us, n. 22 : « Conformis tuus injustum est ut non adjuvetur a socio ; quum praesertim Dominus Deus noster terram hanc possessionem omnium hominum voluerit esse communem, et fructus omnibus ministrare : sed avaritia possessionum jura distribuit. Justum est igitur ut si aliquid tibi privatum vindicas, quod generi humano, immo omnibus animantibus in commune est, saltem aliquid inde pauperibus aspergas : ut quibus juris tui consortium debes, his alimenta non deneges » (Migne, 1ª ser. t. 15, col. 1304, 1305). —

Locus est priore paulo obscurior. Directe tamen non affirmatur nisi communitas destinationis. Sin aliter, quomodo dixisset « omnibus animantibus » (nec solis hominibus) illud in commune colla-

tum. Dein, cum aliunde sit in comperto a S. Ambrosio agnosci privata jura possessionum, ita intelligi potest : Deus voluit terram omnibus fructus fundere. Huic intentioni magis respondet per se communis terrae possessio. Avaritia autem distribuit bona. Sed simul communis ista avaritia fecit hoc regimen necessarium ideoque a Deo sancitum, quasi ex secunda intentione, perspectis hominum vitiis.

N. B. Sunt qui existiment *avaritia* satis immediate designari peccatum originale. Ita R. D. Dignant, innixus l. 5, c. 1, n. 2 *In Hexameron* et l. 1, c. 28, n. 137 *De officiis*.

c) *De officiis ministrorum*, l. 1, c. 2[a], n. 132. « Deinde formam justitiae putaverunt (philosophi ethnici), ut quis communia, i. e. publica pro publicis haberet, privata pro privatis. Ne hoc quidem secundum naturam, natura enim omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari jussit omnia ut pastus omnibus communis esset, et terra foret omnium communis possessio. Natura igitur jus commune generavit, usurpatio jus fecit privatum. » (Migne, 1[a] ser. t. 16, col. 62.)

His S. Doctor praeludit sententiae Suarezii, *De Legibus*, l. 2, c. 14, n. 16 : « Similiter (natura) contulit communiter dominium rerum omnium et consequenter unicuique dedit potestatem utendi : proprietatem autem dominiorum non ita contulit. » Aliis verbis, non ita est a natura privata proprietas; et quod ad jus in actu secundo, actio rem usurpandi (sumendi) fecit jus privatum. Sic exponimus S. Ambrosium. Utrum autem haec actio pro recta an illicita habeat, ipse non significat. Ideo, dum antea, n. 131, de altero placito philosophorum — « ut nemini quis noceat nisi lacessitus injuria, » — dixerat illud « Evangelii auctoritate vacuari », de nostro, omissa hujusmodi censura, mere contendit istud non esse a natura ; christianam autem justitiae formam exigere ut non absolute (etiam quod ad usum) privata pro privatis haberentur, sed alii aliis auxiliarentur pecunia sicut aliis dotibus. Cfr. et n. 135.

N. B. De vi quam hoc loco habeat verbum « usurpatio » quaedam est controversia, cum RR. PP. Capart et Cathrein intelligant occupationem, R. D. De Gryse injustam usurpationem : quatenus pagana proprietatis ratio non foret licita.

6) S. Augustinus. a) *Enarratio in Ps.* 131, n. 5 : « Propter illa quae singuli possidemus, exsistunt lites, inimicitiae, discordiae, bella inter homines, tumultus, dissensiones adversum se, scandala, peccata, iniquitates, homicidia. Propter quae ? Propter ipsa quae singuli possidemus. Numquid propter ista quae communiter possidemus, litigamus ? Aerem istum communiter ducimus, solem communiter omnes videmus. » (Migne, 1[a] ser., t. 37, col. 1718). —

Nihil aliud docet hic S. Doctor, nisi necessitatem charitatis, ut, secundum votum Psalmistae, locus inveniatur Domino. Huic

charitati contrarius est amor privati boni, neglecto communi. Sicut Apostolus conquestus est : « Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Jesu-Christi, » plane eodem modo S. Augustinus, l. c : « Multi autem ne faciant locum Domino, sua quaerunt, sua diligunt, potestate sua gaudent, privatum suum concupiscunt. » Inde apparet, lites et discordias, minus, de sententia S. Doctoris, ex possessionibus quam ex cupiditatibus privatis quarum sunt occasio esse repetendas, secundum illud : « Unde lites et bella in vobis, nonne ex cupiditatibus vestris? » Quare, illud rogat christianos ut « non de privato sed de communi » gaudeant. Hoc excellenter fecere fideles qui Hierosolymis suas res in medium attulerunt. Non ideo tamen idem exigitur ab omnibus vel universe fieri posse pronunciatur. Unde ipse S. Augustinus ita concludit, n. 6 : « Abstineamus ergo nos fratres, a possessione rei privatae ; aut ab amore si non possumus a possessione; et facimus locum Domino... Quid est, fac illi locum? Noli amare teipsum, illum ama. »

b) *Enarrat. in Ps.* 147, n. 12. « Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienae possidentur, cum superflua possidentur. » (Migne ser. 1, t. 37, col. 1922.) —

Locus iste, hortando ad misericordiam, mere inculcat praeceptum erogandi « superfluum » quod, ob hanc destinationem, dicitur, lato sensu, alienum.

c) *In S. Joannem, tract. VI*, n. 25 : « Unde quisque possidet quod possidet? Nonne jure humano? Nam jure divino *Domini est terra et plenitudo ejus*.... Tolle jura imperatorum, et quis audet dicere mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut domus haec mea est. » (Migne, 1ª ser., t. 35, col. 1437.) Locus iste exscriptus est a Gratiano, D. 8, c. 1, sub hac rubrica : « Jure divino omnia sunt communia omnibus : jure vero constitutionis, hoc meum, illud alterius est. » —

Conquerentibus Donatistis ereptas sibi villas ecclesiasticas a catholicis, S. Augustinus respondet ipsos nullo jure has sibi vindicare posse. Non jure humano, cum imperatores praeceperint ut haeretici « nihil nomine Ecclaesiae audeant possidere ; » nec jure divino, cum defecerint a Christo. « Quomodo jure divino possideat qui dicit, Ego baptizo ; cum dicat columba, Hic est qui baptizat, etc. ? » (Ibidem n. 26). Haec est genuina loci notio.

Quod ad ipsa verba nunc quae allegantur, respondemus cum Lessio, c. 5, n. 10, non agi de remota causa dominii sed de proxima, qua res huic potius quam illi addicitur. Haec autem addictio fieri debet modo aliquo probato lege humana, praesertim quum de persona morali sit sermo. « Nam nostis fratres mei, inquit, quia villae istae non sunt Augustini » sed pertinent ad columbam (Ecclesiam).

Gratiani autem rubrica intelligenda est de illa dispositione divina qua, ante legitimam appropriationem, res ad commune

aliquod generis humani dominium ostendimus pertinere. Ceterum, si quis existimet Gratianum verbis transivisse modum, per nos licet, cum collectio ista, quantumvis magnae auctoritatis, non tamen in numero authenticorum fontium juris haberi queat.

7. S. Hieronymus, *Epist.* 120, *ad Hedibiam,* c. 1. « Plurimos fac tibi amicos de iniquo mammona... Pulchre dixit de *iniquo;* omnes enim divitiae de iniquitate descendunt, et nisi alter perdiderit, alter non potest invenire. Unde et illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima : Dives aut iniquus, aut iniqui haeres [1]... Si plus habes, quam tibi ad victum vestitumque necessarium est, illud eroga, et in illo debitricem esse te noveris. » (Migne, 1ª ser., t. 22, col. 984, 985.) —

Priore qui proponitur loco nihil aliud vult S. Doctor nisi magnas divitias plerumque — suo praesertim tempore — fructus esse avaritiae et rapinae. Cfr. S. Ambrosium, *De Nabuthe Jezraëlita,* loco supra citato; et ipsum S. Hieronymum, *In Isaïam,* c. 33, ỳ. 13, seqq. « Nisi enim cum alterius damno et malo, pecuniae alteri non coacervantur; » et *In Michaeam,* c. 6, ỳ. 10, seq. « Omnes divitiae, dum alios spoliant, iniquitate pariuntur [2]. » Quod deinde confirmat proverbio ubi, ut solitum est, simpliciter enunciatur id quod communiter contingit: « Dives aut iniquus aut iniqui haeres. »

N. B. Bis, in aliis operibus, repetit sententiam istam, quae erat in proverbio : *Commentar. in Jeremiam* c. 5, ỳ. 26, ubi clare, sicut in nostro loco, malos carpit divites; et *Comment in Habacuc,* c. 3, ỳ. 7, ubi vox latius supponit pro iniquitate omni (voluptate, luxuria, avaritia) qua divites fiunt hospites mali daemonis. Nulla ergo occurrit hic specialis difficultas.

Altero autem loco, observandum est, S. Hieronymum literas istas scribere ad viduam christianam quae de perfectione ipsum interrogaverat. « Interrogas, quomodo perfectus esse quis possit et quomodo vivere debeat vidua, quae sine liberis relicta est » (cap. 1º). Potius ergo de perfectionis debito ipse loquitur; de perfecta renunciatione seculo. Ipse statim aperit mentem suam. « Alioqui licet libere vel dare, vel non dare. Quamquam ei qui cupiat esse perfectus, praesens paupertas futuris divitiis compensanda sit. »

8. S. Gregorius Magnus, *Regulae pastoralis liber,* p. 3, c. 21; « Incassum se innocentes putant qui commune Dei munus sibi privatum vindicant etc. » (Migne, 1ª ser., t. 77, col. 87). —

Nimis aperte ibi mere condemnat inhumanam tenacitatem divitum, quos aliter dicit monendos atque eos qui eleemosynas faciunt, sed aliena rapiunt. Non est ergo cur hic haereamus.

[1] De isto effato et mente S. Hieronymi, cfras. *Collationes brugenses,* II. 339 sqq.

[2] Loci isti indicantur in memorato articulo Brugensi.

ARTICULUS II. De causa proxima proprietatis, seu facto primigenio

§ 1. *Notiones et sententiae*

211. Quid causa proxima proprietatis. Privatae possessionis, cujus causam *remotam* probavimus esse ipsam *naturam*, causa *proxima* habetur quilibet *titulus* quo immediate innititur jus possidendi aliquam rem. Dum ergo causa remota efficit ut bona dividantur, proximae haec est vis propria, ut res pertineat ad hunc potius quam ad illum ; per eam igitur facultas « abstracta » res habendi redigitur in actum « concretum ». Verbo, causa proxima est *modus acquirendi*.

Age vero, inter modos acquirendi, alii sunt *originales*, alii *derivati*. Hi continent formalem successionem in alterius jus ; per illos, res quasi-primo possidetur. *Quasi-primo*, inquam : versari enim possunt modi originales non solum circa rem nullius, sed etiam circa rem quam alter fecit suam nec ultro dimisit. Ita rem alterius acquirere potes *usucapione*, qui modus tamen originalibus annumeratur.

Successio ipsa est tum *universalis* tum *particularis*, prout spectat ad rem particularem vel ad patrimonium sive totum sive ejus partem.

Alii sunt *naturales*, qui ab ipsa natura jam vim habent, ut *occupatio* vera, *donatio ;* alii *civiles*, qui ex lege manant, *thesaurus* et, ut plerique autumant, *praescriptio ;* — nisi velis appellare *civiles* quotquot modi acquirendi lege positiva sunt agniti. Plerumque modus acquirendi est ex parte tantum civilis, quatenus lege sancitur quaedam ratio modi naturalis, ut puta occupationis, cui per se aliquid deesset ad gignendam proprietatem. Observes, quum lege possis rem tenere vel quasi primus vel quasi ab altero acceptam *(successio ex lege)*, legem annumerari, pro variis causis, in titulis originalibus vel derivatis.

212. Quid hic quaeratur. Porro in praesentia non

agitur de quolibet titulo proprietatis, sed de eo qui *per se,* sine altero adminiculo quod fortasse una operetur, idoneus sit tribuendae proprietati *rei nullius.* Qui titulus, cum in initio formaliter vel virtualiter adhiberi debuerit ut res ex communibus fierent propriae, *facti primigenii* nomine notari consuevit.

213. Sententiae. Factum istud primigenium plerique ponunt in *occupatione.* His suffragari videntur *scholastici* doctores.

Ita Molina : « Naturalis actus, quo et ante rerum divisionem comparanda foret earum possessio, et post earum divisionem comparatur una cum dominio earum rerum quae antea nullius erant, est earum apprehensio corporalis. » (Tr. 2, d. 12, n. 4.) Lessio et C. de Lugo satis est *vera* apprehensio. Cfr. Lessii c. 3, n. 46 ; C. de Lugo d. 2, n. 63.

Occupatio autem describitur, « apprehensio rerum nullius, animo eas habendi ut proprias ». Ita R. P. Cathrein, qui tamen, praeter apprehensionem qua declaratur voluntas rem ut propriam habendi, requirit *signationem,* « i. e. signum notum et perdurans ipsi rei occupatae impressum ». Quod ideo exigit, ut « pateat apprehensionem esse factam ad stabilem possessionem ». Cfr. Cathrein, *Philosophia moralis,* 374.

Aliis, contra, *oeconomistis* praesertim — quibus iste titulus videtur per se nimis incertus et infinitus, praesertim si ad res immobiles transferatur, factum istud consistit in *labore,* seu opera in rem impensa. Non eos tamen nunc cogitamus qui negant quidquam praeter fructus laboris ab homine pro suis vindicari posse : cum his enim et aliis qui de origine proprietatis minus recte sentiunt jam non habemus negotium ; — sed eos dicimus qui existimant tum demum, si opera fuerit impensa, rem satis cuipiam devinciri ut hujus fiat propria. Operam autem intelligunt non eam solum qua res formam mutat ac figuram, verum etiam qua vere apprehenditur seu occupatur [1]. Dum sic loquuntur,

[1] Ita Cauwès, *Cours d'économie politique* III, 959-963. Le travail peut être un « travail d'appropriation ou d'occupation véritable, aussi bien que de transformation ultérieure ».

valde videntur accedere ad priorem sententiam, nisi quod *formaliter* ab hac differunt. Priores enim utebantur apprehensione *qua tali*, ita ut labor ipsis esset aliqua ratio rem apprehendendi; posteriores solius laboris habent rationem, ipsisque apprehensio est quaedam ratio laboris.

Praeterea, virtus ista quae inesse dicitur occupationi vario modo declarari potest. Istud formaliter attendit, ut vidimus, R. P. Cathrein, quod occupatio sit *signum* accommodatum ad manifestandam voluntatem habendi rem tamquam propriam. Hoc modo, ex sola efficacia voluntatis humanae repetitur rerum acquisitio: homo per voluntatem facit res suas, modo (ea lege, conditione ut) hanc satis faciat manifestam. Nescio an haec explicatio omnibus probetur, et annon potius alii jungendam ducant cum voluntate efficaciam alicujus facti exterioris ; de quo facto iterum quaeri possit utrum sit labor an aliud quidpiam afficiens rem ipsam. Quod certum est, Carrière [1] exigit, praeter manifestatam voluntatem, « ut res potestati physice subjiciatur... constituatur sub potestate nostra », et, inter recentiores theologos qui nostrum argumentum versarunt, non desunt qui ita priorem tuentur sententiam ut posteriori etiam aliquid videantur satis aperte concedere. Haec habet Ill. D. Waffelaert : « Videtur tamen... requiri aliqua industria et labor in occupatione ut sit proprietas permanens in ipsam substantiam rerum occupatarum » (*De justitia*, I, 33) ; R. P. Holdain apprehensioni, quam fictam seu legalem vocat, ascribit mere initium tituli perficiendi per occupationem veram, qua rei nova inditur utilitas [2].

His potius astipulamur, ut statim ostendemus.

---

[1] *De justitia et jure*, n. 286.

[2] « L'occupation fictive est le premier titre et l'occupation réelle son complément. » (Op. cit. c. 7. p. 82-84.)

§ 2. *Formula et argumenta sententiae*

THESIS XIV

Factum primigenium, quo stabilis rei nullius acquiritur proprietas, est occupatio vera, qua res, pro natura sua, demonstratur alicujus subjecta potestati vel ipsi serviens ad usum qui nequit esse communis.

214. I. **Status quaestionis.** Post dicta, satis erit EXPLICARE VOCES.

Factum primigenium, seu titulus qui, natura prior, privatis possessionibus originem *per se* dedit. *Per se* dicimus, quia incidere possunt causae appropriationis factae ex potestate jurisdictionis vel ex communi consensu. Ita hodie fit non raro ut terrae incultae decreto principis assignentur privatis, atque, antiquissimis jam temporibus, Abraham et Loth pactione quadam inter se partiti sunt pascua. Haec et similia a nobis omitti possunt. Id unum nobis est probandum, occupationem, qualem descripsimus, *per se* esse idoneam ad conferendam privatam possessionem, ita ut nisi, *per accidens,* artificiosus aliquis modus intercesserit, prima proprietas rerum quae sunt nullius ducenda sit ab occupatione. Atque hac, non alia ratione, dicimus eam factum primigenium.

Quo stabilis... acquiritur proprietas. De illa enim agitur proprietate quae non amittitur simul cum physica apprehensione vel usu, sed est de se perpetua. Praesens enim usus rei quae ad neminem pertinet, etiam in statu naturae integrae, fuisset inviolatus, atque etiam nunc sancitur de rebus quae mansere communes. Sic capiendo sole, colligenda pluvia nemo me impedire potest. Cujus rei ratio est quia qui hujusmodi usum obturbaret vim inferret ipsi personae utenti. Cfr. **195**.

Rei nullius : Quae conditio est negative requisita ad efficientiam occupationis.

Est occupatio. Hanc describemus : rei exterioris, cujus

est commercium, apprehensionem vel dominationem ex animo illam habendi pro sua.

Vera, quam distinguimus a *ficta*, quae non raro dicitur *legalis*, quia ex lege non autem per se reputatur idonea conferendo dominio. Qualis autem sit vera occupatio, statim subjungimus :

Qua res, pro natura sua, demonstratur alicujus subjecta potestati vel ipsi serviens ad usum qui nequit esse communis. Hac igitur nota definimus veram occupationem, quod rei imprimat signum conspicuum, quo vel appareat alicui subjecta : — ut si claudatur arcâ, ponatur in propria domo vel in loco jam alicujus proprio, sive inter res ab aliquo possessas : — vel utilitatem ei praebeat quae nequit esse communis. Puta me soli alicujus mirari situm, per solum istud transire, in eo reponere membra : hujusmodi utilitates aeque, sine meo incommodo, alter, sive simul tempore sive postquam abiero, ex re capere potest. Si autem extricare coepero agrum, parare ipsum culturae, sementem in eo facere vel exstruere aedificium : patet usus istos non posse ad plures pertinere, sed quod uni tribueris de altero fore detractum. Jam vero contendimus rem, eo quod posteriorem usum feceris, minime vero quod priorem, vere a te occupari.

Pro natura sua. Modi enim res subjugandi vel eis utendi sunt ad rerum naturam accommodandi. Aliter dominamur mansuetis animalibus, aliter feris ; aliter utimur prato, aliter silva caedua.

Quod ad NOTAM THESIS, satis constat nullam theologicam censuram aliis affingi posse sententiis. Doctrinam tradimus quae nobis placet et plerisque probatur.

215. II. **Probatio.**

1m Arg. Factum primigenium illud est quod cum voluntate proprietatis proximam conjungit materiam istius juris.

A. Hujusmodi est sola occupatio vera, qualem eam descripsimus.

E. Haec occupatio est factum primigenium.

Ad majorem. Ut enim a jure « abstracto » seu hypothetico, pervenias ad jus « concretum » seu absolutum, hinc, praeter voluntatem fruendi jure, nihil aliud requiri potest quam ut in his verseris adjunctis, has impleveris conditiones quae juri suum praebeant proximum fundamentum et rationem : in his rebus moralibus, non minus quam in physicis, forma juris e potentia materiae proxime aptae educitur ; illinc vero, quamdiu proxima non habeatur materia, ad formae inductionem aliquid desiderari satis est manifestum.

Ad minorem. De *animo domini* et de *signo conspicuo* quod postulamus, nec ambigitur, nec ambigi potest. Jus enim cui nuntium dare valemus a nostra voluntate initium ducit. Quod autem signo conspicuo constare debeant ea quibus jus fundatur, patet consideranti esse de juris essentia ut homines officio teneantur observantiae : qui tamen conspicuis tantum signis notitiam juris habere valent. Juris autem per se ignoti nullum est observantiae officium.

Restat ergo ut ostendamus : 1) reliquis quas dedimus notis perfici proximam juris proprietatis materiam ; 2) hanc materiam non exhiberi placitis eorum qui nobis adversantur.

1) Sumas varias juris proprietatis notiones quae vulgo sunt receptae. Ex his jus illud apparet esse inviolata praevalentia alicujus personae quod ad aliquam rem ; jus exclusive dominandi alicui rei, excludendi alios utilitate cujus copia non est infinita ; facultas referendi rem ad propriam utilitatem, propter peculiarem connexionem quam res tecum habet [1] ; jus quod personae competit habendi quod ad ipsam ordinatur [2] ; prolatio aliqua dominii quod habemus in usum nostrarum facultatum.

A. Notionibus istis exhibetur jus proprietatis ut concretum aliquo facto tanquam *materia proxima* ejusque sanctione qua violari prohibetur tanquam *forma.* Factum

[1] C. de Lugo, d. 1, n. 5, 6.
[2] S. Thomae I. q. 21, art. 1.

autem est vel rei servitus vel usus non communis.

E. Dominatio revera exercita, utilitas capta quae ab aliis simul haberi nequeat sunt, ut dicebamus, materia proxima juris proprietatis.

Probatur haec altera minor. Inviolata praevalentia dicit praevalentiam facto exsistentem proindeque ipsius rei servitutem, atque ejus sanctionem; *jus exclusive dominandi, excludendi alios utilitate,* continet, ut materiam, dominatum et usum rei; clarius adhuc *facultas cujus causa dicitur esse peculiaris connexio rei cum persona,* exigit connexionem similis rationis ac facultas, quae proin in hoc sit ut vere res in proprium alicujus bonum cedat; *jus habendi quod ad te ordinatur* dicit factam jam ordinationem; denique facultates, membra nobiscum sunt a natura conjuncta ita ut nobis vere serviant et sint obnoxia: ut ergo *simile* obtineamus *jus* in res exteriores, oportet ut prius eodem modo eas nobis faciamus obnoxias.

Apposite Molina: « Facultas seu jus perfecte disponendi est effectus dominii.... Efficitur.... ut ratio juris relationem dominii ea ratione consequatur, quod unusquisque facultatem habeat... disponendi perfecte de re aliqua, quod illa sit sua, ipseque dominus sit illius [1]; » Lessius: « Dominium ex parte rei dicit subjectionem rei et veluti servitutem qua domino est obstricta [2]; » et C. de Lugo: « Quod (jus) nascitur ex connexione ipsa quam habemus cum aliqua re » d. 2 n. 3. Cfr. etiam Van Gestel, *De justitia et lege civili,* VIII, p. 26.

2) Quod adversarii habent pro facto primigenio non exhibet illam materiam proximam.

Alii enim indicant *legem* vel *pactum.* Sed proprietas est societate civili proindeque lege antiquior, et sine lege vel pacto sancitur a natura.

Alii innituntur *occupatione* ut haec *manifestat voluntatem*

[1] Tr. 2 d. 3, n. 5.
[2] C. 3, n. 11.

habendi. Sed non videmus, cur tunc idem obtineri nequeat altera voluntatis manifestatione, aeque solemni vel etiam solemnior, ut quae fieret per edictum publicum. Praeterea, per hujusmodi occupationem posset aliquis fere sine ulla opera immensas acquirere terras. Neve dicas ipsum lege prohibitum iri. Quid enim si versemur extra civilem societatem? Denique voluntas etiam manifestissima aliquam acquirendi rem, per se nihil circa rem ipsam operatur. Quaenam ergo vis in ea inesse possit ad rem alicui stabili vinculo devinciendam, nullo pacto apparet.

Nec felicius alii ipsum *laborem* statuunt factum primigenium. Nam, vel operam intelligunt eam qua res speciem mutat: et quo titulo tunc multae res quae de se a natura sunt nostris usibus aptatae [1] privatum ingredientur dominium; vel ea jam contenti sunt opera quae omni occupatione continetur: et quid tunc formaliter praestet labor, non probatur. Atque, in universum loquendo, sui quemque laboris fructum acquirere non ambigitur; sed praeterea ex labore nihil *formaliter* concludi potest. Quare ipsi qui laborem pro titulo habent, si de ratione cur ita judicent interrogentur, non possint arguere nisi ex connexione quae per laborem inducitur inter rem et artificem: ita ut tandem aliquando alteram formaliter appellent causam.

2m Arg. Factum primigenium tale esse debet quod satis connectat rem exteriorem cum particulari persona, ut res illa, praeter destinationem communem qua generi humano addicitur, alteram recipiat qua huic particulari personae appareat esse addicta.

A. Praeter legem, quae nequit esse titulus universalis, hujusmodi factum est sola occupatio qualem eam definivimus. *E.*

Ad maj. Donec enim hanc specialem habuerit destinationem, non est cur magis ad unum quam ad alterum dicatur pertinere.

---

[1] Cogites fructus, animalia, aurum casu inventum, etc.

Ad mm. 1) *Occupatio vera est hujusmodi factum.* Undenam enim habemus res exteriores esse factas propter genus humanum et posse proprias fieri nisi quod verum admittunt hominum dominatum iisque utiles esse valent? Quod si res « potentia » sunt eorum qui valent eas sibi subjicere et in propriam adhibere utilitatem, « actu » incipient esse illius cujus potestati vere subduntur vel cujus utilitatibus et commodis actu serviunt.

2) Excepta *lege*, quae nequit generaliter valere, occupatio est *sola* hujusmodi factum. Nam *pactum* distribuendi rem communem familiae vel tribus, ponit hanc jam communiter a familia vel a tribu possideri. De qua communi proprietate quaeritur quomodo exorta fuerit. — *Occupatio quae mere manifestet voluntatem* nihil mutat rei habitudinem; nec immerito contra eam arguitur, quod sit minus definita vastaeque regionis inutilem permittat usurpationem. — *Labor* denique materialiter idoneus est inducendae huic destinationi: formaliter tamen non prodest, nisi quia modus est rem sibi subjiciendi vel in usus proprios convertendi.

216. III. Difficultates.

1. Oportet ut a primo momento quo quis rem coeperit occupare, jam juris praesidio alios prohibere valeat, qui velint ejus turbare possessionem. *E.*, ab illo jam momento, sine occupatione quae vera dicitur, erit dominus rei.

R. Dist. antec. Oportet ut alicujus juris praesidio jam fruatur, *C.*; oportet ut proprietatis praesidio protegatur, *N.*

Jus quo protegitur est ipsum jus res proprias faciendi, quod postulat ut pacifice queant homines res ad se ordinare. Ante tamen factam ordinationem, dominium stabile non erit acquisitum.

2. Occupatio vera est aliquis labor. *E.* Labori ascribi potest appropriatio. Quod si fieri potest, melius labori ascribetur, cum titulus iste sit omnibus magis acceptus. Ita fere D. Cauwès, III, 961-963.

R. Transm. antec. Dist. conseq.: E. appropriatio ascribi potest labori vel materialiter vel formaliter sumpto, *C.* vel *transm.*; formaliter sumpto, *N. conseq.*

§ 3. *Doctrinae supplementa*

I. *COROLLARIA.*

217. De Venatione et Piscatu, quibus occupantur ferae et pisces.

1) Ex dictis consequitur, feras et pisces eo formaliter acquiri quod proprie capti sunt vel moraliter capti judicantur, quia, v. gr. ob angustum circuitum vel stagnum quo includuntur, facile apprehendi possunt. Non ergo satis est ad comparandum eorum dominium, quod sint vel commorentur in terra tua. Imo nec septis quibus ita continentur ut ea nequeant evadere fiunt ferae tuae, si nihilominus ex loci magnitudine existimantur suae permissae naturali libertati. In quam conclusionem satis consentiunt theologi, ita ut inde confirmetur nostra de occupatione sententia. Cfr. Molinam, d. 41, n. 11.

2) Jus tamen venandi per se pertinet ad dominum agri. In quo jure potest, vel ipse vel alius cui jus transtulit, ex illicita aliorum venatione accipere damnum quod restitutione est compensandum. Perinde est dicendum de jure piscandi.

3) Solent praeterea leges cavere ne quibusdam anni temporibus venationes fiant, neve quovis instrumento pisces capiantur; ipsique juri venandi in proprio agro certas plerumque statuunt conditiones. Ipsa enim ferarum genera servata volunt, ne mox ii qui venatu delectantur suo fraudentur oblectamento. Nec hujusmodi ferre decreta prohibetur publica potestas.

Facile tamen fit ut in his modus excedatur. Nam nec temere cohibendum est jus venandi, piscandi, etc., quod concessum est a natura; nec nimiae poenae statuendae sunt privatis qui non permissi feram sibi caperent; nec legitimum nonnullorum privilegium aliis nimis damnosum esse potest. Quare, si ex multiplicatis feris agricultores patiantur detrimenta, oportet ut expedito instruantur jure ad congruam compensationem. Optime jam istud

versat argumentum Molina, qui utiliter conferetur d. 43, 45 et praesertim d. 46 n. 1, 2.

Recens in Belgio quaestio mota est de cuniculis, et merito agricultoribus concessa est major illos destruendi facultas, cui privata pactione derogari nequit [1].

4) Prohibitionibus istis venandi et piscandi, secluso damno privatorum, theologi non assignant nisi vim legum poenalium.

218. De venis carbonariis et aliis hujusmodi, jam autumat Lessius (c. 6, d. 12), eas per se pertinere ad dominum fundi in quo sunt; satisque consentiunt qui post ipsum scripserunt. Afferuntque rationem, quod dominus soli possideat imum fundum. Ita sane per leges statui potest [2]. Per se tamen, nostra quidem sententia, venae quae ima latent terra ita ut intacto solo exerceri possint, reipsa non occupantur quod in solo aedificaveris, vel agrum coeperis colere. Neque enim his dominaris neque aliquam hujusmodi utilitatem e re percipere cogitasti. Sunt ergo nullius, donec fodiendo terram effeceris ut ad istas venas tua pateat occupatio. Verum ex jure quod per se singulis competit possessoribus fodiendi suum agrum, et necessitate, ad utiliter instituenda metalla vel venas, ducendi suffossiones sub multis dominiis, facile manabunt multae contentiones et lites. Quare propriis legibus regi consuevit istud jus metallorum.

II. *SCHOLIA.*

219. Occupatio per alium. Actus isti quibus continetur occupatio fieri possunt sive per nosmetipsos sive etiam per alios qui nostro fecerint nomine.

220. Processus historicus proprietatis, qualis fuerit, non plane constat; **minime** tamen ad veritatem thesis **referre videtur.** Quod enim usu quodam jurisdictionis

[1] Cfr. Documenta Consilii supremi agriculturae, edita 1898, et legem 4 aprilis 1900 (*Moniteur*, 13 mai).

[2] « La propriété du sol emporte la propriété du dessus et du dessous. » Ita Cod. civ. Galliae, art. 552; sed jam minus absolute loquitur art. 905 Codicis Germaniae.

sua cuique in initio addicta fuerit terra, id minime aufert nativam vim occupationis. Quin imo, ex scholasticis, qui omnes adhaerent doctrinae de occupatione, non pauci simul agrorum divisionem ascribunt alicui ex primis patriarchis, utputa Noë. Vehementer autem decipitur D. Cauwès [1], cum existimat huic doctrinae repugnare quod primae possessiones fuerint communes alicui familiae : quasi altera sit ratio qua pauci communiter et qua unus solus rem aliquam faciant suam.

221. Qua ratione servetur proprietas. Haec est vis rationum quae stabilem postulant proprietatem, ut probent rem, quae vera occupatione coeperit ad aliquem pertinere, ipsius manere solo animo eam servandi, donec tamen facultas utendi non plene per se perierit. Quorsum enim proprietas, i. e. facultas inviolata utendi et disponendi aliqua re, ubi ipsa abierit utendi facultas ? Quare morte solvitur vinculum quo res cum domino conjungebatur ; quare etiam pro rebus nullius habendae sunt *ferae* quae pristinam recuperarunt libertatem et res ita amissae ut spes evanuerit eas inveniendi ; ac tum *confusione*, qua pecunia vel similis res ita misceatur alterius pecunia vel rebus, ut jam distingui non possit, tum *specificatione*, qua res genus penitus mutaverit (ut si ex marmore educatur statua) perit dominium in ipsa illarum rerum corpora, stante tamen, in eo ad quem pervenerint, personali obligatione sarciendi damnum pro lucro facto vel commissa culpa. Est enim *specificatio* confectio novae rei ex aliena materia. Non ita tamen convenit, materiam, facta specificatione, ad eum pertinere qui eam adhibuerit, soletque appositis legibus res magis definiri.

[1] Cfr. *Cours d'économie politique*, III. 961, 962. Imo thesim confirmat, dum scribit : « Jadis elle (l'occupation) a bien été l'origine de la propriété, mais non de la propriété individuelle. »

SECTIO II. *DE LEGE QUA SANCIUNTUR HEREDITATES ET TESTAMENTA*

Molina, Tr. 2, d. 124, n. 12; *Grotius*, *De jure belli et pacis*, l. 2, c. 6, § 14; c. 7, § 3; *Carrière*, *De justitia et jure*, n. 501-505; *De contractibus*, n. 497, 498; *Taparelli*, *Saggio teoretico*, etc. n. 778-780; *Marrès*, *De justitia*, l. 200; *Waffelaert*, *De justitia*, l. 265; *Cathrein*, *Moralphilosophie*, t. 2, p. 2, s. 1, l. 4, c. 5, art. 2; *Philosophia moralis*, n. 391-393, 395-403; *Castelein*, *Institutiones philosophiae moralis et socialis*, p. 309-312; *Aubry* et *Rau*, *Droit civil français*, t. 6, § 588.

ARTICULUS I. Notiones et sententiae

222. De alienatione bonorum in universum. 1. Nemo ambigit duorum, qui habiles sint, consensu fieri per se posse, ut jus in re ipsumque proprietatis dominium ab uno alteri tradatur, ita ut habeatur *successio* unius in alterius locum. Qua alienandi facultate Aristoteles ipsum definivit jus proprietatis [1].

Minus tamen nobis placet quorumdam explicatio, qui successionem istam exhibent ut concretam conditionata renunciatione unius et alterius acceptatione; ita ut donans, vendens vel cedens proprietatem sic foret animo comparatus: cedo mea possessione, si alter velit eam consequi; donatarius autem, vel emptor, suo assensu impositae legi seu conditioni satisfaceret: quibus duobus actibus absolveretur omnis juris translatio. Ita rem declarant J. D. Scot, in IV. sent. d. 15, q. 2, n. 11, Carrière, de contractibus, n. 497, et R. P. Cathrein: qui tunc ipsam donandi potestatem probant ex facultate dimittendi bona quae domino competit, et facultate possidendi quae homini est ingenita.

Sed si unus mere amittit possessionem, alter mere acquirit rem ab uno amissam, successio non habetur nisi materialis, qua unus venit post alterum, non autem ab altero formaliter jus suum mutuatur. Et re quidem vera donans tunc mere aufert obstaculum alteri quo valeat is, propriae voluntatis efficacia, rem quasi vacuam occupare. Quod si ita est, non apparet jam quomodo res in alterius potestatem pervenire possit sine vera occupatione qualem in superioris sectionis articulo 2° effecimus requisitam ut quis valeat propriae voluntatis virtute rem sibi comparare. Unde praeterea, ex ipsa lege naturae, vera opus foret traditione ad alienandas

---

[1] "Ορος.... τοῦ τε οἰκεῖον εἶναι,... ὅταν ἐφ' αὑτῷ ᾖ ἀπαλλοτριῶσαι: Definitio rei propria haec est, ut possis eam alienare (1. *Rhetoricorum* v. 7).

possessiones. Perficienda ergo est haec successionis declaratio ; atque in eo qui jure cedit suo ponenda est insuper formalis intentio in suum locum substituendi alterum qui, si annuerit, idem stricte jus continuare valet. Idque fit sine ullo intervallo, ita ut in hanc causam transferri possit dictum a philosophis de successione formarum : corruptio unius est generatio alterius.

Alienandi autem facultas eo probatur, quia sine rerum commercio et permutationibus homines non caperent ex jure proprietatis illas utilitates ob quas est a natura concessum. Et, sicut ab initio poterat aliquis alterius nomine peragere requisita ad veram rei occupationem et sic alteri rem acquirere, nihil repugnat quin postea quasi alterius causa velit facta ea quibus sibi comparavit rei possessionem, ita ut *eodem* nexu res huic alteri devinciatur quo priori possessori erat obstricta.

223. Quaestionis objectum et sententiae. Verum nunc non de omni successione agimus, sed de ea qua quis succedit in locum defuncti, sive ex testamento sive ab intestato ; de qua successione illud unum quaerimus, utrum lege humana positiva an etiam lege naturae valeat jus testamentorum et hereditatum. Rursus hic occurit sat magna sententiarum diversitas.

a) *Scholastici* doctores, quorum juvat uti praesidio, quaestionem silentio praetereunt. Molina tamen, qui rem sua jam aetate disputatam notat, de testamentis incunctanter, l. c., asseverat, « de jure gentium imo et naturali esse quod unusquisque possit de suis bonis disponere per ultimam voluntatem. »

b) *Recentiorum* varii sunt opinandi modi, qui sic commode distribui possunt :

Alii utramque hereditatem, generice sumptam, non quod ad varias determinationes modi et gradus quas constat e civili jure esse repetendas, ascribunt ipsi juri naturali. Ita R. D. Marrès, Ill. D. Waffelaert, ll. cc.

Alii, quod bona obtingant familiae, id judicant a natura constitutum; quod autem possis testamento bona alteri donare, id, naturae votis consentaneum, positivum ducunt legis institutum. Ita Taparelli, e S. J. videtur l. c. opinari.

Alii plures, plane inversa ratione, pro naturali habent facultatem testandi, non autem aditionem hereditatis ab intestato. In quorum numero reponimus eos qui, ut Grotius, d'Annibale et R. P. Cathrein, deficiente testamento, bona addicunt familiae ex conjectura voluntatis defuncti. Hi enim reapse omnem succes-

sionem naturalem redigunt ad testamentum formale vel praesumptum.

Carrière, *De contractibus*, n. 498, cum non paucis canonistis, v. gr. Schmalzgrueber in l. 3, t. 26, n. 3-9, potius negat jus naturale testamentorum; quod ad successionem ab intestato, aliquid simul deferendum autumat legi naturali et positivae, ita ut concludat, « Jus successionis fundamentum quidem habere in lege naturali, huicque tribui posse, quoad substantiam, ejus originem; sed successionum ordinem, seu totius illius materiae determinationem, e jure civili quoque repeti posse. » (*De justitia et jure*, n. 503, 5°.)

Legistae non pauci, post Montesquieu [1], omnia tribuunt juri positivo.

Hactenus tamen plerique, ne dicam omnes, utramque successionem ita existimabant naturae votis congruere et ad bonum commune esse necessariam, ut de abolendo isto jure ne minime quidem cogitarent.

Diversimode sentiunt socialistae, qui isti juri infensi, omnem velint suppressam hereditatem, nisi forte eam excipias qua bona ad descendentes deveniunt.

c) Ad nos denique quod attinet, hoc certo putamus ipsa natura sancitum ut esset in societate « disjunctive » vel jus testamentorum vel hereditas ab intestato ; imo nobis videtur ultra progrediendum, et statuendum utramque hereditatem, quod ad substantiam, ab ipsa proficisci natura.

N. B. In ipso jure civili, opinionum illa varietas observari potest. Ita in jure romano, proindeque in Galliae partibus quae jure scripto utebantur *(pays de droit écrit)*, omnia referebantur ad testamentum, quo deficiente, lex conabatur e sententia defuncti bona heredibus partiri ; contra, in partibus quae consuetudinibus regebantur *(pays de droit coutumier)*, potius ingenitum sanciebatur jus familiae, ita ut ipsis non esset verus heres nisi quem Deus constituisset. Inde proverbia ista : *Hcredes gignuntur non scribuntur ; — Solus Deus heredes facere potest, non homo.*

---

[1] *Esprit des lois*, l. 26, c. 6.

ARTICULUS II. Conclusio et supplementa doctrinae

THESIS XV

Ipsa natura exigit ut inter homines sit aliquod jus hereditatum.

Imo, quod ad substantiam, a natura sanciri videntur tum jus testandi, tum hereditaria successio familiae.

Regulariter tamen jus familiae subjectum est defuncti voluntati.

224. I. **Status quaestionis.** 1. INTENTIO THESIS est ut accurate definiatur qua ratione haereditates sint a natura profectae. Quare tripartitam fecimus conclusionem. Prima parte, quam pro certa habemus, contendimus naturae deberi quod sint hereditates aliquae. Secunda, eorum astipulamur sententiae qui ab ipsa natura repetunt tum efficaciam ultimae voluntatis tum etiam jus proprium familiae succedendi in bona defuncti. Ne tamen unum jus videatur alteri contrarium, in tertia parte efficere conabimur praecipuum esse jus testandi, ita ut regulariter elidere valeat jus familiae ad capiendam hereditatem.

2. EXPONUNTUR VOCES.

Ipsa natura exigit, proindeque sua firmat institutum auctoritate.

Ut inter homines, inita societate politica et jam antea, statim atque hominum multitudine postulata est rerum divisio.

Sit aliquod jus hereditatum ; id est, ut sint qui, sive ex testamento sive ab intestato, bona personae defunctae pro suis vindicare valeant. Magis rem non definimus ; nec utrumque hic postulamus simul modum adeundi hereditatem, sed alterutro contenti sumus.

Imo : plura jam contendimus ;

Quod ad substantiam, nam plerasque determinationes positiva lege esse supplendas nemo ambigit.

A natura sanciri videntur ; haec ergo ut minus comperta proponimus.

Tum jus testandi. Testamentum late sumimus pro omni actu quo ultima significatur cujuspiam voluntas de suis bonis sive omnibus sive nonnullis tantum, ita ut nulla, vivo testatore, requiratur acceptatio, et omnis effectus differatur in primum post mortem momentum. Haec ceterum definitio satis quadrat ad rationem testamenti in jure gallico, art. 895, et germanico, art. 1937; dum in jure romano non erat testamentum nisi quis heredem institueret sententiamque dixisset de universo patrimonio.

Tum hereditaria successio familiae. Ipsi ergo familiae agnoscimus titulum adeundi hereditatem qui, immediate profectus a natura, nulla nititur defuncti praesumpta voluntate. Familiam porro intelligimus omnes sanguine vel conjugio arte conjunctas personas, eas praesertim qui in eadem domo per se degere solent.

Regulariter tamen, nisi lex positiva vel strictum obstet officium pietatis.

Jus familiae subjectum est defuncti voluntati. Quamvis ergo familiae obtingant bona sine voluntate etiam praesumpta domini, contraria tamen hujus voluntate, saltem quae legitime sit enunciata, fit ut bona ad alios perveniant vel in alium adhibenda sint finem.

II. **Probatio.**

225. A. Primae Partis. *Ipsa natura exigit ut inter homines sit aliquod jus hereditatum.* Etenim:

1) Suppresso hoc jure, bona defunctorum vel derelicta haberentur vel addicerentur fisco. Prius autem, ut facile apparet, stare nequit cum pace et ordine quae natura vult in civitate florere. Infinitae enim forent cupiditates, contentiones, rixae et turbae de bonis istis vacuis occupandis. Quare solet etiam hodierna lex cavere ut res immobiles quae domino careant, fisco reapse cedant. Alterum vero, quo bona ista addicerentur fisco, mox induceret bonorum communionem qualem, in hodiernis hominum adjunctis, ostendimus ab ipsa natura improbari. Restat ergo ut natura sanciat aliquod jus hereditatum.

2) Praeterea haec ratio proprietatis sancitur a natura quae stimulos addat industriae, laboris ac parsimoniae. Si autem nulla spes foret relinquendi bona propinquis, quis non videt futurum esse ut haec studia penitus languescerent ?

226. B. Secundae Partis. *Imo, quod ad substantium, a natura sanciri videntur :*

1. *Tum jus testandi.*

Ut enim eleganter arguit R. P. Cathrein, suppresso hoc jure, non satis obtineretur bonum tum personae proprium, tum familiae, tum societatis, propter quod proprietas est necessaria. Singulae personae, eae saltem quae liberis carent, vix excitarentur ad vitam frugi et operosam ; — opportuna accommodatio bonorum ad familiae necessitates variam postulat patrimonii distributionem : haec quomodo peragetur nisi parentum testamento, quo simul salutaris habetur auctoritatis paternae confirmatio et sanctio ; — inter dispensationes denique quibus divitiae toti prosunt societati, non infimum locum occupant impensae in finem pium vel generalis utilitatis : quis autem voluerit pecunias in hujusmodi usus seponere, nisi testamento definire possit in quodnam opus sint erogandae.

2. *Tum hereditaria successio familiae.*

Quamvis enim ultro demus R. P. Cathrein, vivo patre familias, ne filios quidem per se aliquam patrimonii partem simul cum patre possidere, naturalem tamen contendimus haberi surrogationem familiae in locum defuncti domini. Etenim :

a) In filiis saltem, quis non videt naturalem continuationem personae parentum ? Haec autem personae continuatio nonne per se exigit continuationem possessionum quae, ut subsecivum quid, personae erant adjunctae ?

b) Quin imo, consanguinei omnes repraesentant communem auctorem. Inde familiae unitas moralis, communio quaedam laudis et invidiae, culpae et meritorum. Nonne

ex his pronum est concludere aliquam patrimonii societatem qua fit ut, mortuo domino, bona ista addicenda sint iisdem personis consanguineis, quae, domino vivo erant, ut omnes fatentur, ex illis ante extraneos juvandae ?

c) Ex uno patrimonio aluntur qui maxime cum domino sunt conjuncti ; eodemque fit potissimum ut familia certum obtineat ordinem in societate. His positis : α) Suppressa hereditaria successione, nisi testamento ipsi sit cautum, familia per se e statu suo dejiceretur. Hujusmodi autem ruinae, ut bono communi adversae, nequeunt per se oriri ex ordine a natura constituto. Talem igitur postulat natura ordinem in quo sit hereditaria familia successio. β) Nequit dici ista bona, defuncto domino, non magis referri ad familiam quam ad extraneos. Actu enim erant familiae usui. Servituti autem rei inferioris respondet aliqua praevalentia personae, aliquis animus dominandi, qui, ex imperfecto, transit, mortuo domino, in absolutum. Paucis, ita jam bona erant conjuncta cum familia, ut nihil obesse videretur verae occupationi nisi praevalens jus illius a quo proprie possidebantur. Remoto hoc obstaculo, ipsa occupatio perficitur. Unde hoc etiam modo argui possit :

Ob factas rationes, ex personali cum domino conjunctione et ipso bonorum usu, in comperto est a natura res ita esse dispositas ut familiae competeret quaedam praevalentia quod ad istud patrimonium, ut bona quibus constat jam speciali vinculo ad ipsam referrentur.

Quae cum ita sint, mortuo domino intestato :

Vel abrumpendum est illud vinculum, vel confirmandum est concessa successione.

Prius autem est violentum, repugnat alicui ordini jam constituto, et bono adversatur communi. Restat ergo ut alterum sit a natura institutum. Hoc ceterum eo confirmatur quod usus rei vacuae, cum animo domini soleat esse titulus juris (n. 215). Si ergo, mortuo domino, proxime conjuncti velint habere res ipsis jam aliqua ratione addictas, id satis erit ut perfecto potiantur titulo juris.

227. C. Tertiae Partis. *Regulariter tamen jus familiae subjectum est domini voluntati.*

Id facile constat, quia is cujus res sunt propriae integram per se servat facultatem disponendi de bonis suis. Constat etiam quia, probato naturali jure testandi, ut jurium contrarietas vitetur oportet ut unum alterum elidere valeat. Fortius autem prima specie dignoscitur jus illius ad quem res pertinebant, prae jure eorum qui manifesto non obtinebant nisi secundum locum.

Diximus tamen *regulariter*. Ob causam enim boni communis pleraeque leges civiles hanc facultatem exheredandi certis circumscripsere limitibus ; et jam ipsa natura sinit personas conjunctissimas ea sibi seponere bona quae stricto pietatis officio sibi relinqui debuissent. Cfr. dicta, n. 150-154.

228. III. **Difficultates.**

1. *Jus hereditatum* est nimis indeterminatum quam ut possit dici institutum naturale.

R. Nego. Etsi enim perfecta ejus ordinatio habetur tantum per legem positivam, per se jam, ante legem satis definitum est jus testandi, atque etiam jus filiorum obeundi hereditatem parentum. Secundum istas determinationes jam exsistere potest illud jus, et etiam debet ante constitutam societatem. Nam, etiamsi staret tantum prima thesis pars, ita argui posset. Institutum quod sub ratione generica sancitur a natura, viget revera, deficiente ordinatione positiva, eo solo modo qui per se haberi potest. *A.* Deficiente ordinatione positiva, vigere non potest sine attributione testamentaria. *E.* Deficiente ordinatione positiva, hoc certe modo viget jus hereditatum.

2. *Jus* saltem *testandi* non est *per se* necessarium nec proinde a natura institutum. Satis enim *per se* est ut quis possit donare mortis causa, h. e. donationem facere quae morte tantum firmetur.

R. Dist. assertum : jus testandi non est ita necessariam ut in pluribus casibus, modo saltem imperfecto, suppleri nequeat per donationem inter vivos, praesertim quae fiat mortis causa, *C.;* non est in ullo casu simpliciter necessarium, nec per se requiritur ut sit completum jus proprietatis, *N.*

Ob hoc effugium, fatemur aliquid fortasse desiderari ad perfectam probationem 2ae partis, quam ideo fecimus tantum magis verisimilem. Observes tamen donationem mortis causa exigere ut ante mortem dandi voluntas manifestetur atque ut alter adsit qui donationem accipiat. Haec quandoque fieri non posse et per se esse plena incommodis et periculo, quod ad pacem familiae et libertatem donatoris, quis non videt? Et dum multis his malis occurri potest facili testamenti remedio, num existimandum est a natura non fuisse concessam nisi mancam illam et periculosam disponendi rationem?

3. Juri proprietatis, quale instituit natura, repugnat ut fiat translatio juris sine simultaneo consensu cedentis et acceptantis; ut valeat juris cessio quae perficitur tantum postquam quis rei dominium amisit. *A.* Testamento transfertur, ceditur jus tantum post mortem, i. e. quum ipsa voluntas et potestas simul abierint. (Ita Zallinger et plures.) *R. D. maj.* Juri proprietatis naturali repugnat hujusmodi translatio et cessio, si fiat modo peculiari qui directe ostenditur necessarius ad finem proprietatis privatae, *N.* si fiat aliis modis ordinariis, *C.*

Hac quasi praecipua ratione utuntur adversarii, fatendumque est plures nostrae sententiae patronos satis aestuare in illa solvenda. Namque alii respondent consensum testatoris perseverare moraliter et quod ad juris effectum [1]; alii jam ante mortem adesse acceptationem ex praesumptione [2]: quae bina responsa parum videntur valida; et priore, ni fallimur, petitur principium. Leibnitz ad ipsam confugit animi immortalitatem ut ostendat efficaciam voluntatis etiam post mortem! Verum, si morte aufertur dominium, immortalitas ista non est ad rem.

Difficultate tamen ista fatemur nos parum moveri. Compertum enim habemus hanc a natura tribui potestatem in bona quae ad finem proprietatis est requisita. Quare si in testamentum non conveniunt communes conditiones alienationum, nobis erit alienatio sui generis quam nihilominus ob factas rationes lex naturalis sancire potuit et debuit (Cfr. R. P. Lehmkuhl, 1. 1144); nec ducimus operae pretium esse ut subtiliter viam quaeramus ascribendi hanc speciem ad genus ordinariae jurium translationis. Quod fidentiore proferimus animo, quia, si bene attendamus, omnis alienandi facultas eadem innititur ratione. Ideo enim concessa dicitur a natura, ut finis privatae proprietatis efficaciter attingi valeat. Cfr. n. **222.**

[1] R. P. Cathrein, *Philosophia moralis*, 403.
[2] R. P. Castelein, *Institutiones philosophiae moralis et socialis*, p. 310.

4. Jus testandi naturale pugnat cum jure naturali successionis ab intestato. *E.* Haec simul non possunt a natura manare.

R. Nisi unum jus alteri subjaceret, *C.* secus, *N.*

IV. *SCHOLIA.*

229. De recta ordinatione civili. Praeter ea quae natura per se instituit in hac re, plura sunt quae vult a lege positiva sancita. Quare in his quae statuit non liberum gerit legislator humanus arbitrium, sed satagere debet ut votis naturae congruant sua decreta.

230. Incommoda sententiae Grotii. Qui successionem ab intestato non explicant nisi ex conjectura voluntatis defuncti, non videntur agnoscere posse aliquam ab ipsa natura reservari portionem quae alendae familiae sit tribuenda. Atque in re tanti momenti satisne esse potest conjectura saepe incerta ac fallax? Cfr. Taparelli, n. 779.

SECTIO III. *DE LIMITIBUS JURIS PROPRIETATIS*

S. Thomas, II. II. q. 66, art. 7; **Molina**, Tr. 2, d. 3, et d. 20. n. 14; **Lessius**, c. 3, d. 2, et c. 12, d. 12; **C. de Lugo**, d. 2, s. 1; d 6, n. 6; d. 16, s. 7; **Carrière**, *De justitia et jure*, n. 17, 18, 269, 368, 1015-1020; **Ketteler**, *Sermons sur la théorie catholique de la propriété (Œuvres choisies)*, édit. Decurtins; **Waffelaert**, *De justitia*, I, 35, 40, 41; II, 188-195; **Cathrein**, *Moralphilosophie*, t. 2, p. 2, s. 1, l. 4, a. 3, § 4; *Philosophia moralis* p. 253, 380; **Castelein**, *Institutiones philosophiae moralis et socialis*, p. 313-322: **Pottier**, *De jure et justitia*, d. 1, s. 2, c. 6, n. 25-29, 57-63, d. 3, n. 99-116.

ARTICULUS I. **Notiones et conclusio.**

THESIS XVI

Perfectum jus dominii iis, iisque tantum, limitibus proprie dictis circumscribitur, quos ponit jus alienae necessitatis et jurisdictio qua publica potestas jus privati dominii valet, non quidem abolere vel directe coangustare, sed indirecte attingere quantum ad bonum commune exigitur.

231. I. **Status quaestionis.** 1. THESIS OPPORTUNITAS, INTENTIO ET PARTES. Postquam se inclinare coepit fortuna liberalismi, fuere qui, optima certe mente, ipsas impugna-

rint hactenus traditas juris proprietatis notiones et definitiones, quas ad principia evangelica de bonis exterioribus minime quadrare autumabant. Inde non leves interdum subortae sunt controversiae, quae, de verbis potius quam de rebus, vitari potuissent si pacato animo servata fuisset proprietas dicendi. Quare operae pretium erit in genuinam inquirere juris dominii perfecti descriptionem christianamque ejusdem juris rationem. Ad quam metam, post ea quae dicta sunt, facile pertingemus, si ipsos definiverimus limites quibus jus istud circumscribitur. Haec est ergo praesentis thesis *intentio*.

Tres autem sunt *partes* nostrae argumentationis, quae ita se excipiunt ut primo efficiamus binos esse limites, dein non esse alios, tum demum genuinas Status partes in hac re definire conemur. Postremum istud difficultate non caret. Quamvis enim omnes qui recte opinantur sentiant non omnia licere publicae potestati, claram tamen formulam tradere omittunt unde legitimus imperii usus a tyrannica privatorum provinciae usurpatione discerni queat.

2. SENTENTIAE. Auctoritate nitimur *Scholasticorum*, qui, dum jus illud definiunt, non alios limites commemorant quam qui legibus sunt statuti. Namque in aliis locis aperte tuentur jus illud quod vocamus alienae necessitatis.

Recentiores nonnulli ita opinari videntur quasi praeterea limitibus humanae proprietatis accensenda forent tum jus supremi dominii quod Deo competit, tum officia caritatis in proximum. Ita illustris episcopus moguntinus, Ketteler, l. c. p. 8, et R. D. Pottier, l. c. n. 61. Qui si presse loqui voluerint, nobis videntur frustra deserere verborum proprietatem. Patet tamen minime a nobis negari sive divina jura, sive officia caritatis.

Rationi qua vim legum positivarum declaramus in tertia parte contrarii sunt socialistae « cathedrae », qui jus illud *directe* faciunt civili imperio obnoxium.

3. Voces explicantur.

Perfectum jus dominii, quod in se continet dominium directum et utile omniaque jura in re.

Iis, iisque tantum, limitibus circumscribitur. Limites sunt ea quibus jus aliquod finitur in suo ordine, ita ut in objectum per se suum non possit propriam exserere virtutem. Haec est autem propria virtus juris, ut, comparate ad alios homines, inviolatam praestet facultatem quaedam habendi, faciendi, aut omittendi. Cfr. n. 5, 7.

Proprie dictis, seu perfectis. Latiore enim acceptione pro aliquo limite haberi potest quidquid est quo auferatur, non quidem inviolata facultas, sed licitus inviolatae facultatis usus.

Quos ponit. Consulto hanc usurpamus vocem, ut significemus alienam necessitatem vel jurisdictionem non tam esse limites quam limitum causas. Quamdiu etenim alter jure vel jurisdictione sua non fuerit usus, nihil inde attinet ad ea quae potest rei dominus.

Quos ponit jus alienae necessitatis. Necessitatem intelligimus utendi rebus alterius, eamque sive *extremam* vel fere *extremam* extraneorum, sive *gravem* eorum quibus a domino tribuenda sunt ex pietate alimenta.

Extrema autem est, si re aliena opus tibi sit ad declinandum malum aequiparandum cum morte, illudque immineat ; *fere extrema,* si malum non ita immineat, vel non plane assimulari possit ad vitae privationem : utputa perpetua vel gravissima captivitas, morbus diuturnus, perpetuus languor, gravis infamia positiva. Cfr. C. de Lugo, d. 16, n. 54.

Gravis est, cum instat malum grave, nullo tamen pacto cum morte comparandum : dejectio e statu, privatio victus convenientis secundum conditionem propriam.

N. B. Jus necessitatis, ut patet, ipsa necessitate finitur. Quare prius est petenda res quam auferri possit invito domino. Et si, ad tibi consulendum, opus tantum habueris aliquo rei usu, nefas fuerit illam absumere vel destruere ; nec cui, ob bona quae actu vel certa spe habeat, satis fuerit alterius rem mutuari, per se,

seu solo necessitatis titulo, licebit rem accipere nisi cum onere restitutionis. *Per se*, inquam. Non raro enim tacita vel praesumpta domini voluntas ipsum onere levabit restituendi modicum rei valorem.

Et jurisdictio : consulto hanc vocem adhibemus, ut jam ab initio pateat, jus Status non esse similis rationis ac jus hominis indigentis ; non esse aliquam proprietatem, sed referendam esse ad publicam potestatem imperandi, seu ordinariam potestatem regendi societatem perfectam. Id est enim jurisdictio, universe sumpta.

Qua publica potestas, quae perfectae dominatur societati.

Valet, non quidem abolere jus privati dominii vel directe coangustare. Sic jam *negative* significamus quo spectet jus publicae potestatis. Non valet supprimere regimen privatarum possessionum : et hoc non est ambiguum ; non valet *directe* coangustare : haec ratio minus est aperta. Ut eam declaremus, directe coangustarit is cujus formalis intentio fuerit imponendi modum privatis possessionibus seu divitiis. *Directe* ergo idem hic sonat atque *immediate* et *propter se*.

Sed indirecte, id est, occasione aliunde sumpta, propter aliud,— bonum aliquod procurandum, malum avertendum, — quod immediate intenditur, ita ut restrictio sit instar medii, non finis.

Quantum ad bonum commune exigitur. His damus positivam normam, bonum, dico, propter quod tale medium (restrictio) legitime usurpatur. Cfr. casus quosdam, n. 240.

II. Probatio.

232. A. Primae Partis. ***Perfectum jus dominii iis limitibus proprie dictis circumscribitur, quos :***

1. ***Ponit jus alienae necessitatis.***

Jus enim perfecti dominii continet facultatem excludendi quosvis alios usu rei propriae.

A. Jure alienae necessitatis dominus impeditur quominus alios quosdam usu rei propriae excludat.

E. Jus alienae necessitatis ponit limites proprie dictos.

Major constat ex notione juris proprietatis ; *consequentia* ex mox tradita notione limitis. Quia autem bifariam esse voluimus istud jus necessitatis, extraneorum et familiae :

a) *Probatur minor quod ad necessitatem extraneorum.* Quum res exteriores primaria naturae intentione sint ad omnium usum destinatae, jus proprietatis privatae non tantum, ut quodlibet jus, medium est quo jus habens personalem finem suum persequi valeat, sed etiam medium est quo ipsae res exteriores in eum adhibeantur usum qui primaria naturae intentione continetur, ita saltem ut nulla potuerit privata proprietas huic primariae derogare intentioni. Ad hoc autem necesse est privatas possessiones huic legi esse obnoxias, ut, interclusa alia via, unusquisque possit tamquam vacuas et non occupatas usurpare res alterius, non ita indigentis, proprias, ad consulendum necessitati sive extremae sive fere extremae, eo saltem modo quo natura voluit quaedam bona superioris ordinis magis absolute unicuique competere quam res exteriores fieri alicujus proprias. Quod addimus, quia latius patet facultas sumendi in necessitate extrema quam in quasi extrema, ut statim ostendemus.

Major hujus argumentationis eo constat quod intentio primaria vel finis praevalet intentione secundaria vel voluntate medii.

Ad minorem. Hinc enim primaria ista intentio respicit bona quae natura voluit esse omnium, et quantum illud voluit ; hoc est, ut dicamus explicatius, generalis ordinatio rerum exteriorum ad omnes homines est generalis ordinatio ad eos hominum usus quorum natura voluit omnibus dare copiam ; illinc vero, vera et seria destinatio rerum ad aliquem finem postulat ut generalis destinatio convertatur in particularem ubi, in certis adjunctis, per unam tantum rem vel unam rerum speciem finis ille procurari possit. Ideo enim potuit esse destinatio simul seria et generalis, quia plurium rerum erat optio.

Quae cum ita sint, facile apparet generalem sed prima-

riam intentionem qua res exteriores destinantur ad usus hominum, fieri particularem et praevalentem ordinationem certarum rerum ad particularem personam quae sine illis non posset bono alicui suo consulere sicut a natura ipsi conceditur. Haec rursus ordinatio, ut sit efficax, exigit facultatem sumendi, et consequenter negat domino facultatem excludendi.

Jam vero, bona de quibus est illa primaria intentio sunt imprimis vita praesenti discrimini obnoxia. Nisi enim res exteriores praestent alicui hoc fundamentale beneficium quod est ipsa existentia, nullo pacto jam huic personae poterunt esse utiles. Deinde, ut arguit C. de Lugo, sunt alia bona quae tam arte cum humanae personae naturali conditione sunt conjuncta, ut natura probetur ea saltem *per se* omnibus voluisse suppetere hominibus. Ad haec ergo servanda, poterit quivis adhibere media ordinaria, postposita alterius proprietate. Poterit ergo ad id sumere res alienas sed non nimia copia. Bona autem ista sunt ea quae indicavimus explicando necessitatem quasi extremam.

Et sic jam probavimus quidquid in minore contendebamus, praeter exceptionem indicatam verbis *alterius non ita indigentis*. Hujus tamen veritas est in comperto. Si enim ipse dominus aeque egeat, jam ipsa primaria naturae intentione protegitur, ita ut simpliciter sit praeferendus.

b) *Probatur minor quod ad necessitatem familiae.* In ordine enim ad congrua alimenta, familia eo loco se habet quod ad bona patris familias, quo homines ad universa bona in ordine ad necessitatem extremam vel fere extremam. Et re quidem vera, quum prior sit voluntas usus quam voluntas juris quod sit medium ad usum, et jus proprietatis tribuatur patri familias etiam ad obeunda pietatis officia proindeque ad congrua familiae suppeditanda alimenta, magis voluit natura usum in sustentandam familiam quam voluit jus patris familias in ipsa bona sua. Aliunde ipsa personarum propinquitate arcentur incommoda quae

insunt in hac invasione provinciae per se alienae. Usus ergo quum sit satis definitus sancitur rursus a natura, ita ut possit familia, deficiente patre familias, sibi sumere congrua alimenta. Cfr. n. 151, 154.

2. *Jus dominii circumscribitur etiam limitibus quos ponit jurisdictio publicae potestatis.*

Huc enim patet publicae potestatis jurisdictio, ut quaedam res eripiantur privatorum commercio ; ut inefficaces reddantur certi modi acquirendi vel transferendi bona, vel simpliciter vel comparate ad certas personas; ut cives, in re ipsorum propria, plura facere vetentur, alia praestare jubeantur *(servitudes légales)*.

A. Hi omnes sunt proprie dicti limites juris comparandi res et juris eas possidendi. *E*.

Probatur major. Jam constat usu perpetuo et probatissimo omnium gentium. Idem praeterea facile intrinseca ratione persuadetur. Etenim :

a) Res exteriores earumque comparatio materia sunt fraudum, injuriarum et malarum artium, quas efficaciter praecavere est per se jus et officium publicae potestatis. Valebit ergo ita ordinare possessiones et pactiones ut his, quod ejus fieri possit, occurratur malis.

b) Jura in bona exteriora inter ea sunt quae, ob lites et discordias quibus locum dant et incommoda quae aliis pariunt certi modi ea exercendi, maxime postulant ut inter se apte concilientur et componantur. Prudenter autem attemperare jura mutua, ut pax firmetur et artiore vinculo inter se conjuncti vivant cives, per se pertinet ad primariam provinciam potestatis civilis.

c) Res exteriores cedere debent in communem omnium utilitatem, et ratio qua possidentur et partiuntur maxime confert ad prosperitatem et felicitatem temporalem. Principi autem incumbit procuratio utilitatis communis munusque dirigendi societatem ut ad felicitatem illam et prosperitatem perveniat. Ipsius ergo est ea statuere de possessionibus exterioribus quibus fines illi obtineantur.

233. B. SECUNDAE PARTIS. *Iis tantum limitibus circumscribitur.*

Alii enim qui fingi possint limites manarent vel ex supremo *jure Dei*, vel ex *officiis non juridicis* [1] eorum qui possident bona. Dices, commemoranda etiam esse officia juridica. Sed jura quibus haec officia imperantur, vel spectant bona exteriora et tunc versamur extra suppositum : agimus enim de dominio perfecto, jura autem illa, si separatim exsistunt, velut partes sunt avulsae ab hoc dominio [2] ; vel spectant bona superiora vitae, famae et tunc, quinam limites ponantur necessitate servandi haec bona, modo explicatum est in primae partis probatione. Non est ergo tertiae hypothesi locus.

A. Ex neutro capite indicato circumscribitur jus perfecti dominii. *E.*

Ad minorem. Non *ex jure Dei.* Nam, ut ab initio diximus, n. 6, jus consideramus inter homines ; nec potest ut limes proprietatis indicari restrictio communis omni juri. Ceterum, jus illud Dei non tam limites ponit quam penitus aufert nostrum jus possidendi. Deo enim nullum opponere jus possumus. Quare, si presse loqui velimus, ratione habita juris divini, non magis nobis competit ususfructus (jus) [3] quam dominium, sed usus mere precarius divino subjectus arbitrio.

Neque ex *officiis non juridicis.* His enim fit ut certus usus sit rectus vel illicitus. Numquam autem jus dicitur recto

---

[1] Officia juridica sunt ea quae exsequenda sunt ob jus in altero exsistens.

[2] « Aliud quippe est partem juris quasi integrantis dominium ab uno auferri et conferri alteri, ut fit quando uni legatur dominium agri et alteri ususfructus... aliud vero, nulla parte juris in alium translata, impediri quemquam ab usu talis talis : primum namque in causa est ut aliquis non sit integre et perfecte dominus... secundum vero non tollit quempiam esse perfecte dominum, sed solum ligat illi jus in totum aut in parte. » Ita Molina, d. 3, n. 3. Haec ergo non sunt permiscenda ; seduloque inhaerendum est genuinae notioni limitis, id est restrictionis, impedimenti quo perfectum rei dominium non tollitur. Cfr. Lessium, c. 3, n. 9.

[3] Hoc praeterivit Ketteler, dum existimavit humanae possessioni inesse rationem ususfructus potius quam dominii : quasi usufructuarius minus in se convertat rei utilitatem quam dominus, nec ipsi domino suum fruendi jus opponere valeat. Quare his impropriis loquendi modis nihil causa pauperum juvatur. Neque hos usurpat S. Thomas, II. II. q. 66, art. 1 ad. 1.

usu finiri, praesertim quum obligatio recte utendi non auferat facultatem, hominibus inviolatam, usus illiciti. Exceptio ex jure necessitatis est supra tradita.

234. C. TERTIAE PARTIS. *Publica potestas non valet jus privati dominii abolere vel directe coangustare, sed ipsi fas tantum est illud indirecte attingere, quantum ad bonum commune exigitur.*

1. *Non valet illud abolere.* Jus enim illud, ipsa civili societate antiquius, sancitur lege superiore naturae, neque ex iis est quorum usus, ut jus vindictae, transferendus est, ob bonum commune, ad publicam potestatem.

Accedit haec altera ratio: Justa lex est ordinatio ad bonum commune. **A.** Ad bonum commune requiritur divisio bonorum. **E.** Etiamsi per legem civilem fuisset inducta, seu penderet ab ipsa quod ad primum esse, non posset per eam aboleri, seu non penderet ab ipsa quod ad suam conservationem.

2. *Non valet illud directe congustare.* Directa enim juris limitatio dicit potestatem in ipsum jus. Haec autem neganda est societati civili ob mox factam rationem.

3. *Sed ipsi fas tantum illud indirecte attingere, quantum ad bonum commune requiritur.* Negata potestate directa, restat ut facultas sit indirecta. Ratio autem qua indirecte jus attingere valebit, ea erit quae praebetur ipso formali munere potestatis publicae procurandi bonum commune. Quod quomodo sit faciendum, hic supra dedimus in 1ª parte.

235. III. **Difficultates.**

1. Qui limites ponit juri proprietatis negat ipsum esse absolutum, quod ad rationem pertinet proprietatis. — Ita fere Spencer.

R. D. assertum. Qui limites ponit quorum alter libera agit arbitria is negat perfectum dominium, *C.* Qui limites ponit quos recta ratio eruit ex jure superiore, is negat jus absolutum, *subdist.* absolutum, i. e. quod violari nequit, *N.* absolutum, h. e. incircumscriptum, *C.* Sed simul nego jus proprietatis alia ratione esse absolutum nisi ea qua,

intra limites legitime positos, a nullo homine vel principe violari potest.

2. Non est jus faciendi actum qui repugnat. *E.* Omne officium ponit limitem.

R. D. antec. Non est jus *per se* concessum ad istos actus, *C.* Non est jus *per accidens* afficiens etiam hujusmodi actus, *subdist.* Non est jus, ita ut isti actus evadant liciti, *C.*, ita ut sint validi nec impediri possint ab aliis hominibus, *N.*

Ut diximus n. 152, bonum commune exigit non raro ut facultas qua quis abutitur nihilominus non possit ab hominibus violari. Et quia jus dicitur comparate ad homines, hac ratione est quandoque jus ad actus qui repugnant officio. Jus tamen per se conceditur propter actus bonos.

ARTICULUS II. Doctrinae supplementa

I. *COROLLARIA.*

236. Definitio juris proprietatis. Ex iis quae disputavimus consequitur perfectum jus dominii, quale hominibus competit, rite definiri: *Jus perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeantur* [1]. Quae enim Bartoli definitio, communis juris peritorum et probata Molinae, d. 3, n. 1, Lessio, c. 3, n. 7, et C. de Lugo, d. 2, n. 3, reddit *genus: jus;* et *speciem,* accurate descripta *materia* ejus *remota*, quae est *res corporalis*, et *materia proxima: libera de re dispositio exceptis legalibus limitibus.* Inde habemus positive et negative declaratum ipsum juris ambitum. Nec obstat non commemorari jus necessitatis, cum istud raro tantum adsit et per accidens.

Idem sonat altera definitio satis recepta: *Jus disponendi in proprium commodum de rei utilitate et substantia, intra limites justa lege constitutos.* Haec fortasse clarius separat dominium *proprietatis* a dominio *jurisdictionis*, quod est jus

[1] Verbo tenus quidem hanc retinet definitionem R. D. Pottier, d. 1, n. 57; sed dum, n. 60. 4°, vult ut lex intelligatur etiam lex naturalis, reapse ei affingit significationem alienam a vero et plane novam. Cfras. Molinam, Lessium, de Lugo, etc., statimque apparebit, non magis ipsos quam jurisperitos cogitasse de alia lege quam de positiva humana.

disponendi non in proprium commodum sed in bonum commune. Id priore definitione significabatur per vocem *perfecte* et per objectum *rei corporalis*. Aliunde, quia proprietas, quae permittit usum in proprium commodum, non negat facultatem imo et officium consulendi etiam aliis, praeferimus verbum *perfecte* verbis *in proprium commodum*, a quibus non abest omnis ambiguitas.

Cum eadem definitione congruit celebris descriptio ignoti cujuspiam jurisperiti romani : *Jus utendi et abutendi, quatenus juris ratio patitur*. Res enim quae voci *abutendi* subjicitur non est malus usus, sed usus quo res consumitur, exstinguitur.

Sic Cicero, *in Topicis*, negat mulieri cui vir legaverat usum bonorum suorum facultatem exhauriendi cellas vinarias: « Usus enim non abusus relictus est; » sic res quae primo usu absumuntur dicuntur in abusu consistere [1]; nec aliter loquitur jus canonicum : « Abuti autem, dum tractatur de rebus usu consumptibilibus, pro rei consumptione sumitur, quod ei opponitur quod est uti » [c. Ad conditorem, 2, *Extrav. Joann.* XXII, *De verborum significatione* (III. 147)]. Valde ergo inopportune definitio ista est a quibusdam improbata.

237. Ratio christiana juris proprietatis. Sicut ipsius contractus matrimonii, quod evasit tamen sacramentum, servata est in christiana lege consueta ratio, ita nihil mutata est ab ipso Evangelio formalis ratio perfecti dominii. Verum hoc differt christiana ratio ab ethnica, liberali, vel rationalistica, quod per eam :

1. Fons juris, non, ut fit a rationalistis, in nobismet ipsis, sed in provido reponitur Deo qui jus conjunxit cum officiis. Cfr. S. Th. II. II, q. 66 art. 1 ad 1.

2. Contra ac liberali ratione, non mere ad singularem personam jus refertur, sed positive inculcatur finis socialis quo ad bonum familiae et totius civitatis [2] imo et generis humani est divina intentione ordinatum.

---

[1] Cfr. l. 5, § 1 D. *De usufructu rerum quae usu*, etc. (VIII, 5).

[2] Ex S. Thoma enim, civitati tria procurat commoda proprietas privata, ideoque est necessaria : majorem bonorum abundantiam ob magis sollicitam curam, majorem ordinem ob divisionem laboris, majoremque concordiam et pacem, ob juris sanctitatem. Cfr. II. II. q. 66, art. 2 ;

3. Humilis suadetur hominibus juris fruitio, et, manifestata divitiarum vanitate, impelluntur omnes ut affectu sint a vanis istis rebus soluti. Quae ut efficacius evincantur, simul in non paucis filiis perpetuum proponit Ecclesia catholica exemplum voluntarii cultus paupertatis. Inde fit ut a divitibus obtineat faciles pecuniae largitiones et a pauperibus beatam animi resignationem et quietem quae ad animorum consensum et felicitatem tantopere conferre solet. Rursusque hoc modo, si ejus praeceptis melius dicto audiretur, veluti sine negotio abirent, radicitus evulsa, mala et vitia quibus hodierna inficitur societas.

Christiana ergo ratio minus mutat vel attingit jus quam ejus usum, dominium quam ipsum dominum.

238. Communis omnium dotum et donorum destinatio. Non tantum res quae omnibus primo erant destinatae ea tantum lege fiunt propriae ut melius hoc modo prosint utilitati communi, sed etiam aliae quarum ingenitam habemus proprietatem, talenta dico et quaelibet dona, in omnium bonum, sic ordinante Deo, sunt dispensanda. Hoc aperte nobis traditur a S. Petro, *Epist.* I, IV, 10 : « Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei »; hoc recens ita a Leone Pp. XIII iterum inculcabatur : « Summa est : quicumque majorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse ut ad perfectionem sui, pariterque, velut minister Providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum. » Enc. *Rerum novarum.* Cfr. S. Thom. 1 p. q. 96, art. 4, c.

Hic tamen apparet rursus (cfr. n. 209) res exteriores alia ratione fieri proprias atque a nativitate propria erant vires, facultates et talenta. Quasi vestigium enim primae ordinationis rerum exteriorum, manet jus eas sumendi in extrema necessitate (232), dum proximus, etiam extrema laborans necessitate, nequit ex justitia pro suo vindicare aliquem usum facultatum vel virium quae nostrae cohae-

rent personae. Qui, quum facile possit, ipsi, in his angustiis, negaverit *personale* auxilium, enorme fecerit peccatum contra caritatem, nullius tamen injuriae fuerit reus ; neque ab indigente stricte cogi possit.

Verum inde objici possit ipsi juri necessitatis. Quod enim plerumque opus habet egenus, non est res qualis est a natura, sed fructus industriae alterius hominis : panis, frumentum, pecunia, etc. Quomodo fit ut, invito domino, hujusmodi res usurpari valeat? Ita ergo, ni fallimur, expolienda est ratio juris necessitatis : facta rerum divisione, quum rebus moraliter omnibus, quibus egenus extremam posset levare inopiam, insit simul aliqua naturalis utilitas et humana quaepiam industria, atque ambo haec sint individue conjuncta, natura ea lege permittit privatas rerum possessiones, ut homines concedant, in rebus extremis, usurpationem etiam fructus suae industriae quae rei exteriori sit annexa. Sin aliter, plane irritum cederet jus extremae necessitatis ipsaque rerum naturalium addictio bono communi.

239. Acquisitio ex necessitate. Res quas, ob causam necessitatis, jus habent apprehendendi sive proximus quilibet, sive familia, non pertinent ad istas personas nisi postquam eas re occupaverint. Quocirca injuriae reus non est pater familias qui res dissipat quas ex pietate tribuere debebat familiae, nec qui pauperi extreme indigenti dissimulat, etiam usus mendacio, se habere bona. Neque, ex modo dictis, n. 238, officium est justitiae conferendi positive subsidium personae indigenti. Cfr. de Lugo d. 16, n. 143.

Nonnulli tamen huic conclusioni refragantur, quibus favere videtur haec litera Enc. *Rerum Novarum :* « Non justitiae, excepto in rebus extremis, officia ista sunt, sed caritatis christianae. » Sed non est verisimile S. Pontificem voluisse his paucis verbis improbare doctrinam quam aperte tuetur C. de Lugo et S. Alphonsus judicat probabiliorem et communem (l. 3 (4) n. 520).

240. Error recentiorum jurisperitorum. Non pauci ex recentioribus jurisperitis, cum observent simul cum temporibus variasse privatarum possessionum disciplinam, existimant ipsam juris rationem esse alia aetate aliam. Sed in hoc decipiuntur, permiscentes *limites,* quos alios in alia societate ponere oportet et ipsam *substantiam* juris, in quam semper ea quam tradidimus quadravit definitio.

241. Quaenam possit vel non possit Status in regimen privatae proprietatis, juvat aliquot illustrare exemplis, quae ex formula supra in thesi probata apparent esse vera.

Non licet Principi supprimere privatas possessiones, etiam rerum immobilium; nec summam definire maximam, ultra quam non valeant cives augere privatas divitias; nec eo fine imperare vectigalia ut, detrahendo de majoribus facultatibus, magis aequabiles faciat fortunas; nec, excepta causa publica, quempiam justo spoliare dominio; nec ad certos annos contrahere proprietatem rerum quae vel a natura sunt datae propriae *(fructus industriae)* vel sine tali conditione acquisitae. Haec enim fieri non possunt sine potestate directa in ipsum jus quam ab ipso abjudicavimus.

Nec ipsius est, *arbitratu suo,* artes exercere vel bona partiri. Negotia enim ista privata sunt natura sua.

Valet autem, quantum id ad bonum commune, pro civitatis conditione, videtur requiri, res quasdam eripere commercio privatorum *(dominium publicum, monopolium legale),* — modum statuere partibus soli nationalis quas unus habere potest, ut multis vel sat aequabiliter ager alicujus gentis civibus partiatur [1], — quaedam prohibere vel praecipere circa res possessas: Ne altius aedificent v. gr., ut aquaeductum tolerent etc. *(servitutes legales),* — inhibere suspectas comparationes pecuniarum (ludos, sponsiones, pactiones turpes), — modis acquirendi vel

[1] Hujusmodi cauta sunt lege hebraïca, probante S. Thoma I. II, q. 105, art. 2, ad 3.

amittendi bona apponere novas conditiones capacitatis, formae sollemnis *(testamentorum, donationum)* — novos constituere modos acquirendi *(thesaurum, praescriptionem,* ut plerique volunt), — legibusque cavere ut aequum sit pretium quarumdam rerum, et ut *per se* copia suppetat omnibus, qui operam navare velint, eam obtinendi vitae conditionem quae, pro civili cultu et communi prosperitate, omnium esse potest.

242. De Tributis et Status dominio alto. Ex dictis etiam consequitur ad eamdem jurisdictionem ascribendam esse facultatem exigendi tributa, et dominium quod dicitur altum. In hoc enim presse dicta consistit dominii alti seu eminentis ratio, ut Princeps valeat, si bonum id postulet commune, auferre civi privatam possessionem [1]. Id tamen non est temere faciendum ; atque, ut onus illud aeque distribuatur, pecunia est per se compensandum illatum damnum.

II. *SCHOLIA.*

243. Potestas Ecclesiae. Quemadmodum Status, ad finem civilis societatis procurandum, jurisdictione pollet in bona civium, ita Ecclesia, sub ratione formali qua dirigit fidelium coetus, attingere valet bona christianorum ; ipsisque ob justam causam imperare tributa, restitutiones, vel quasdam vetare suspectas artes. Inde leges de causis piis, sanctiones simoniae, usurarum, etc.

244. *Quaeres,* quomodo a S. Alphonso **prodigae** quaedam **promissiones** haberi queant pro non validis, si solo alienae necessitatis jure finiatur jus dominii ?

R. Altera hic subest causa, vitium consensus ob passiones quibus homo ad has effusiones perduci est solitus.

Similiter non aliquo juris limite sed praesumpto domini consensu excusamus momentaneam quamdam vim qua dominus prohibeatur certo usu de quo praevidetur fore ut mox ipsum poeniteat. Cfr. n. **154.**

---

[1] Gallice dicimus: *expropriation pour cause d'utilité publique.*

245. *Quaeres* an lex positive agnoscere debeat jus necessitatis ?

Silent enim hodiernae leges, ideoque a R. D. Pottier reprehenduntur ut injustae. Non videtur tamen necesse ut leges, quae sunt de plerumque contingentibus, casus tam infrequentes a generali dispositione formaliter excipiant, praesertim quum eorum diserta mentio nimis fortasse quam par est habenas laxaret non paucis qui his excusationibus suas quaererent obtegere fraudes. Neque ideo damnandi sunt a judicibus innocentes. Nam, etiamsi non possint hodie magistratus hanc brevem afferre rationem, quod *aliena* non sit res in extrema surrepta necessitate, non una via superest magistratibus ad absolvendos hujusmodi reos [1]. Magis adhuc expediens foret, ad praecavendas istas difficultates, permittere judicibus majorem usum *epikeiae*.

QUAESTIUNCULA RESIDUA

De proprietate editi libri et divulgati inventi

C. de **Lugo**, d. 26, n. 171; **Kant**, *Von der Unrechtmässigkeit des Büchernadrucks*; **Carrière**, *De justitia et jure*, n. 55-62; **Marrès**, *De justitia*, I. 23-25; **Waffelaert**, *De justitia*, I. 171-173; **Cathrein**, *Moralphilosophie*, p. 2, s. 1, l. 4, art. 4; *Philosophia moralis*, n. 385-387; **Aubry** et **Rau**, *Droit civil français*, II. p. 171, n. 8; **Wauwermans**, *Le droit des auteurs en Belgique*.

THESIS XVII

Ad proprietatis genus ascribendum est jus quo scriptor vel inventor alios prohibere possunt ne iterum edant librum vulgatum neve imitentur suum inventum.

Jus porro illud repetendum videtur e lege positiva cujus summa capita naturali aequitati sunt consentanea.

246. I. **Status quaestionis.** 1. QUAESTIONIS OCCASIO. Postquam, inventa arte typographica, novus apertus

[1] Vias istas erudite expositas habes in articulis *Le pain volé*, conscriptis a D. De Lantsheere, occasione sumpta celebris causae quae in Gallia est dijudicata. Cfr. *Revue sociale catholique*, t. II.

est fons lucrandi ex ipsa operis editione, pronum fuit investigare, quid, invito vel insciente scriptore, aliis in hac re sine injuria liceret; nisi quod, ob varia privilegia quae, simul cum necessaria facultate vulgandi, editoribus praestabant securitatem ab aemulis, quaestio aliquamdiu dilata fuit. Suppressis autem impedimentis, factaque generali licentia quaelibet typis conficiendi et divendendi, non ita pridem exorta est satis acris disputatio de jure vel *dominio scriptorum*. Neminem autem latet, quomodo positiva fere omnium populorum lege sanciatur ut, per certum tempus, soli liceat scriptori vel iis qui ab eo jus habent opus vertere vel prelo rursus committere. Imo pactis cautum est, ut etiam apud alienas gentes istud privilegium sanctum foret. Simili porro legis beneficio frui solent ii qui graphicas faciunt descriptiones (*dessins*).

Non dissimilis est quaestio de *inventis artium et scientiarum,* utrum fas sit imitari alterius inventum, utputa remedium, liquorem, machinam, meliorem artis viam, an contra competat inventori in haec omnia inviolata proprietas *industrialis,* ut aiunt, quae, in initio perturbationis gallicae, sollemni decreto concilii cui nomen *l'Assemblée constituante* promulgata est ac legis sanctione firmata [1]. Deinceps fere universalis consuetudo increbuit concedendi, soluta aliqua quasi vectigali pecunia, diplomata *(brevets d'invention ou de perfectionnement)* ad nonnullos annos, quibus inventori constituitur monopolium artis vel methodi ab ipso excogitatae.

Musicis iisque qui *fabulas* excudunt non solum idem quod librorum scriptoribus tributum est jus, verum etiam, eadem via ultra progressi, coeperunt legislatores inhibere ne in publico fabulae istae darentur vel musica adhiberen-

[1] « Considérant que toute idée nouvelle dont la manifestation ou le développement peut devenir utile à la société, appartient primitivement à celui que l'a conçue, et que ce serait attaquer les droits de l'homme dans leur essence que de ne pas regarder une découverte industrielle comme la propriété de son inventeur... » (31 dec. 1790 — 7 jan. 1791).

tur recentia opera nisi annuentibus auctoribus, qui pacta mercede hanc potestatem facere solent. De quo rursus quid sit sentiendum interrogari potest.

Recens denique, vulgata *arte photographica*, disputatum est utrum necne personae invitae liceat exprimere et divendere imaginem.

2. QUAE CONSTANT IN HAC RE. a) Manifesta res est jus scriptoris in opus manuscriptum, et inventoris in artem vel methodum qua secreto velit uti et frui. Quare apertissimae injustitiae reus fuerit qui, usus fraude vel vi, secretum surripuerit et divulgaverit vel alterius ediderit scripta.

b) Nec ambigitur jus esse domini ut propri ingenii fructum in suam reservet utilitatem: quantum tamen, ut scite observat Carriere, n. 55. « rei natura patitur ».

c) Satis etiam convenit leges quibus scriptoribus et inventoribus tribuitur privilegium lucrandi ex editione libri vel inventione, esse justissimas et naturae votis apprime congruere.

Quaestio autem agitur de juris istius *genere*: utrum necne sit quaedam proprietas; et de prima ejus *origine*: utrum sit a lege humana an ab ipsa natura profectum.

3. SENTENTIAE. a) Apud *veteres* quaestio potius ignorabatur. Pauca tamen quae nobis reliquerunt documenta parum juri scriptorum, quod esset naturale, videntur favere. Ita S. Augustinus [1] negat alienum auferri ab eo qui concionem ab altero confectam memoriae suae commendet recitetque populo in ecclesia.

Molina et C. de Lugo, qui jam aliqui ratione praesentem attingunt quaestionem [2], jus scriptorum et inventorum habent privilegium a Principe ob justissimam concessum causam « ad fovendam alacritatem et industriam auctorum et typographicorum.... in praemium suae inventionis. »

b) *Recentiores*, qui data opera rem trutina pendunt, in varias abiere sententias.

---

[1] *De Doctrina christiana*, l. IV, c. 29.

[2] Molina, d. 345, 3; C. de Lugo, d. 26, n. 171.

α) Non pauci enim, qui de solis librorum scriptoribus agunt, existimant ab ipsa natura sanciri istud genus proprietatis. Ita Ballerini-Palmieri (*Opus morale,* t. 3, p. 1, c. 3, n. 115), R. P. Cathrein, l. c., R. P. Lehmkuhl (*Theol. mor.* 1. 904 sq.), d'Héricourt (apud Carrière, l, c.), Wauwermans, op. cit.

Inter eos nonnulli jus strictum circumscribunt fructibus primae editionis. Quae sententia Ill. D. Waffelaert, l. c., placet Génicot (*Theol. mor.* 1. 477, 478).

β) Alii omnia repetenda existimant e lege positiva quam fatentur esse aequitati consonam. Horum numero sunt R. D. Marrès, l. c., R. P. Bucceroni (Theol. mor. *De justitia,* n. 32 sqq.); Aubry et Rau, l. c.

γ) Alii ad varias deveniunt distinctiones.

Sunt qui, ut Carolus Comte (apud Carrière), rejecta proprietate quam industrialem vocant, tuentur, ut a natura profectum, aliquod jus speciale auctorum, a proprietate differens et temporali privilegio adaequatum.

Nullam quidem proprietatem libri (*operis*) sed ingenitam actionum (*operarum*) proprietatem violari censet Kant, op. cit, adulterinis editionibus. Quare, dum permittit imitationem arte factorum (*Kunstwerk*), restitutione damnat eum qui alterius librum, sine consensu scriptoris, iterum prelo commiserit. Ejus satis subtili rationi occurremus quando solvemus difficultates.

δ) Carrière suam hoc modo profert sententiam : « Inter illas opiniones, difficillimum nobis videtur aliquid statuere : si enim attente perlegantur quae in utramque partem afferuntur, manifestum erit plura vel supponere praecise quod est in quaestione, vel omnino gratis asseri. »

c) Nobis jura illa scriptorum vel inventorum: α) sunt aliqua proprietatis ratio; β) votis quidem naturae congruunt, sed a jure positivo sunt primum instituta. Quod binis thesis partibus efficere conabimur.

4. Explicantur voces.

Ad proprietatis genus ascribendum est, non autem ad alteram quampiam rationem peculiarem,

Jus quo scriptor vel inventor alios prohibere possunt ne iterum edant librum jam vulgatum neve imitentur suum inventum. His describimus quo pateat facultas quae in quaestione versatur. Relictis autem aliis, ambas potissimas sumimus species, libros et inventa industrialia, quas aequo esse jure putamus.

Jus porro illud repetendum videtur e lege positiva. Astipu-

lamur ergo, ut magis verisimili, opinioni eorum quos citavimus sub litera b, β.

Cujus summa capita. ne videamur singula probare praescripta legum.

Naturali aequitati sunt consentanea : aequitatem illam dicimus, quae, seclusa positiva sanctione, negat debitum justitiae et potius pertinet ad virtutem amicitiae, quamvis actus possit fieri necessarius ex caritate.

II. Probatio.

247. A. PRIORIS PARTIS, quae de NATURA est JURIS.

Ad genus proprietatis pertinet quaelibet facultas ordinandi ad suum bonum, exclusis aliis, alicujus rei substantiam vel utilitatem.

A. Huc recidit quidquid juris addicitur scriptori vel inventori, ut soli fructum aliquem temporalem colligere valeant. *E.*

Major constat ex notionibus supra traditis dominii proprietatis. Nec minus, ex iis quae diximus, aperta est veritas *minoris.* Quare verbo tantum non re dissentire, vel imperfecta proprietatis notione decipi arbitramur qui contra illam partem dixerint.

248. B. ALTERIUS PARTIS, de JURIS ORIGINE.

1. *Jus porro illud repetendum videtur e lege positiva.*

Non posse enim legi ascribi naturali efficimus :

a) *Ex materia juris proprietatis.* Res enim quarum est naturalis proprietas, hujusmodi sunt quae cum persona aliqua ita vere jungi valeant ut, eas apprehendendo, muniendo, physice eis insistendo, persona ista, nisi majore vi opprimatur, alios efficaciter arceat eodemque prohibeat usu. Quare ipso dominii jure prius fecimus factum aliquod, physicam dico rei servitutem vel usum non communem (n. 215). Et quid denique est ipsum jus dominii, nisi moralis inviolabilitas vinculi physici quo res ad unius refertur bonum unique « de facto » servit? Quid jure illo efficitur, nisi ut tuto possis interrumpere physicam illam rei detentionem, quae tamen semper in tua est potestate? Quocirca

ferae nimis amplis septis conclusae non existimantur appropriatae; quocirca etiam jura domini in rem suam non spectant ad ea quae physice vindicari nequeunt. Sic v. gr. non potest dominus fundi, nisi exstructo muro, probere alios oculis sua perlustrare bona.

Jamvero, secluso legis praesidio, fieri omnino nequit ut scriptor libri qui in vulgus est editus simul ita retineat exemplaria ut vis inferenda sit ipsius personae ad haec iterum prelo committenda. Qui id contenderit, possit aeque bene, ut arguit R. P. Bucceroni, vulgata notitia stellae ab ipso detectae, expostulare ne alii, ipso invito, stellam istam considerare audeant.

b) *Ex jure acquisito ementi.* Emptione exemplaris ita comparatur libri dominium ut omnis usus per se censeatur justus nisi probetur legitime illa facultate exceptus.

A. Libri iterata editio est profecto aliquis modus utendi exemplari. Nec probatur exceptio. Ubinam, ut recte arguit Kant, formalis de hac re stipulatio? Ubi, id addam, vel tacita, seclusa saltem lege positiva, cum voluntas prohibendi universe hunc usum foret plane inefficax et minime rationabilis [1]?

c) *Ex finibus quibus continetur privilegium scriptorum et inventorum.* Jus si foret naturale, proprietatem tribueret per se stabilem ac perpetuam, quae aeque ab omnibus foret observanda. Contra, privilegium de quo agitur, volunt ubique aliquot circumscriptum annis. Nec ii qui existimant jus esse naturale, improbant editionem quae fiat in regione satis remota, et jam magis dubii haerent de translatione in alteram linguam. Neve dicas lege positiva jus illud ad certos annos finiri. Namque ex thesi superiore

[1] Vim istius rationis tacite fatentur adversarii adhibendo miras distinctiones quae plane sunt gratuitae. Legantur v. gr. haec pauca C. d'Annibale: « Licet secretum sit quasi res aliena, nihilominus, ex quo illud rescivi, notitia rei occultae, quasi quaedam veritas (quae ad intellectum pertinet) fit aliquid meum; quocirca non prohibeor ea uti sine damno alterius injusto.... Sin est inventum aliquod scientiae vel artis, quia quidquid invenimus cum studio et labore est aliquid nostrum, eo me uti, altero invito, instar furti esse puta. *Summula*, II, 272.

habemus, hoc non esse in Status potestate ut sic directe circumscribat jus naturale dominii; resque foret plena periculo hoc ipsi permittere. Atque hic ageretur de finiendo jure naturali maxime sancto, quod in suas quisque operas seu fructus industriae habet.

Confirmatur nostra sententia eo quod viri integrae famae et timoratae conscientiae fere integras aliorum lucubrationes in sua opera transtulerunt, etiam omissa fontis indicatione, ita ut doctrinam semel divulgatam habuisse videantur pro communi familiae humanae bono. Ita S. Bonaventura, in suis commentariis de sacramentis, multa ex Ricardo a S. Victore ad verbum exscripsit. Atque, ante initas pactiones, satis, in Belgio et alibi, invaluerat mos conficiendi adulterinas editiones scriptorum alterius nationis, ut dici possit communi justitiae sensu has artes non fuisse reprobatas.

2. ***Summa saltem capita hujusmodi legum naturali aequitati sunt consentanea.***

His enim fit, ut congruum utilis operae obtineatur praemium: ut, sine communi detrimento, plenius cedant ei qui fecit fructus industriae, meditationum et conatuum fortasse diuturnorum et sic stimuli novi addantur excolendis artibus, scientiis et literis. Denique huc faciunt rationes mox solvendae, quibus permoti nonnulli autumant jus ab ipsa natura esse constitutum.

249. III. **Difficultates.**

1. EX DAMNO AUCTORIS. Etenim :

a) Furtivis istis editionibus fit per se: α) ut scriptor et editor inviti frustrentur, saltem ex parte, fructu suae industriae ; β) imo et ne convenientem quidem mercedem percipiant impensae operae. *A.* Haec per se adversantur justitiae. *E.*

R. D. maj. Furtivis istis editionibus fit per se ut vel artibus iniquis scriptor et editor careant aliquo emolumento, vel ut careant fructu et mercede ad quae jus habeant, *N.* Ut frustrentur lucro sed sine injustitia ex parte modi vel objecti, *transm.*

Non satis enim est ostendere lucri deminutionem ut arguas injustitiam, sed opus habes probare violationem juris. Negamus monopolium scriptoris esse naturale, mercedem istam esse per se

debitam ex justitia novamque libri editionem esse fraudem per se injustam. Aliis aliter visum sit : per nos licet ; sed et his et similibus rationibus mere petitur principium. Assumitur id quod vocatur in quaestionem. Unicuique profecto integrum est tentare fortunam et honestum quaerere lucrum ; qui tamen parum idoneum elegerit medium, vel cui res secus cesserit, etsi fortasse simul spectarit ad bonum commune, ipse damnum sustinebit, nec de aemulis querelam movere poterit quod ab eis passus sit injuriam. Quid si librum optimum atque utilem pauci emant ? Num laesam existimabis justitiam, num damnum ex aerario sarciendum ?

Praeterea, quod praesertim ad scriptorem attinet, nonne alterum, magis certum et praestantiorem operae fructum exspectare potest, fructum communicatae veritatis, fructum famae et laudis, unde non raro via munitur ad honores ?

b) Negato illo jure, quisnam vellet libris scribendis operam dare, sumptus facere edendi libri, etc.? A natura autem proficiscitur jus sine quo tam utiles operae languescerent. *E.*

R. N. majorem. Transmitto minorem.

Per tot enim secula, scriptores hoc lucri genere caruerunt, nec tamen numero fuere pauciores. Quot nunc etiam scribunt sine ulla spe lucri, moti sive fine sublimiore sive laudis capessendae studio !

Ipsi editori congrui lucri non omnis eripitur spes. Lucrum enim appetunt qui, nullo juris praesidio tecti, adulterinas conficiunt editiones. Nonne etiam quotidie eduntur libri quorum peremptum est privilegium ? Quocirca, mere transmissa minore, haec summum probant opportunitatem legis quae juri isti det originem.

2. Ex tacita juris reservatione.

a) Opus non est publici juris factum nisi quod ad usum consuetum et ordinarium exemplarium. *E.*

R. Dist. ant. Posita lege qua fit ut usus extraordinarius efficaciter prohiberi valeat, *C.* vel *transm.* ; seclusa hujusmodi lege, *N.*

Per se enim, rei cujus comparaveris dominium quemlibet etiam insuetum usum facere tibi integrum est. Posita autem lege, mere transmisimus assertum, quia nondum diximus de vi obligandi conscientiam quae in his insit decretis.

b) Integrum est rei domino eamdem certis tantum conditionibus vendere aliis. *A.* Libri editor non intendit, vendendo exemplaria, transferre jus illum typis edendi ; imo hodie istius juris reservatio vel conceptis verbis in ipso

libro exprimitur [1] vel tacite intelligitur addita. *E.* Ab editore vel scriptore retinetur jus edendi librum.

R. D. maj. Modo istae conditiones convenerint inter emptorem et venditorem, seu deductae fuerint in pactum, *C.* Aliter, *N.* Nam per se ementi acquiritur omnis potestas quae jure dominii continetur. *Minorem divido.* Quod ad *intentionem, nego* illam esse per se efficacem, cum repugnet concesso dominio quod de se continet omnis usus facultatem. Quod ad *hodiernam consuetudinem,* formulae istae usurpari solitae huc spectant ut scriptor vel editor manifestam faciant intentionem utendi legis positivae beneficio. Unde ad praesentem quaestionem id parum vel nihil referre existimamus. Redit enim facilis distinctio. Ex hodierna consuetudine habetur reservatio juris naturalis, *N.*, legalis seu positivi, *C.*

3. Ex editione libri formaliter sumpta.

a) Qui librum edit, inconsulto scriptore, hujus inviti gerit negotium. *E.* Debet domino sarcire omne damnum et rependere lucrum factum ex adulterina editione. Sic fere Kant, op. cit., qui hanc adducit antecedentis confirmationem: Liber est formaliter sermo scriptoris ad lectores. Editor ergo libri seipsum necessario exhibet ut eum per quem scriptor homines alloquitur. Hoc autem est necessario gerere scriptoris negotium.

b) Non dissimilis affertur ratio, cum dicitur, ingenitum esse alicujus jus definiendi quo pacto et quo modo communicanda sit propria mentis cogitatio; quod jus violari per furtivam editionem qua aliter ac scriptor destinavit ejus oratio ad vulgus permanare solet.

R. Ad a) *Dist. antec.* Qui librum edit inconsulto scriptore hujus gerit negotium, quatenus hujus nomine necessario agat, *N.;* quatenus usurpat jus scriptoris, *subdist.;* si de scripto agitur codice, *C.;* si de libro jam divulgato,

---

[1] Notis formulis: *Tous droits réservés. — Das Recht der Uebersetzung wird vorbehalten,* etc.

N. Hoc foret probandum. Et *ad confirmationem,* rursus *distinguo:* Liber editus a scriptore est formaliter sermo ipsius ad lectores, *C.;* liber editus sine consensu scriptoris, *N.*

Duo hic apprime sunt distinguenda: aliud est aliquid conscribere, aliud est conscriptas res cum aliis communicare. Causae istae sunt distinctae natura sua et consectariis. Sicut ab initio plura scribere possum nihil de editione cogitans, ita, absoluto opere, abjicere valeo consilium edendi. Qui ergo librum edit, inconsulto scriptore, ne quidem facit semper id quod saltem a se vel ab altero scriptor peractum velit. Ut tamen sermo habeatur scriptoris ad lectores, opus est non tantum ut is quaedam scripserit, sed ut etiam velit, in his adjunctis, cum lectoribus de his sermonem habere. Omnis enim locutio, praeter rem cogitatam, dicit formalem intentionem loquendi. Revera ergo, quando editor alius est a scriptore, libri editio nunquam est solius scriptoris negotium. Si enim annuente scriptore opus divulgaverit, editor, sicut in partem venit meriti, ita partim, seclusa peculiari legis cautione, in se recipere debet incommoda consecutura; si autem solus fecerit, haec solus praestabit, nemoque ambiget ipsum suo egisse nomine et periculo.

Huc facit etiam obvia similitudo. Num is qui refert dicta ab altero existimatur semper hujus agere nomine? Cur ergo haec negotiorum gestio affingeretur ei qui alterius scripta communicat?

Addas argumento isto kantiano nimis probari. Inde enim privilegium perpetuum addicendum foret scriptori; et qui nunc edit Ciceronem, Aristotelem etc., semper existimandus foret antiquorum istorum agere negotium.

Ad b) Prima specie occurrit haec facilis distinctio: Quo pacto ac modo vulganda sit mentis cogitatio, tuum est illud definire, quamdiu eam non feceris publici juris, *C.;* postquam jam tu ipse illam per vulgus disseminaveris, *N.* Sin minus possis aeque prohibere ne iterum dicant rem quam palam narraveris, ne librum aliis tradant legendum, ne locum exscribant, etc.

4. Ex merito scribentis librum.

Qui librum scribit bene meretur de re publica. *E.* Jus habet ad mercedem quam ope istius monopolii consequetur.

R. Transm. antec. (nam opus foret distinctione). *N. conseq.* Promeritum de se parit officium gratitudinis, non autem strictae justitiae.

IV. Doctrinae supplementa.

COROLLARIA.

250. De obligatione conscientiae. 1. Ultra quam statuunt leges nequit urgeri, saltem ex justitia, aliqua prohibitio sive vertendi librum in alterum sermonem sive illum denuo edendi, sive imitandi quodpiam inventum. *Saltem ex justitia.* inquam ; nam artes istae saepe justam dant scriptori aut inventori causam moeroris ac tristitiae, ita ut graviter offendi possit caritas, v. gr. si quis ideo rationabili spe lucri dejiciatur, si ob aliam causam graviter ferat, opus, concionem, etc. mandari typis.

2. Satis convenit inter theologos, per leges positivas verum jus tribui auctoribus, ita ut qui contra faciat damnandus sit injuriae et, non exspectata judicis sententia, sarcire debeat detrimentum [1] sua illatum fraude. Neque in animo nobis est eorum refragari auctoritati.

3. Id tamen praecipue statuunt de jure scriptorum. Non pauci enim silentio praetereunt diplomata *(brevets)* inventoribus concessa. Nec scriptor qui ita anteponit causam scriptorum nobis videtur mere esse *Cicero pro domo ;* sed re quidem vera, major de aliis privilegiis suboritur difficultas. Solent enim inventores isti, privilegio freti, valde, imo nimis augere rei pretium naturale, cum maximo multorum incommodo ; etiamque duriores, ut verisimile est, imponerent conditiones, nisi imitationibus vel harum timore cogerentur aliquem servare modum. Quare, in ipsa Hollandia, suppressa sunt, per aliquod saltem tempus, post legem a[i] 1869, haec privilegia. Quae cum ita sint, difficilius existimamus demonstrari posse verum hujusmodi privilegio constitui jus proprietatis ; nec pauci fortasse excusabunt imitandi conatum ut rationem se tuendi a nimiis exigentiis. Quocirca de his in sua quisque regione consulat communem legis interpretationem, praximque piorum.

---

[1] Patet id transferri non posse ad legitimas quae adduntur poenas.

4. Quod certum est, quae palam veneunt libri, instrumenta, liquores, etc., etsi fortasse contra legem monopolii sint confecta, a privatis sine scrupulo comparari possunt. Saepe enim emptio illa non est lege interdicta. Et nimium onus foret privatis si de istis inquirerere deberent et abstinere cooperatione, cui ille qui jus suum negligit videtur silentio suo tacite assentiri. Et si quis praeterea usus temperavit legis rigorem, is etiam potest tuta conscientia retineri.

251. De editione concionis, praelectionum alicujus magistri videtur perinde judicandum. Omissa lege positiva, si conciones, praelectiones vere fuerint in publico habitae, poterunt, salvo justitiae officio, sed saepe non item caritatis, mandari typis invito magistro vel oratore.

252. Expressioni photographicae personae easdem existimamus aptari rationes. Integrum tibi est latere domi. Si autem te dederis conspiciendum, non possis simul cohibere hunc usum exterioris figurae qui nullam tuae personae postulet invasionem. Quare sive scripto sive alia ratione corporis lineamenta in vulgus emittantur, per se non erit tibi facta injuria, nisi forte modus adhibitus contineat injustam detractionem. Rursus autem per leges variis incommodis est in hac re occurrendum.

253. *Quaeres* quodnam sit **objectum juris** quod leges constituunt scriptoribus etc.

Jus illud rationem habet alicujus *servitutis negativae* impositae libri exemplaribus ne ab alio quam scriptore, etc., adhibeantur in novam editionem. Hoc modo inhaerebit ipsis exemplaribus, eritque dominium imperfectum.

Potest etiam existimari esse perfectum dominium alicujus facultatis, facultatis vendendi librum, conficiendi rem, etc. Quemadmodum enim, praeter jus aliquid habendi, jus est faciendi vel omittendi, ita jus « exclusivum » faciendi quod pretium habeat temporale, habenda est vera proprietas. Ratio ista convenit in quodvis monopolium legale.

QUAESTIO SEXTA

DE POSSESSORIS PRIVILEGIIS

CONSPECTUS QUAESTIONIS

254. Quaestionis occasio et partitio. Possessio, de qua nunc agere destinavimus, non uni objicitur considerationi. Etenim :

1. Naturalis est via consequendi dominium rei nullius. Cfr. dicta de facto primigenio, **n. 214, 215.**

2. Annexa ipsi juri in re, continet ejus usum; sicque est mera res facti quae a nobis impune omittitur. Verum, quia fieri potest ut aliquis facto possideat et non jure :

3. Comparari potest unius possessio cum alterius jure incerto;

4. Comparari etiam potest cum alterius, qui possessionem amiserit, jure certo.

Inde, praesentem quaestionem, cujus perspicua est cum superiore conjunctio, in bina cogemus capita. Videbimus enim :

Priore capite, de conflictu possessionis et juris *incerti*, seu de *privilegio quo*, *in dubio juris*, *causa adjudicatur possessori.*

Altero capite, de conflictu possessionis et juris *certi*, seu de *privilegio praescriptionis.*

CAPUT I

DE POTIORE CONDITIONE POSSIDENTIS

Sanchez, *De Matrimonio*, l. 2, d. 41; *In Decalogum*, l. 1, c. 10, n. 10-15; *Molina*, tr. 2, d. 12-17 et d. 103, a n. 4; *Lessius*, c. 3, d. 9-13; *Pirhing*, *Jus canonicum*, in l. 2. Decr. t. 12; *C. de Lugo*, d. 2, n. 59-64; d. 17, n. 86, 94; *Lacroix*, *Theol. mor.* l. 3, n. 496, 563; *S. Alphonsus*, *Theol. mor.* l. I, n. 35-39; *Carrière*, *De justitia et jure*, 1033, 1034, 1093-1102; *Marrès*, *De justitia*, I. 384-399.

ARTICULUS I. Notiones et Conclusio

§ 1. *Notiones*

255. Quid et quotuplex possessio. 1. DEFINITIO. Possessio est proprie: *per se vel per alium detentio rei animo domini,* id est animo eam habendi pro sua. Ipsa detentio dicitur *corpus possessionis,* possessio *naturalis;* voluntas rem vindicandi pro sua, est ejus *animus.* Utrumque requiritur ad possessionem *civilem.*

2. DIVISIO. Possessio distinguitur:

Naturalis et *civilis.* Modo dedimus significationem satis usitatam horum verborum. Plures alias non refert huc commemorare. Cfr. v. gr. Lessium, c. 3, d. 10.

Justa et *injusta.* Haec, contra ac prior, adversatur alterius juri sive cognito sive ignorato.

Bonae et *malae fidei.* Prior conjunctam habet persuasionem de dominio vel jure; malae fidei possessor novit rem esse alienam, vel, de hoc dubitans, omittit moralem diligentiam requisitam ut saltem ope principii reflexi deponere dubium valeret aut rem interea servare donec de domino constiterit.

Vitiosa et *non vitiosa.* Prior est ejus qui vi vel clam possidet. Vitiis enim illis aufertur omnis efficacia possessionis. Observes autem vitia ista considerari comparate ad eum cui vis est illata vel celatur possessio. Unde quod ad alios possessio non censetur vitiosa.

3. OBJECTUM. Proprie possidetur tantum *res corporalis*. Notio tamen illa ad jura etiam transferri valet. Sicut enim ipsius rei possessor exercet facto jus dominii, ita qui in re jus quodlibet exercet dici potest *quasi-possidere* jus illud. Haec ergo juris *quasi-possessio,* quae, hodierno jure, jam sine addito vocatur *possessio,* constat usu juris tanquam corpore possessionis et voluntate exercendi jus istud tanquam animo.

4. REQUISITA. Ad *comparandam* rei possessionem requiritur, praeter animum rem sibi habendi, quaedam rei apprehensio sive vera sive ficta quae ex juris dispositione sit sufficiens : v. gr. traditio symbolica clavium domus. In paucis quibusdam casibus quis solo legis statuto censetur possidens sine ulla rei apprehensione vel etiam sine animo. Haec dicitur possessio *civilissima,* quia tota est a jure positivo. Ita, in jure gallico, possessio hereditatis transit in heredes legitimos *(ab intestato)* sine ullo illorum actu *(saisine héréditaire).*

Solo autem animo seu voluntate habituali *retinetur* rei possessio, quamdiu tamen res manserit in nostra potestate. Rursus autem, dispositione positiva nostri juris, possessio agri non est civiliter amissa nisi ab altero per annum fuerit ager occupatus.

256. Possessionis privilegia. Omnium gentium jura aperte favent possessori, tum quia possessioni pacificae inest quaedam praesumptio justi tituli, tum quia privilegia ista conducunt ad pacem et tranquillitatem publicam, sollicitantque civium diligentiam in rebus suis custodiendis. Quocirca, Alexander III : « De jure *divino* et *humano*, melior est conditio possidentis [1]. » Singula persequi privilegia pertinet ad uniuscujusque legis jurisperitos. Fere tamen ad bina recidunt genera. Nam vel possessorem

[1] C. Ad aures, 6, *De praescriptionibus* (II, 29). Jus autem *divinum* et *humanum* intelligendum est, ut videtur ipsa Glossa declarare, *canonicum* et *civile*. Verba porro divinum et humanum italicis literis sunt posita, quia pars sunt decisa, h. e. in corpore juris non assumpta.

eximunt onere probationis et ipsi, in dubio, rem addicunt, vel eidem tribuunt fructus rei possessae, quin imo rem ipsam, si modo quaedam accedant conditiones.

257. Quid, hoc loco, quaeramus. De priore hic agitur privilegio, et de hoc quidem possessionis commodo quod in jure [1] sic describitur : « Commodum autem possidentis in eo est, quod etiam si ejus res non sit qui possidet, si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio. »

Verum enimvero, tum de ejus ambitu disputatur in contrarias partes, tum de ejus origine quaestio moveri potest.

1. Et ad ejus *ambitum* quidem quod attinet, satis conveniunt « in pari delicto vel causa, potiorem esse conditionem possidentis, » quae est regula juris 65ª in 6°. Quid vero, quum validiores rationes adversentur possessori ? Nonnulli [2] obligant tunc possessorem ad concedendam adversario rem possessam, saltem pro rata parte, quam ex majori probabilitate volunt aestimandam ; dum plerique [3] censent ipsum tuto posse rem totam retinere et parem esse causam, donec res ex utraque parte sit dubia. Sanchez tamen et C. de Lugo exigunt ut possessor habeat pro se rationem probabilem (distinctam a possessione), dum alii, ut Lacroix [4], possessori, hoc solo quod possidet, jus certum ascribunt retinendi rem, donec adversarius liquido probaverit rem esse suam. Quod placet S. Alphonso, *Th. mor.*, l. I, n. 36.

2. Quod spectat *originem privilegii*, quaeritur utrum ipso naturae jure, an tantum lege positiva sit inductum. De illa re multi silent, fere omnes vix sine ambiguitate loquuntur. Attamen, ex absoluta ratione qua adhibent

[1] § 4 Retinendae, *Institutionum*, *De Interdictis* (IV, 15).

[2] Ita Coninck, Valentia et Sanchez in opere *De Matrimonio*, l. II, d. 41, n. 12.

[3] Sic Molina, d. 103, n. 8, 9 (in fine), Sanchez, *In Decal.* retractans priorem sententiam, l. I, c. 10, n. 9, C. de Lugo, d. 17, n. 86, 94.

[4] *Theol. mor.* l. III, n. 563.

principium possessionis, illud a natura sancitum agnoscere videntur Molina, C. de Lugo, Sanchez, locis supra citatis, et, si sibi constanter dicunt, omnes qui universale esse autumant principium possessionis. Idem apertius asseverant S. Alphonsus, l. I, n. 36; C. d'Annibale, I, n. 260; et conceptis verbis Lacroix: « Hoc axioma fundatur in jure naturae, uti recte Cardena in 1ª crisi, d. 51, n. 1241. Sic enim, etiam praescindendo a legibus humanis, foret contra jus naturae, possessorem spoliare sua re propter superveniens dubium. » (L. I, n. 496.)

De utroque ergo dubio sit,

§ 2. *Conclusio*

THESIS XVIII

Ipsa lege naturae sola unius possessio per se praeferenda est alterius juri incerto.

258. I. Status quaestionis. 1. INTENTIO THESIS. Conclusio simul ponitur de *origine* privilegii, quam contendimus esse naturalem, et de ejus *ambitu,* quo astipulamur benigniori sententiae Lacroix et S. Alphonsi.

2. EXPLICANTUR VOCES.

Ipsa lege naturae, idest etiam omissa positiva, consequenter tamen ad inductam divisionem bonorum.

Sola, ergo sine altero adminiculo alicujus rationis verisimilis quae suadeat possessionem esse justam seu a vero titulo profectam.

Unius possessio, presse sumpta, qualem eam descripsimus.

Per se. His verbis significamus posse fieri ut positivo statuto aliquid de illa vi detrahatur, res v. gr. sit dividenda inter possessorem cumque cujus « probabiliter » ostendatur propria. Similiter, in res quae positive excipiuntur ab iis quarum est commercium, nihil potest possessio.

Praeferenda est, ita ut interea — donec constet de alterius jure — res addicatur possessori et sanciatur hujus detentio.

Alterius. Ubi enim ejusdem sit possessio et verisimile jus, nulla habetur contrarietas, sed confirmatio privilegii possessoris.

Juri, quod sit contrarium ipsi possessioni. Jus autem illud potest esse perfecti dominii, quo possessionis eliditur vis omnis; vel usufructus, vel alterius juris in re, quo ex parte tantum enervatur ipsius rei possessio. Paucis, cujuspiam juris *dominio* cedit ejusdem juris, non autem alterius, *possessio*. Inter jura autem quae potiora sunt ipsa praesente possessione ponendum est etiam jus quod ex possessione habebat prior possidens qui vi vel fraude sua possessione esset privatus. Possessio ergo non confert per se privilegium contra illum respectu cujus fuerit vitiosa.

Incerto. Incertum vocamus jus de quo non constet moraliter. Sedulo tamen est animadvertendum, jus illud posse tum directe, tum indirecte constare. Ita, si dubium de vera proprietate inter paucos contrahatur, ita ut satis liqueat rem non pertinere ad possessorem sed ad unum ex paucis, quorum nulli tamen, separatim sumpto, suffragetur plus quam ratio verisimilis, paucis istis competit jus certum, ut vel uni ex ipsis res addicatur tota, vel inter ipsos partiatur. Haec ergo species facti a nobis hic relinquitur. Quare bonis quae dicuntur vere *incerta* [1] terminatur modus hujus argumenti.

259. II. Probatio.

Lex naturalis, quod ad res quarum est commercium, vult ut quae quis *materialiter* fecit sua habeat inviolate sua, dum ne alterius jus offendatur.

A. Per possessionem aliquis suas facit materialiter res possessas.

E. Eas inviolate habere potest, dum ne alterius jus offendatur.

---

[1] C. de Lugo, d. 7, n. 132.

Sed non offenditur jus nisi illius qui moraliter certum probet suum jus contrarium.

E. Ipsa lege naturae possessio per se praeferenda est alterius juri incerto.

Major constat ex thesi de jure proprietatis et facto primigenio. Inde enim sequitur vinculum quo quis rem ordinat ad bonum suum seu quo rem *materialiter* facit suam, *per se*, nisi alterius obstet jus, ab ipsa natura sanciri ut titulum veri juris.

Prior minor patet ex notione possessionis. Haec enim ab occupatione differt solo objecto, quod, in occupatione, est definite res nullius.

Altera minor eo probatur, quod, ut ostenditur in disputatione de probabilismo, obligatio incerta est obligatio nulla. Unde sic: Offenditur jus tantum negligendo correlativam obligationem justitiae. **A.** Possessor non habet obligationem justitiae nisi erga probantem morali certitudine jus suum contrarium. Haec enim obligatio nec *directe* demonstratur: id fert casus; nec *indirecte*. Quo enim medio ostendas possessorem teneri obligatione tribuendi rem ob jus *incertum* alterius? Ipsae controversiae palam faciunt hujusmodi obligationem non esse promulgatam.

Confirmatur dictis a jurisconsulta Paulo: « Qualiscumque possessor, hoc ipso quod possessor est, plus juris habet quam ille qui non possidet » [L. 2, D. *Uti possidetis* (XLII, 17)]; et a C. de Lugo: « Possessor bonae fidei habet pro se titulum legitimae possessionis, qui, dum non plane vincitur semper praevalet: habet enim se possessor sicut invasus et mere se defendens et ideo oportet ut omnino vincatur. » (D. 17, n. 86.)

260. III. **Difficultates.**

1. Possessio est res facti non juris. *E.* nullum tribuit jus.

R. Est res facti respectu veri et certi domini, *C.;* respectu aliorum, *subdist.* est res facti quae titulus esse valet juris, *C.;* quae id esse nequit, *N.* Facta enim alia sunt juridica, alia non.

2. Jura dicunt tantum: in pari causa favendum esse possessori. *A.* Par non est causa ubi possessori adversatur aliquis cujus jus est magis verisimile. *E.*

R. Nego suppositum.

Objecta enim regula est juris positivi quae valet etiam ubi inter paucos tantum ambigitur quisnam sit rei dominus; nos autem arguimus ex jure naturae quod per se exsistat, et de bonis agimus proprie incertis. Plerumque, insuper, causa dici potest par, sin minus gradu, saltem specie : cum utrimque fere semper sit dubia.

3. Ubi nulla ratio probabilis protegit possessorem, is non potest sibi comparare conscientiam quod res sit sua (Sic *Schild*, apud *Lacroix*, III n. 365).

R. Haec conscientia requiritur ut non reddat petenti, *nego ;* requiritur ut ipse sibi retineat rem, *transm.*

Definiendum id est ex casu. Nimirum, ut ait C. d'Annibale, « quoties controversia de dominio movetur possessori, non illud quaeritur, utrum reus (ipse) jure possideat, sed utrum actor jure petat. » (I. 240.)

4. Rationes contrariae praevalere possunt praesumptione orta ex possessione. — Praesumptio cedit veritati.

R. Nego suppositum, nos arguere ex praesumptione dominii penes possessorem. Nulla ceterum contraria est veritas, nisi constet de alterius jure.

ARTICULUS II. **Doctrinae supplementa**

I. *COROLLARIA.*

261. Violatio possessionis inducit, ut plerique volunt, restitutionis obligationem, etiam si invasor jure probabili innitatur. Repugnat enim certo juri possidentis. Atque haec est certa ratio probandi nullam privatam compensationem competere ei cujus jus sit mere verisimile.

262. Jus quod acquiritur possessione est jus conditionatum, corruens si comparuerit certus dominus, quo tribuitur facultas rem retinendi, ea fruendi, servata si fieri potest integra rei substantia, et sub onere restitutionis, si casus inciderit justae evictionis. Ipsa porro quantitas restituenda, pro fide bona vel mala possidentis, vario definietur modo, ut traditur in practica morum disciplina. Inde simul apparet jus illud possidentis prodesse vero domino rei incertae, si postea compareat, dum rei divisio inter eos qui probabiles afferunt rationes non parum ipsi noceret.

263. Conditionatus habendi animus quo quis velit sibi retinere rem, fortasse vel certo alienam, nisi comparuerit certus dominus, videtur, ob rationem factam, satis esse ad fruendum privilegio de quo nunc agimus. Ut tamen hujusmodi possessor postea immunis sit omni obligatione restituendi, oportet ut de vero domino satis inquisierit.

Hujusmodi tamen animus inutilis foret ad rem praescriptione acquirendam. Cfr. C. de Lugo, d. 7. n. 20, 21.

II. *SCHOLIA.*

264. Usus praesumpti juris. Praesumptio aliqua veri juris nobis, ut dicebamus, videtur impertinens ad praesentem thesim. Quando autem mere ambigitur, uter, possidentis vel adversarii, seu actoris, vere sit dominus, hujus jus erit moraliter certum, nisi probabilis ratio assistat ipsi possessori. Cfr. S. Alphonsum, I. 36. Probabilis ista ratio potest esse ipsa praesumptio juris quae facto possessionis per se cohaeret. Tunc ergo, etiam in nostra sententia, erit utendum praesumptione.

265. Ratio boni communis. Licet bonum commune postulet ut stabilitati et securitati dominiorum consulatur et occurratur litium frequentiae, haec tamen ratio, qua movetur princeps ad legem ferendam, non probat aliquam legem ab ipsa conditam natura. Cfr. Bouquillon, *Theologia fundamentalis*, n. 296.

266. De possessore malae fidei. Verbis et generali ratione thesis cogimur ipsum illud privilegium tribuere possessori malae fidei. Verum, quia jus habeas repellendi alterum, cui deest certa ratio rem pro sua vindicandi, non ideo eximaris onere restitutionis de quo agebatur n. 261, 262. Ita ergo rem totam definiemus: Possessor qui mala fide rem occupavit incerti domini, tenetur illam servare donec spes sit verum inveniendi dominum. Qua spe sublata, in pium quemdam usum erit ab ipso res impendenda. Interea tamen, quod ad eos qui jus certum non probant, fruitur possessoris privilegio. Quod sine ullo incommodo concedi posse arbitramur.

Doctrina ista, quatenus etiam malae fidei possessori aliquem potiorem tribuit locum, praeclare confirmatur his verbis C. d'Annibale: « Sin dubitans (inieris possessionem, a fortiori si conscius injuriae) dubio practico, pene communissima sententia docet, rem esse restituendam, saltem pro rata dubii. Ita porro, cum de ipsa possessione controvertitur, id est, cum non satis apparet, uter sit in possessione, actor, an reus; at cum de proprietate movetur quaestio, vereor ne vera sit haec sententia. » Ita n. 121. In nota autem (32) haec subdit. « Nempe, aiunt, is qui b. f. iniit possessionem, si postea dubitare coeperit, poterat certam sibi conscientiam efformare ea juris regula: « In dubio melior est conditio possidentis »; qui eam iniit in m. f. non item. Et cur, sodes? Nempe, ait C. de Lugo, d. 12. 86. « Quia possessor dubiae fidei vere et in rigore non possidet legitime, sed conatur possidere. » Sed 1° haec ratio, absit verbo invidia, falsa est; nam et fur possidet, et ipse Lugo id fatetur (§ 128, 6): leges autem vitiosam quoque adversus extraneos possessionem tuentur. (L. ult. De A. P. Sic ipse, sed est l. 1 ff. XLIII, 17). Nec 2° profluit ex natura possessionis, quae cum in facto, non in jure consistat, eadem intelligitur et cum initur et postquam inita fuit (*Donell*, l. V. VI. 10); et ideo meliorem possidentis conditionem facit, quia is qui intendit rem suam esse, id liquido probare debet (V. Prol. § 260). Nec 3° ex natura b. vel m. f. profluit, haec enim nihil aliud est quam possidentis existimatio, quae nihil mutat, nec juri cujusquam, quod objectivum aliquid est, quidquam addit aut detrahit. Duo, ego et tu, rem in via inventam sustulimus, quam tu derelictam, ego deperditam existimavi; aut a Sejo fundum emimus, quem tu venditoris, ego Caii esse putabam: serius Caius intendit, sed non probat, rem a se deperditam fuisse, fundum suum esse: quid tua b. f. juri tuo adjicit, aut Caii juri detrahit? Omnino nihil. Quî igitur tu uti possis adversus Caium ea regula juris: « In dubio melior, etc. », ego non possim? Num forte in odium malae fidei? Verum nulla poena sine lege, nec extraordinaria, vel positiva (qualis haec) sine judice (Prol. § 309, 45). Sane, qui contraxit matrimonium, dubius impedimenti (excepto impedimento ligaminis, quia prius matrimonium possidet), post rem frustra exploratam, licite petit (S. Alph. VI 906). Et is qui, putans se irregularem, acceptavit beneficium ecclesiasticum, fructus suos facit (V. Prol. § 404). Et S. Poenit. 16 Jan. 1837, respondit, absolvi posse eum, qui moderatum lucrum ex mutuo perceperat cum dubia vel mala fide, dummodo paratus esset stare mandatis Ecclesiae. (Ap. Gury, I. 878.) Verum, quam recte haec dixerim, forte omnium primus, viderint sapientes. »

CAPUT II

DE PRAESCRIPTIONE

Molina, Tr. 2, d. 60-80; **Lessius**, l. 2, c. 6; **G. de Lugo**, d, 7; **S. Alphonsus**, *Theologia moralis*, l. 3 (4), 504-517; **Carrière**, *De justitia et jure*, 395-500; **Waffelaert**, *De justitia*, I. n. 211-262; **C. d'Annibale**, *Summula Theologiae moralis*, II. n. 139-154, 241; **Ballerini-Palmieri**, *Opus morale*, t. 3, tr. 8, p. 1, c. 5 (n. 262-483); **Lehmkuhl**, *Theologia moralis*, I, 917-927; *Das burgerliche Gesetzbuch des deutschen Reiches*, p. 57 sq.; 245 sq.

ARTICULUS I. Prima informatio controversiae

267. Notiones de praescriptione. 1. PRAESCRIPTIO, sic appellata ab exceptione praescripta a Praetore in formula qua judicem concedebat [1], ita ut primo designarit quemlibet modum repellendi actorem, nominatim dein supposuit pro illa defensione quae ex temporis intervallo quaeritur *(praescriptio temporalis)*. Inde, ut ad praesentem usum nos convertamus:

Praescriptio, latiore acceptione [2], *significat* modum acquirendi jura vel repellendi actionem aut exstinguendi obligationes, a lege concessum ei qui per definitum tempus in possessione est juris aut facto liber fuit ab exsequenda obligatione.

Sic intellecta praescriptio *dividitur* in praescriptionem *acquisitivam* seu *usucapionem*, quae tribuit tum actionem ad vindicandum jus, tum exceptionem ad repellendum adversarium; et *praescriptionem* stricte dictam seu *liberativam,* quae mera est exceptio.

2. FIDES, quae in hac re plurimum est attendenda ut dignoscatur praescriptionis efficacia, est mentis persuasio seu conscientia qua quis vel rem servat vel aliquid praestare omittit.

---

[1] Cfr. Gaium, IV. 132.

[2] Hanc tamen intelligas quae respiciat jure privata. De praescriptione enim juris politici et jurisdicttone ad nos non pertinet hic disputare.

Quae mentis exsistimatio, si congruit cum animo seu intentione quam de re habeas, ita ut nihil velis vel agas quod nefas tibi esse arbitreris, *bonae fidei* nomine compellatur.

Huic contraria est *mala fides positiva*, qua quis pro sua retinet rem quam conscientia vetatur saltem pro sua tenere, vel qua contra dictamen conscientiae debitum quodpiam non solvit.

Inter utramque conscientiam veluti *medius* est *status* illius qui de jure alieno non dubitat, simul autem vel per accidens, v. gr. ob impotentiam, excusatur a solvendo debito, vel, ob naturam alieni juris, nihil, nisi forte rogatus, positive habet praestandum. Hinc enim nequit habere fidem positivam quod nihil debeat ; illinc autem nihil agit vel omittit contra conscientiam.

Ex dictis apparet eum non versari in mala fide qui, quamquam non prohibet alterum exercendo suo jure servitutis activae, v. gr. itineris, sinit tamen eum non agere ; vel qui exspectat, dum sententia feratur, ad solvendam poenam quae non debetur nisi post judicis sententiam; contra autem, mala inquinari fide qui cum dubio juris alieni coepit presse possidere [1]. Non licet enim ipsi habere animum rem absolute habendi.

Civilis vocatur a C. d'Annibale, II, 140, fides seu persuasio quae stat conditionibus lege civili praeceptis. Sic non raro leges positivae non exigunt bonam fidem nisi in initio possessionis [2], vel, severiores jure naturae, rejiciunt bonam fidem quae errore juris nitebatur. Dubitabatur, v. gr., utrum necne cum juris errore haberi posset fides requisita a lege romano et canonica.

268. Res disputatae et sententiae. De Praescriptione *triplex* potissimum movetur *quaestio*.

1. De *origine* ejus quaeritur utrum sit a jure naturae, an gentium, an a lege stricte positiva. Facile convenit, ad perfectum ejus regimen opus esse positivis dispositionibus quibus tempus et conditiones definiantur ; omnibusque notum est ubique vigere aliquod jus praescriptionum, ita ut haec saltem in praescriptionem quadret materialis

[1] C. de Lugo, d. 7, n. 17, 18.
[2] Ita l. 44. § 2, D. XLI, 3.

descriptio juris gentium qua dicitur : jus civile plurimarum gentium.

Non paucis placuit *jurisconsultis* quamdam praescriptionem juri naturali ascribere, quo melius explicarent efficaciam praescriptionis inter gentes et quod ad extraneos.

Reuter [1], quem sequi videtur R. P. Lehmkuhl, I, 917, substantiam istius instituti putat referendam ad jus gentium. A qua opinione alienus non est Grotius, op. cit., l. 2, c. 4, n. 9.

Plerique *theologi et canonistae* jus illud lege civili vel canonica fundatum esse exsistimant. Cfr. S. Thomam, quodlibeto 12, art. 25 ; Molinam, t. 2, d. 6 ; C. de Lugo, d. 7, n. 6 ; Schmalzgrueber, *Jus canonicum,* in l. 2, t. 26, n. 4 ; Ballerini-Palmieri, *Opus morale,* III p. 129, etc.

Nobis videtur, jam per se, ob nimium temporis spatium, moraliter abrumpi posse vinculum inter rem et dominum, quod juri dominii efficienter antecedit (n. 215), praesertim quum concedant hoc modo perire posse jurisdictionem seu politicam dominationem. Vigens tamen praescriptionum jus, praesertim civile, ex sola lege humana arbitramur valere. Neque in hac quaestione, cujus modica est utilitas, magis immorabimur.

2. Altera autem, de *vi legum humanarum,* quaeritur utrum possit sanctione positiva constitui praescriptio ut verus titulus dominii vel liberationis in foro interno seu conscientiae, an foro externo omnis ejus efficacia circumscribatur.

De hoc *olim* satis diu est dubitatum. Ipse S. Raymundus, de eo qui post perfectam praescriptionem noverit se rem alienam possedisse, ita scribit : « Diversi diversa sentiunt. Theologi fere omnes dicunt quod tenetur restituere : omnes fere doctores juris dicunt contrarium. » *Summa,* l. 2, t. 5, § 15 versus finem.

---

[1] *Theologia moralis,* p. 3, n. 85.

Priorem sententiam tenebat adhuc Zech, *De jure rerum ecclesiasticarum,* sect. IV, § 576-578.

Alii tunc solum concedebant praescriptionem tenere in conscientia, quum res titulo oneroso comparata esset, vel quum is contra quem praescribitur negligentiae esset insimulandus. Sic Adrianus VI, apud Mol. tr. 2, d. 61, n. 5 et alii.

Hodie vero fere inter omnes convenit, ut contendebant Molina, Lessius, C. de Lugo, Schmalzgrueber, etc.. quibus praeivisse videntur S. Thomas et Scotus, id posse et saepe efficere legem humanam ut praescriptione jura etiam in foro interno acquirantur et amittantur ; et controversia huc pertinet de quibus in specie legibus id sit affirmandum. Quae disceptatio a nostro proposito est aliena.

3. Huc proxime accedit, *de fide requisita,* tertia quaestio, possitne annon beneficio legis id ferentis, praescribere etiam is qui bona fide destitutus sit; seu, ut generalius dicamus, quousque, obstante lege naturae, inefficax sit statutum humanum quod sine fidei respectu sanciat praescriptionem. Quocum cohaeret illud alterum, utrum necne hujusmodi leges sint positive reprobandae.

Post decretum Concilii lateranensis IV, de quo statim, solent *plerique theologi,* ad effectum praescriptionis in conscientia, postulare hanc bonam fidem qua quis *per totum tempus* necessarium ad praescriptionem [1], se existimat jus habere vel nulla teneri obligatione. Atque inde recentiores nonnulli, quorum agmen ducit Ballerini, satis violenter invehuntur contra leges modernas, eas potissimum quae codice Napoleonis continentur. De his cfr. Scholia.

Seponunt tamen casum servitutis passivae, qua quis mere obligatur ad patiendum in agro suo aliquam alterius actionem vel opus, utputa servitutem itineris. Concedunt

---

[1] Quo tempore elapso, scientia praeteriti erroris jam nequit nocere, cum ipsa completa praescriptio justo tibi sit titulo immunitatis vel dominii.

enim praescribi posse, cum juris alieni conscientia, contra hunc alterum qui negligat per tempus lege statutum exercere jus suum.

Potestne illud transferri in pecuniam quam quis non debeat solvere nisi rogatus, ita ut liber per se fuerit a debito si per tempus praescriptioni requisitum creditor omittat petere solutionem ? Ab hac sententia non videtur alienus Molina, d. 66, n. 10 ; eamque magis diserte tuetur Pichler, *In jus canon.* l. 2, t. 26, n. 32, 33.

Moderatius etiam dicit C. de Lugo, d. 7, n. 48 : « Si lex introduceret ob bonum publicum quod aliquis *sine possessione bonae fidei positivae,* sed tamen *absque mala fide* aliquid praescribere vel quasi praescribere posset, non videtur id ex natura rei illicitum..... Cur ergo similiter non posset aliquando lex civilis ob aliquod publicum bonum introducere, ut qui absque culpa debitum aliquod pecuniarium per decennium non solvit, eo ipso liber remaneat, licet toto illo tempore sui debiti conscius fuisset ? » (Cfr. etiam n. 42, 52).

Denique, recens, R. P. Slater [1] haec scribebat : « Bona fides in praescriptione liberativa consistit in hoc ut nullum impedimentum ponatur quominus alter jure suo uti valeat. »

269. Vis decreti lateranensis. Aliquid praecipuum ergo est in illa re accurate resciscere quaenam sit vis canonis 41 Concilii oecumenici lateranensis quarti (a° 1215) quod in jure canonico, c. ult. *De praescriptionibus* (II, 26), ita exscribitur :

« Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica quam civilis, quum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque *mortali peccato* non potest observari. Unde oportet, ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae. »

---

[1] *De justitia et jure,* n. 43.

Agedum, concilium istud, quod pluribus dispositionibus, nominatim canonibus 39 et 40, rigorem Juris civilis vel temperat vel ad aequitatem revocat canonicam aut naturalem, hoc suo decreto directe derogare vult iis legibus romanis quae etiam malae fidei possessori concedebant beneficium praescriptionis; potissimumque respicit ad l. 4. § Si antequam, D. *De usucapionibus*, vi cujus, possessione 10 vel 20 annorum, comparabantur res immobiles si modo bona fide possideri coeptum esset. Inscribitur enim ille canon : *De continuatione* bonae fidei in omni praescriptione.

Hujusmodi porro derogationis affertur, tamquam *proxima* causa, generalis definitio : « Nullam valere absque bona fide praescriptionem etiam civilem. » Cujus ratio *penitior* est quia ex quo, ante acquisitum aliquod jus, noveris rem esse alienam, non poteras contra dictamen conscientiae eam retinere : « Omne quod non est ex fide, id est persuasione conscientiae, peccatum est. » *Epist. ad Rom.* XIV, 23. Contra quam obligationem, cum nihil possit statutum civile, peccaret qui illo stare vellet, ideoque est ei derogandum. Hactenus literalis expositio.

Inde, quod ad vim decreti, *directe* non attingitur nisi praescriptio acquisitiva. Doctores tamen autumant regulam transferendam esse etiam ad praescriptionem *liberativam :* rationem enim afferri generalem et parem esse causam [1]. Cui conclusioni non repugnamus, modo id fiat *caute et prudenter,* bene perspecto hujus canonis *fundamento.*

Caute et *prudenter*, inquam, ne qua excidat ratio disparitatis. Nec plane aequari posse usucapionem cum praescriptione liberativa, nonne jam satis suadetur usu fere perpetuo legum civilium, quae ad fidem longe minus attendunt in praescriptione quam in usucapione ? Ita jam in lege romana, ita in jure gallico et italico, ita in ipso recentiore codice Germaniae qui, etsi, art. 937, inter

[1] Cfr. C. de Lugo, d. 7, n. 50 ; C. d'Annibale, II, 153, etc.

usucapionis conditiones posuerit bonam fidem per totum tempus continuatam, nullam tamen fidem exigit ad civilem *praescriptionem*. Cfr. art. 194-197.

Fundamentum autem lateranensis canonis paucis sic redditur : quia non potest publica potestas auctoritatem suam praestare fraudibus et spoliationibus. Ita Gonzalès, *Commentar.* in hoc juris caput, n. 15.

ARTICULUS II. Formula et argumenta sententiae

THESIS XIX

Lege humana valide et opportune induci valent tum usucapio juris realis, tum praescriptio qua obligatio vere exstinguatur.

Per se tamen malae fidei possessori vel debitori nefas fuerit frui legis beneficio.

Neque idcirco iniquae existimandae sunt leges quae sine respectu fidei actionem post definitum tempus perimunt.

270. I. **Status quaestionis.** 1. INTENTIO THESIS in tria fertur. *Prima* enim *parte*, hanc cum communi hodie sententia vim tribuimus legi humanae, qua, ope praescriptionis, etiam in foro interno jura dare aut solvere valeat. Quam tamen vim negamus, *in secunda parte,* eo per se patere, ut malae etiam fidei concedat emolumentum. Hac exceptione concedimus etiam auctoritati concilii lateranensis. *Tertio* denique *loco* statuimus minime improbandas esse leges, quae, omissa fidei consideratione, simpliciter supprimunt actiones.

2. EXPLICANTUR VOCES.

Lege humana, quae canonica erit in rebus ecclesiasticis, civilis in profanis,

Valide, seu efficaciter,

Et opportune, seu utiliter, ita ut sint laudandae,

Induci valent, omissa quaestione de prima origine, an haec forsan sit naturalis,

Tum usucapio, seu praescriptio acquisitiva,

Juris realis: non una enim proprietas, sed etiam usus-fructus, usus, habitatio et cetera jura in re praescriptione

per se acquiri possunt, si lex ad ista protulerit praescriptionis imperium. Quod re contigit de plerisque his juribus, exceptione facta quarumdam servitutum.

Tum praescriptio, pressius dicta, seu liberativa,

Qua obligatio, nec tantum actio coram magistratu,

Vere exstinguatur, i. e. in utroque foro.

Per se tamen, seu plerumque, nisi alia ratio boni communis universaliorem postulet efficaciam. Exempla dabimus in proxime sequente articulo.

Malae fidei, saltem positivae illi quae supra est explicata. Quid de illo qui in medio versetur statu, cfr. n. 278.

Possessori, seu qui velit usucapere,

Vel debitori, qui velit praescriptione absolvi,

Nefas fuerit, seu superiore Dei lege prohibitum,

Frui legis beneficio, etiamsi litera non exigatur bona fides.

Neque idcirco. Hactenus nihil de legibus quae nullam bonae fidei injiciunt mentionem. Nec de omnibus ponetur thesis, sed de iis tantum quae mere negant actionem. De aliis infra, 278 et 283.

Iniquae existimandae sunt leges: valent ergo, nec sunt reprehendendae,

Quae, sine respectu fidei, proindeque non attendentes ad malam fidem. Huic enim se favere nulla lex diserte profitetur.

Actionem, non ipsum jus, cui sic mere aufertur praesidium civile,

Post definitum tempus, definitum intelligas ipsa lege,

Perimunt, ita ut actor causa cadere debeat, nec reus a judice plecti possit.

3. NOTA THESIS. Tres partes damus pro *philosophice* certis. Secunda, praeterea, etiam *theologice* certa est habenda ex auctoritate concilii lateranensis.

II. **Probatio.**

271. A. PRIMAE PARTIS. ***Lege humana valide et opportune induci valent tum usucapio juris realis tum praescriptio qua obligatio vere exstinguatur.***

N. B. Quia valor legis, utpote ordinationis ad bonum

commune, arte cohaeret cum ejus opportunitate; et rationes fere communes sunt usucapionis et praescriptionis, varia hujus partis asserta uno complectemur ratiocinio.

1 Arg. Ex ratione. Valide et opportune feruntur leges quae pars sunt sapienter ordinati regiminis privatarum possessionum. Vidimus enim, in thesi XVI, hanc ordinationem pertinere ad publicam potestatem.

A. Hujusmodi sunt leges quae inducunt usucapiones et praescriptiones quibus ipsa afficiuntur jura et conscientiae obligationes. *E.*

Probatur minor, indicando varias communes utilitates quae manant ex his institutis. Et re quidem vera, per ea :

a) *Rerum dominia magis evadunt certa.* Sine usucapione, invicte vix probari posset rem esse alicujus, quum repetendum foret a primo occupante et demonstranda legitima possessio omnium qui ab eo rem eo ordine acceperint.

b) *Quam plurimae et difficillimae amputantur lites.* Sublatis enim usucapione et praescriptione, tum possessori tum debitori querelae moveri possent ex causis antiquissimis : quo magis autem ex antiquo fonte fluit lis, eo difficilius dijudicatur et eo fit diuturnior.

c) *Praeciduntur non pauca civium odia et dissidia.* Non tantum ipsae lites odia parere consueverunt, sed quamdiu adversarii jus aliquo modo manet in incerto, multiplex ansa datur suspicionum et jurgiorum quibus turbantur pax et animorum concordia.

d) *Prospicitur securitati pactionum.* Qui emptione, hereditate, etc. aliquam rem comparaverit, nisi praescriptionum praesidio esset munitus, vix securam habere valeret rei possessionem, vel de viribus hereditatis fieri certior.

e) *Liberantur cives onere nimis gravi* servandi perpetuo apochas debitorum et varia instrumenta.

f) *Auferuntur pericula peccandi et conscientiae timores.* Saepe, nisi esset praescriptio, oriretur, magno damno rei familiaris, obligatio se privandi bonis bona fide diu possessis. Quae necessitas, quo minus voluntariam haberet

causam, eo durior videretur et animum magis ad peccandum provocaret. Viris vero timoratae conscientiae quot anxietates ex ipsis dubiis manarent !

g) *Exstimulantur animi hominum ad diligenter res suas curandas.* Nam qui novit se jure decessurum nisi mature egerit, valde incitatur ad solertiam atque industriam.

Neminem fugiet, non singulas quidem sed plures tamen rationes, v. gr. sub litt. a) d) f) g), eo spectare ut requirant aut suadeant praescriptionem quae etiam in foro conscientiae sustineatur.

His addas, ex diuturna possessione vel ex diuturno silentio creditoris nasci validam praesumptionem juris vel solutionis ; segnitiem autem non immerito quadam affici veluti poena ; praeterea ad facultates quas suas esse putabat possessorem vel debitorem, post longum tempus, stabili ratione exegisse expensas : nec dubitare quidem poteris quin curras in sententiam auctorum quos statim commemorabimus, qui summis laudibus has providas institutiones extulerunt.

2 Arg. Ex auctoritate :

a) *Concilii lateranensis,* quod, improbando praescriptionem mala fide vitiatam, indirecte eamdem bona fide munitam admittere videtur ;

b) *Utriusque legis canonicae et civilis;* et civilis quidem fere omnium gentium, quae, ut probabilissima certe tenetur sententia, ipsorum jurium statuit praescriptiones. Quid quod in ipso civili jure rationes afferuntur plane nostrarum similes. Cfr. in 50 libris *Digestorum*, legem 5, *Pro suo* (XLI, 10) ; l. 2, princ. *De aqua et aquae pluviae arcendae* (XXXIX, 3) ; l. 28, *De verborum significatione* (L, 16) ; et in *Codice*, l. 7, princ. *De praescriptione triginta vel quadraginta annorum* (VII, 39).

c) *Jurisprudentum et theologorum.* Cicero, *Pro Caecinna,* c. 26, usucapiones appellat « finem sollicitudinis ». « Bono publico usucapionem introductam esse » affirmat Gaïus, citatus l. 1. D. *De Usurp. et Usucap.* (XLI, 3). Cassiodorus,

in epistola scripta nomine Theodorici regis [1] haec habet, quae jam proverbii loco dici solent : « Tricennalis humano generi patrona praescriptio. »

Longo autem agmine citari possint, praeeunte D. Thoma, inter theologos maximae scientiae et virtutis, qui hanc vim et efficaciam praescriptioni tribuere non dubitant. Conclusio ergo manifestissima convincitur.

272. SECUNDAE PARTIS. ***Per se tamen malae fidei possessori vel debitori nefas fuerit frui legis beneficio.***

1 Arg. Ex decreto Concilii lateranensis. Haec enim saltem conclusio continetur principio generali ibi dato : « Definimus ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica quam civilis. » Nec juvat excipere praescriptionem liberativam, cum *per se* saltem omnino par sit utraque causa et conclusionem ponamus ut veram tantum *per se*. Ceterum de illatione consentiunt theologi, qui potius ultra proferunt vim istius decreti.

Confirmatur 26ª Regula Juris : « Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit. »

2 Arg. Ex ratione. Nefas est frui beneficio legis quae a superiore naturae lege omni robore destituitur.

A. Lex quae niteretur ditare vel exonerare possessorem vel debitorem malae fidei positivae per se infirmatur a natura. *E.*

Prob. minor, quia per se adversaretur bono communi. Facile enim apparet, argumenta data in parte prima id non efficere ut e republica sit veluti praemium concedere continuatae malae fidei positivae ; sed contra, publico bono expostulari, ut, quantum fieri possit, hominum malitia legibus coërceatur. Nisi ergo ratio boni communis, aliunde petita et praevalens, universaliorem postulet efficaciam praescriptionis, i. e. *per se,* lex quae malae fidei concederet praescriptionis beneficium adversaretur bono communi.

---

1 *Variarum* l. v. Epist. 37 h. t. Ita Carrière, 418.

273. TERTIAE PARTIS. *Neque idcirco iniquae existimandae sunt leges quae sine respectu fidei actionem post definitum tempus perimunt.*

Hujusmodi enim leges defenduntur rationibus absolutis seu universalioribus, nec favent positive malae fidei vel peccato.

E. Minime sunt improbandae.

Probatur antecedens. a) Haec enim absolute, sive bona sive mala fides intercesserit, procurant, ut de rerum dominio plane constet in foro externo et securitati pactionum in eodem foro caveatur; ut numero deminuantur forenses controversiae, eae praesertim quarum antiquior foret causa; ut foveatur civium diligentia. Quis non videt haec omnia ad bonum commune plurimum conferre? His addas esse cur in foro exteriore minus attendatur ad actoris vel rei fidem: fides enim est probatu difficilis spectatque ad interna, de quibus, ut aiunt, praetor judicare non solet.

b) Nec positive favent peccato, cum, denegando actionem, mere praesidio suo exteriore privent quaedam civium jura: non oportet autem ut humana lex omnia tueatur jura vel omnia peccata puniat, sed ad bonum commune societatis humanae suas exigere debet sanctiones.

274. III. **Difficultates.**

1. CONTRA PRIMAM PARTEM.

a) « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura » (reg. 48ª juris 6°). *A.* Id fit ex praescriptione. *E.*

R. D. maj. Cum alterius injuria proprie tali, *C.* cum jactura, *Subdist.* auctoritate privata aut sine justa causa, *C.* secus, *Nego. Contradistinguo min.* Praescriptione id fit: cum alterius injuria, *N.;* cum alterius jactura, *Subdist.* et publica auctoritate et ob justam causam, *C.*, secus, *N.*

Inst. Atqui, α) fit cum alterius injura β) saltem non adest justa causa.

α) Nemo enim privandus est sua re sine culpa. *A.* Saepe

non habetur culpa illius contra quem praescribitur. *E.* *R.* Nisi ratio boni communis aliud postulet.

Inst. Quando aliquis privandus est sua re ob bonum commune, jus habet ad aequam compensationem, ut v. g. observatur in « expropriationibus ». *A.* Hic nulla compensatio. *E.*

R. Distinguo maj. Quando ipsa privatio immediate cedit n utilitatem communem, *C.;* quando immediate cedit in utilitatem privatam alterius et id tantum factum est propter bonum commune ut jus statuatur unde utilitas illa privata comparari possit, *N. Contradist. minorem.* Et, quod ad exemplum additum, *nego paritatem.*

Duplex enim est disparitas, qua simul declaratur distinctio majoris. a) Singulae « *expropriationes* » faciendae sunt ob causam publicam: facile ergo intelligitur locus esse publicae compensationi, ut inter omnes aequabiliter partiatur onus publica causa susceptum. Singulae autem *praescriptiones* sunt ordinis mere privati et sola lex qua sanciuntur lata est ob bonum commune. Non magis ergo jurium mutationes quae ob istam causam fiunt quam quibus alii locum dant modi acquirendi vel amittendi bona postulant ut aliquid ex aerario rependatur. Ceterum, concessa hujusmodi compensatione, praescriptio foret potius ratio gravandi fiscum quam commutandi jura privata. b) *Praescriptio* pars est definita et omnibus nota regiminis bonorum in societate vigentis. Ejus effectus aeque imminent omnibus qui bona possident, nec de laesa aequalitate inter cives aliquis conqueri potest, cum sit communis restrictio perpetuitati possessionum apposita. Cfr. optima apud Carrière 418, I, 1. Ad « *expropriationem* » vero quod attinet: non potest quis, utendo diligentia, eam praevidere vel impedire, neque attingit aequaliter omnes.

β) Justa saltem desideratur causa. Namque ad tranquillitatem publicam et exstinctionem litium, sufficit praescriptio actionis. (Ita Zech, *Inst. can.* s. IV, § 576-578).

R. Negantur hae causae esse omnes. Cfr. demonstr.

b) Praescriptio non conceditur nisi possessori bonae fidei. *A.* Statim ac quis novit rem quam possidet esse alienam, bonam fidem amittit. *E.* Rem reddere debet, etiam elapso tempore, cum deficiat ipsum fundamentum praescriptionis.

R. C. maj. Dist. min. statim ac quis novit, etc., ante elapsum tempus requisitum, *C.* post elapsum, *N.*

Etenim, in usucapione, quamdiu « existimatio mentis correspondet animo », tamdiu est bona fides [1]. *A.* post completum tempus, *auctoritate legis*, suam existimare potest rem quam antea ex ignorantia pro sua quis possidebat.

c) Cui adjudicatur per sententiam res quam novit alienam, non licet eam tenere. *E.* Pariter cui adjudicatur per legem.

R. D. per sententiam *declarativam*, quae est usitatior, *C.*; per sententiam quae jura *attribuat*, *N.* Sententia enim declarativa nititur praesumptione, quae cedit veritati. *Ad cons. Negatur paritas*, cum lex de praescriptione non nitatur mera praesumptione.

De sententia vero quae adjudicat, S Thomas, II. II, q. 66, art. 5 ad 1, haec habet : « Accipere rem *alienam* vel occulte vel manifeste auctoritate judicis hoc decernentis, non est furtum, quia jam fit sibi debitum per hoc quod sententialiter sibi est adjudicatum. »

2. CONTRA SECUNDAM PARTEM.

a) Circumstantia bonae vel malae fidei non mutat jura potestatis publicae in bona civium. *E.* Videtur posse tradere dominium possessori malae fidei.

R. D. maj. Non mutat jura proprie, *C.* Non mutat materiam circa quam exercentur, *N.*

Nam potestas publica non potest arbitratu suo, sed tantum ad bonum commune procurandum disponere de bonis civium. Addictio autem rei possessori malae fidei noceret bono communi, nedum illud promoveret.

Inst. Ad bonum commune confert ut vitentur lites antiquae, etc., quae rationes tenent etiam si possessor fuerit malae fidei.

R. Et ad hoc satis est ut in foro externo lis perimatur, ut dictum est in tertia parte.

b) Saltem in praescriptione usurarum non est exigenda bona fides. (Cfr. Carrière, 425). Etenim, quae non debentur nisi ex lege, lege simpliciter dissolvi possunt. *A.* Usurae ex lege eas permittente tantum fiunt justae seu debitae. *E.*

---

[1] C. de Lugo, d. 7, n. 16.

R. Nego assertum: et, ad ejus confirmationem, *distinguo maj.* Quae per se et proxime non debentur nisi ex lege, lege simpliciter dissolvi possunt, *C.* Quae per accidens et remote tantum, *N. Contradistinguo min.* Per se et proxime usurae fiunt justae ex sola lege, *N.* Per accidens et remote, *transmitto.*

Sunt quidem, ut infra videbimus, qui universalem facultatem exigendi fenus repetunt ex lege positiva; sed, in hodiernis adjunctis, plerumque saltem aderit alius titulus, qui dicitur extrinsecus, ob quem omnes permittant istas stipulationes. Per accidens ergo, etiam si illam opinionem sequamur, erunt legi civili ascribendae licitae usurae. Neque etiam tunc usurae debebuntur proxime ex lege, verum fons immediatus fere semper erit pactio, quae, secundum istam sententiam, ex lege fit licita. Tunc tantum usurae immediate debentur ex lege, cum agitur de illo fenore quod ipsa lege statuitur solvendum. Huicque legali obligationi non diffitemur posse per legem derogari, sine respectu fidei debitoris. Verum fieri nequit ut ob istas causas, parum frequentes, jus petendi usuras arbitratu principis concedi possit vel auferri.

3. Contra tertiam partem.

Injusta est lex quae favet fraudi. *A.* Lex quae sine respectu fidei perimit actionem favet fraudi. *E.*

R. D. Quae favet per se, *C.* per accidens, *Subdist.* Quae favet positive, *C.* permissive, *N.*

Per se favet bono communi, paci ac tranquillitati publicae. Per accidens utique non quidem approbat sed non cohibet fraudem; nec jus creditoris tuetur. Sed non pertinet ad legem humanam omnia cohibere (S. Th. I. II, q. 96, art. 2); singulorum vero jura tueri debet, quantum ad finem societatis civilis expediens sit.

Articulus III. Supplementa doctrinae

I. *COROLLARIA.*

275. De servitute non faciendi. Qui obligatur tantum ad abstinendum aliquo faciendo opere, v. gr. ad non altius aedificandum, quamdiu non facit, reapse praestat id quo tenetur nec proin praescribere incipit. Aliter respondendum foret de servitute passiva qua quis alterius actionem tolerare debet. Diuturna istius actionis omissio priori ansam dat se liberandi ope praescriptionis, quae, ut vidi-

mus n. 268, 3, nullam postulat bonam fidem positivam.

276. Mala fides debitoris non nocet creditoribus. Etsi ergo ipse debitor ob malam fidem prohibeatur repellere creditores cujus creditum est civiliter praescriptum, id tuta conscientia facere poterunt alii creditores. Neque iniqua est lex quae, ut C. G. art. 2225, hanc ipsis facultatem facit. Majoris enim diligentiae, nullius autem fraudis reportant hi praemium.

277. De successoribus : 1) Si *particulari* successerint titulo, non est major difficultas. Quamvis enim ipsis non prosit possessio decessoris qui mala fuerit fide, nihil impedit quin bona fide incipiant rem ita possidere ut, elapso tempore, eam justissima sibi comparent usucapione. Valent ergo tum jungere suam possessionem cum possessione sui auctoris, tum novam inchoare non infectam vitio decessoris.

2) Si autem *universali* successerint titulo magis haerent doctores.

Sunt theologi qui distinguant inter heredem immediatum et mediatum, et huic solum permittant praescriptionem, quia is non jam ut prior repraesentet personam auctoris malae fidei. Quae ratio jam bene explosa est a C. de Lugo, l. c. n. 61, cum obligatio heredis non innitatur aliqua continuatione personae, sed adeptione patrimonii cui per se imponitur onus sarciendi damna quae auctori malae fidei sunt ascribenda. Hanc tamen obligationem heredes praescribere incipient ad tramites legis civilis ex quo ipsa bona ad ipsos pervenerint.

Alii, quia inter illa damna ponunt ipsam praescriptionem, existimant istos successores nullatenus praescribere posse: ita C. de Lugo; vel illud saltem requiri tempus quo, secundum generalem legis definitionem, omnis deleatur obligatio. Quare non pauci concedunt heredibus, ex jure gallico, praescriptionem tricenariam. Sed num legitimus est usus praescriptionis *civilis* ad exstinguendam obligationem quae *civiliter* non exsistit?

Nobis, ut verum fateamur, valde incerta videtur illa obligatio sarciendi damnum ipsa praescriptione illatum. Satis argute est a C. de Lugo excogitata. Sed, quaeso, estne *justa* praescriptio damnum *injustum?* Quod si non injustum, valetne ejus cognitio parere aliquam restituendi obligationem? Addas, ipsum qui praescripsit censeri a primo momento rem justo habuisse titulo, ita ut nullos debeat ab inchoata possessione perceptos reddere fructus.

Nonne, simili ratione, omnis necessitas sarciendi damnum auferetur simul cum debito principali? Quare ex uno jure positivo videtur Lessius, c. 6, n. 42, repetivisse causam, cur universales successores non possent sua bona fide juvari in praescriptione.

Dicemus ergo, ex plerisque legibus hodiernis, nihil obstare quominus successores etiam universales, si fuerint bona fide, *praescriptione liberativa*, exstinguant sui auctoris debita. Tempus autem requisitum erit, pro varia obligatione, definiendum ad tramites legis positivae.

Quod ad *usucapionem*, ipsae positivae leges solent quibusdam saltem usucapionibus arcere universales successores auctoris malae fidei. Atque hic observes quomodo leges quae parum ad conscientiam videbantur referre non omni in foro interno efficacia careant. Lex gallica, v. gr., non considerat bonam fidem nisi in initio possessionis. Si Titius ergo coeperit bona fide aliquem occupare agrum quem dein norit esse alienum, ejus possessio nullo civili inficietur vitio. Quare poterunt heredes uti, etiam in conscientia, usucapione *decem* vel *viginti annorum* (a morte auctoris). Contra, si mala coepisset fide, necessaria fuisset praescriptio *tricenaria*.

N. B. 1. *In dubio* de mala fide antecessorum, quod, inquisitione facta, non tollatur, valebit principium : « Nemo praesumitur malus nisi probetur talis. » Cfr. C. Gall. art. 2268. 2. Non judicatur mala esse fides, nisi quae cum peccato *mortali* conjungatur. Unde error ex levi profecta negligentia non impediet praescriptionem.

278. De fide in praescriptione liberativa. 1. Ex facta probatione concludendum est *per se* non posse aliquem se existimare liberum ab obligatione quam *conscius* diu omisit exsequi. Nam, etiamsi quadam impotentia excusaretur, non potuit facienda solutione abstinere nisi seipsum astringendo solutioni in tempus futurum. Ita arguit Molina, d. 66, n. 6. Per se ergo debiti conscientia obstat praescriptioni, sicut usucapioni obest conscientia rei alienae.

2. Nihilominus, si hujusmodi fuerit debitum quod debitor

non teneatur solvere nisi rogatus [1], nobis non videtur scientia debiti per se obesse praescriptioni, ita ut hunc casum fere aequiparemus servitutis passivae praescriptioni. Quare astipulandum putamus memoratae supra, 268,3, sententiae Pichler a qua non abhorret Molina [2]. Rationes plerique opponunt vel impertinentes vel ex antiquo jure depromptas. Si tamen creditor postulavit solutionem vel mere ex quadam humanitate distulit jus suum exercere, patet ipsa aequitate vel justitia vetari usum praescriptionis. Cfr. Carrière, 465.

3. Ipsae praeterea leges jam non existimabuntur patrocinari fraudibus et peccatis, si, ob motivum boni communis quod fide debitoris parum afficitur, hujus fidei considerationem plus vel minus praeterierint. Neque his legibus putamus repugnare saepe laudatum lateranense statutum.

Jam vero praescriptio *quinquennalis usurarum, pensionum quotannis solvendarum,* hac boni communis ratione in jure gallico (art. 2277) fulcitur, ne accumulatis usuris seu praestationibus, per desidiam plerumque creditoris, debitor ad inopiam redigeretur. Ut enim sunt homines, annuae debitorum pecuniae, nisi exigantur, in rem familiarem vel alia ratione, plerumque non fructuosa, expenduntur, ita ut longe gravius sit decem annorum solvere *semel* usurarum summas, quam eas *annalibus vicibus* praestare. Creditoris ergo negligentia non raro foret debitori exitiosa, nisi hac protegeretur praescriptione. Id jam a° 1510 a Ludovico XII pro motivo dabatur [3]. Ideoque speciali favore

---

[1] Olim tenebatur debitor ultro solvere; nunc autem per se dies jam non interpellat pro homine: debita exigi debent ut debitor sit in mora. Ut gallice dicunt, *les dettes ne sont plus portables, mais quérables.* Solent tamen partes expressa stipulatione huic derogare juri.

[2] « Quid, interrogat C. d'Annibale, II. 152, si quis obligationem scivit nec implevit?... Si nulla mora ei objici possit, nulla nec mala fides objici poterit; atque ideo praescriptio ei procedit. Hoc autem bifariam contingit : si me nihil facere oporteat, sed pati tantum; v. c. te per meum ire: aut facere quidem oporteat, sed requisitum. »

[3] Cfr. Carrière, 400; C. d'Annibale II. 153, nota 17; Baudry, *Précis de droit civil,* III. n. 1718.

leges nostrae hanc prosequuntur praescriptionem, ita ut currat etiam adversus eos qui aetate sunt minores. Quare, etsi non pauci aliter sentiant [1], non videmus cur, seclusis dolosis artibus quibus consulto quis solutionem negligeret ut praescriptione se liberaret, non posset per se debitor tuta conscientia frui legis beneficio.

Novus Germaniae Codex, art. 197, statuit hujusmodi debitis praescriptionem quatuor annorum, nulli tamen speciali subjectam regulae.

279. De fure inde movetur quaestio, utrum necne, ex quo delicti perfecte fuerit oblitus, rem usucapere possit. Multi omnino repugnant, tum quia oblivio non sit pro bona fide habenda, tum quia fur in se suspicere debeat omnia probabilia consectaria culpae, proindeque etiam praestare hanc oblivionem. Verum, nisi lex positivam exigat bonam fidem, ex oblivione fit ut desinat illa saltem mala fides quae legis obstat efficaciae ; ipsa autem obligatio praestandi hoc culpae consectarium, ab ipso oblivionis momento videtur praescribi posse, vel, ut dicebamus modo, 277, 2, simul cum debito principali exstingui videtur. Quare in benigniores partes animo inclinamur, cum C. de Lugo, d. 7, n. 151 et d'Annibale II, 140, nota 8, contra S. Alphonsum, l. 3 (4) 515.

II. *SCHOLIA.*

280. Ratio antiquiorum. Olim solebant doctores hac potissimum ratione efficaciam praescriptionis demonstrare, quod amissio juris justa foret poena negligentiae. Ita S. Thomas, quodlibeto 12, art. 25; et J. D. Scotus, in IV sent., d. 15, q. 2, n. 10. Ut tamen mentem aperiamus nostram, poena hic non habetur nisi latiore seu impropria ratione. Namque qui res suas negligit proprie non delinquit, vel saltem tam gravi multa vel poena non est dignus; et aliquoties sine alicujus negligentia procedit praescriptio. Summum ergo haec est subseciva ratio, et pro tali habetur a Molina, Lessio, C. de Lugo et Schmalzgrueber.

281. Proprietas non amittitur sola praescriptione. Cetera jura in re ipso non usu perire valent, ita ut domi-

[1] Cfr. Carrière, 425, Gury-Ballerini I, 588.

nus eo ipso liberum recuperet suae rei dominium. Non ita proprietas. Nisi enim alter simul sit qui rem usucapiat, nullum habet dominus adversarium qui de praescriptione cum ipso agere valeat.

282. Quasi-possessio libertatis. Nonnulli, post C. de Lugo, ut in unum genus utramque cogant praescriptionem, liberativam explicant per quamdam libertatis usucapionem seu quasi-possessionem. Rejiciendae nobis videntur istae fictiones quae, per se inutiles, non sunt vacuae periculo. Quomodo jam inde haberi potest praescriptio servitutis passivae sine ullo animo domini, proindeque sine ulla libertatis quasi-possessione ? Cfr. n. 268,3.

283. Judicium de hodiernis legibus. Solent in pluribus praescriptionibus, saltem quae longioris sunt temporis, omittere leges civiles [1] mentionem bonae fidei. Non inde tamen sunt statim reprobandae, quasi fraudibus praemia constituerent.

Alia enim ratione cavere possunt ne aperte faveant malae fidei. Sic Galliae codex, art. 2223, arbitrii possessoris vel debitoris fecit ut uteretur praescriptione, ita ut, nisi vellet hac exceptione repellere actorem, hujus actio non interiret ; nec debitori, qui ultro solvit etsi factae praescriptionis conscius, concedit solutae pecuniae repetitionem. Hoc modo rem permisit conscientiae praescribentis. Nec deest ratio has omittendi mentiones. Fidei enim probatio aegre fit in foro externo ; personae sunt, utputa creditores, qui tuta conscientia se tueri possunt ex alterius, etiam mala fide, peracta praescriptione. Ne ergo nimiam debeat casuum varietatem diserte persequi, potest legislator simpliciorem promulgare regulam judicandi quae intactam linquat conscientiae obligationes.

284. *Quaeres* **quid sentiendum sit de addictione**

---

[1] Codices Galliae, Italiae, Germaniae nullam fidem referunt in conditiones praescriptionis liberativae ; leges Angliae ne ad usucapionem quidem videntur exigere bonam fidem, sed jus praescriptionum angustioribus finibus circumscribunt.

fructuum possessori bonae fidei? Nonnulla jura recentiora, ut C. gall. art. 549, 550, disponunt, possessorem, qui ex causa per se ad transferendum dominium idonea *(titulo colorato)* cujus vitia ignorabat rem possederit, perceptione facere reipsa fructus suos. Simile quid habet C. ital. art. 703.

Dispositio ista, quae a Carrière, 1053, 1054, pro aequissima habetur, et probatur Card[i] d'Annibale (II, 241, nota 22), injusta existimatur a Ballerini [1]; atque a R. P. Lehmkuhl ita rejicitur ut occultam permittat compensationem domino qui suis sic fructibus spoliaretur.

Revera tamen validis defendi posse argumentis hoc legis statutum, suadetur :

1) *Ex ratione.* Considerata sola lege naturae, possessor b. f. restituere deberet domino fructus non consumptos, consumptos vero quantum, eos absumendo, pepercisset propriae rei ; utrosque tamen hac solum ratione, qua non essent fructus industriae. Cfr. C. de Lugo, d. 17, n. 38-40. Quis non videt hanc determinationem non esse facilem, et uberem fore fontem controversiarum et litium ?

Quare jam lege romana fructus saltem consumptos restituere non debebat. « De fructibus consumptis agere non potest » (dominus). *Inst.* l. II, t. I, § 35. Quae dispositio omnibus expediens visa est. Porro, lex nostra praesumit fructus singulis annis consumi. Quod si quis, provida parsimonia usus, eos seposuerit, cur inde deterioris evaserit conditionis ?

Quod magis est, saepe diuturna possessio b. f. oritur ex negligentia domini.

Lex ergo, dum fructus concedit possessori, consulit paci et concordiae civium, favet parsimoniae et promovet eorum diligentiam atque industriam. Nonne haec gravis ponderis sunt in lege aestimanda ?

2) *Ipsa antiquitate* qua lex ista commendatur. Nam prae-

---

[1] *Opus morale*, t. 3, *De Restitutione*, n. 221.

terquam quod de jure romano sat ambigitur quid statuerit, ita ut suspicio sit fructus omnes perceptos ab eo concedi possessori b. f. [1], in jure gallico veteri haec regula obtinebat. Cfr. Carrière, 1053.

285. ***Quaeres*** **quid de regula articuli 2279 Cod. gallici.**

Regula ista, italico etiam jure contenta, ita effertur: « Quod attinet ad res mobiles, ipsa possessio titulo aequivalet. » Sive haec sit quaedam usucapio, sive malueris aliter explicare hanc legem; secundum eam, ille qui animo domini realiter apprehenderit rem mobilem *singularem* (non universitatem quamdam), aut etiam schedam mensariam innominatam *(titre au porteur)*, eam pro sua retinere potest, modo ipse fuerit bona fide quando rem acceperit, res autem ipsa non fuerit furto ablata vel casu amissa. Justus quidem titulus *formaliter* non requiritur, sed sine illa non aderit bona fides.

Huic regulae tribuunt C. d'Annibale [2] et Scavini [3] vim quod ad forum conscientiae. Rejicitur a Carrière. n. 455. R. P. Lehmkuhl I, 922 nota, putat eam saltem negligi posse ab eo cujus interest legem eam non esse. Ballerini autem [4]. « Quod possessio sic intellecta valere possit in foro conscientiae hypothesis est quam quae absurdissima. » Sed ex contexta oratione a n. 417, apparet ipsum sibi sensum legis fingere a genuino alienum.

Rursus autem lex ista non videtur valida ratione destituta.

Res enim mobiles corporales, hodie praesertim, inter homines saepissime commutantur. Ut ergo utilitati negotiationis et hodiernae hominum conversationis prospiciatur, oportet ut ratio eas commutandi simul sit expeditissima et secura. Jam vero utrumque obtinetur regula quam examinamus: tutum facit illum cui res est tradita. Quanta confusio et quot perturbationes gignerentur, si,

---

[1] Cfr. C. de Lugo d. 17, n. 41 sq., qui referendo textus cum hac sententia facientes, eos minime arguit injustitiae.

[2] II, 122 nota 38.

[3] *Theologia moralis*, edit, 14, II, 362, 589.

[4] *Opus morale*, t. 3; *De Justitia et Jure*, p. 1, c. 5, n. 437. Aliquanto mitius loquitur Palmieri in nota.

ob tardam vindicationem domini, rationes essent conferendae inter multos qui unus ab altero eamdem rem b. f. possedissent ! Quantae morae afferrentur per ipsas controversias, cum res litigiosa, durante lite, pene commercio sit subducta ! Ceterum, aptis terminis, ut constat ex data notione, regula est circumscripta.

Praeterea non est leviter vituperandum illud quod vetustas comprobavit. Jam vero regula ista desumpta videtur ex antiquo jure germanico, ex lege Francorum; reperitur in constitutionibus *(Établissements)* S. Ludovici regis, et in jure consuetudinario regni Galliarum admittebatur [1].

Quid, quod Sanchez *in Dec.* l. II, c. 23, n. 91 sq. et alii praescriptionis vim retro custodiunt, ita ut teneat quod l. 26. *Cod. de Usuris* (IV, 32) habetur: « Eos qui principali actione per exceptionem ceciderunt, non posse super... fructibus praeteriti temporis aliquam movere quaestionem. » Sed nonne hac juris fictione inducitur acquisitio quarumdam mobilium rerum per possessionem bonae fidei ?

286. *Quaeres* **quid de praescriptione rei furtivae in lege gallica ?**

Lege gallica statuitur, post tres annos [2] comparari posse res furtivas et casu amissas ab eo qui eas tunc possederit bona fide requisita art° 2279.

Imo, si eas bona fide emerit in nundinis, auctione, vel a mercatore apud quem res similis generis veneunt, non debet eam ante domino reddere quam is refuderit solutum pretium. Dominus tamen cum fure de damnis agere poterit.

Regula ista simili ratione ac superiores a labe injustitiae vindicatur immunis.

Repugnat quidem acriter Ballerini, sed deceptus est falso legis intellectu. Arguit enim ex eo quod lex nullam exigat bonam fidem, nullum titulum: dum lex postulat bonam fidem, quae, ubi nulla fuerit causa possessionis, non censebitur facile adesse. Quum vero, n. 429 sq., rationes trahere cogitat commodorum atque incommodorum hujusmodi legis, partes usurpat quae tutius permitterentur illis, qui, in mediis negotiis, facilius judicare possunt qua ratione expediat de negotiis et pactionibus statuere.

---

[1] Cfr. *Thiry, Cours de droit civ.* IV, p. 558.

[2] Observes hanc minime, ut falso putant nonnulli theologi, esse praescriptionem triennalem, sed per tres annos impeditur acquisitio per ipsam possessionem, de qua in art. 2279.

QUAESTIO SEPTIMA

DE CONTRACTIBUS IN UNIVERSUM

NOTIONES GENERALES ET CONSPECTUS QUAESTIONIS

287. Contractus notio. 1. *Contractus,* quem a *conventione* [1] distinguere non refert, *definitur :* « *Duorum vel plurium in idem placitum consensus* » [l. 1 Hujus, § 2, D. *De Pactis* (II. 14)]. Patet agi de placito quod ad relationes juridicas pertineat.

2. *Tribus constat* omnis contractus *essentia :*

Re, seu materia, qua designatur objectum circa quod versatur : sive *remotum,* v. gr. equus, domus, sive *proximum :* equus vendendus, locandus. Porro potest esse tum res proprie dicta, tum actio humana, tum ejus omissio. Proximum objectum significatur verbo *placiti.* Namque ipse est communis ille terminus, quo, in objecto remoto, formaliter concurrunt paciscentium voluntates.

Consensu personarum quae jure sint habiles.

Causâ cur una pars vel transferat in alteram jus in re vel personalem suscipiat obligationem justitiae. Causa autem quae hic consideratur est finis proximus seu *intrinsecus* factae praestationis vel admissae obligationis ; proin-

[1] Olim potius in conventionem quam in contractum quadrabat tradita definitio. Minus late enim patebat vox *contractus*, qua solae designabantur pactiones de vinculo juris contrahendo, non autem eae quae obligationem exstinguunt.

deque, in contractu oneroso erit alterius praestatio vel promissio, in contractu gratuito, ipse animus benefaciendi.

Hujusmodi causam ad contractus essentiam pertinere eo patet quod sine fine immediato seu proximo non est humanus consensus.

Cave ergo ne rationem illam transferas in causam mere impellentem vel finem remotiorem, qui extra contractus essentiam versatur. Sic, si propter nuntium belli vel pacis multae fiunt pactiones, neutrum tamen nuntium pro causa juridica harum pactionum haberi potest; sed in singulis stipulationibus observanda est *proxima* ratio praestationis vel debiti. Haec ipso contractus nomine reddi consuevit. Donatio, v. gr. dicit aliquam traditionem rei *ex animo liberali;* vendere non est mere rem cedere sed eam cedere vel promittere *propter promissionem pretii,* dum emere est promittere pretium *propter rei praestationem vel promissionem.*

3. *Effectus contractus* est aliqua *jurium commutatio:* sive *realium*, ut, nostro jure, in donatione, sive *personalium*, ita ut altera saltem pars obligetur ex justitia ad aliquid praestandum (dandum, faciendum, omittendum). Per contractum ergo, vel tenetur persona, vel res (jus in re) ab una ad alteram traducitur.

Olim, quum solo consensu non transferretur dominium, effectus immediatus semper continebatur obligatione. Inde minus perfectae jam sunt antiquiores contractuum descriptiones quae tamen adhuc retinentur a theologis vel jurisperitis, ut cum dicitur contractus esse « conventio qua unus vel plures erga unum vel plures se obligant ad aliquid dandum vel faciendum. » Quid enim de donatione ubi nulla obligatio suscipiatur? Cfr. quae eleganter de hac re disputat Crolly II, n. 5-8.

288. Contractuum species. Eas dabimus quae nobis usu venient. Itaque contractus sunt:

a) *Ex fine (causa)*, *gratuiti* vel *onerosi*, prout a parte quae jus cedit intenditur liberalitas vel propria utilitas. *Mixtus*, qui in jure gallico ad onerosos ascribitur, utramque rationem participat, ut si vendas remittendo dimidium pretium.

b) Ex *forma, α*) *Consensuales*, qui perficiuntur solo consensu, ut jure gallico venditio, et *reales*, qui a tradita re initium habent: pignus, mutuum;

β) *Sollemnes*, quibus lex peculiarem, ad ipsum esse, praescripsit formam: ita pactio de regimine cui, facto

matrimonio, subjacebunt bona conjugum ; et *simplices,* qui qualibet forma per se sufficiente fieri valent : ita, hodie, plerique contractus ;

γ) *Expressi* et *taciti*, prout verbis vel aliis signis declaratur consensus, ut si reus adeat peritum qui suae causae fiat patronus, isque revera causam tueatur.

N. B. Aliquando ex *quasi-contractu* (contractu tacito) repetunt jurisperiti obligationem quae proficiscitur ex lege praesumente consensum : ut in negotiorum gestione, quando dominus ratum habere debet quod alter ipsius loco fecit.

c) *Ex effectu,* α) *Unilaterales*, qui alterutri parti tantum, et *bilaterales*, qui utrique *immediatam* pariunt justitiae obligationem, ita ut altera obligatio sit alteri pro causa. Immediatam, inquam, nec mere ex facto consequenti : ita depositum censetur unilateralis contractus, etsi ipse depositi auctor teneri possit damnis profectis a vitio rei depositae.

Observes hanc divisionem non convenire cum prima. Namque onerosus contractus, ut fenoris, potest esse unilateralis.

β) *Nudi* et *vestiti*, prout per se solam conscientiae obligationem gignunt, vel etiam actionem civilem. Prior obligatio dicitur *naturalis.* Cfr. infra, cap. 3, scholia.

γ) *Validi, firmi* et *invalidi, infirmi*, prout ipsa conscientiae obligatio vel plene obtinet vel inanis est aut aliquo modo labilis. *Rescindibilis* dicitur non raro actus qui efficax est donec a judice infirmetur ; et magis presse, in jure gallico, vox illa convenit in contractum contra quem agi potest *ex laesione,* seu detrimento accepto.

Jam minus firmus est actus cui lex non praebet civile praesidium, sive illum improbet, prohibeat vel mere ignoret.

289. Consectaria mente tenenda. 1. Ex ipsa definitione, contractus continet *voluntariam* jurium commutationem, quae tota in consensu, ut in causa proxima sed adaequata, innititur.

2. Omnis contractus constat data aliqua conditione seu promisso alicujus offerentis, et alterius acceptatione. Ante hanc acceptationem, conditio ista dicitur *pollicitatio*, quae proinde describitur : *solius offerentis promissum*. In bilaterali porro contractu binae insunt promissiones et acceptationes.

3. *Obligatio contractus*, cum sit *justitiae*, titulum ponit in altero, seu dicit debitum propter alterius jus. Cfr. n. 11, 14. Haec distinguenda est ab obligatione fidelitatis. Quare de hac pauca dicere juvabit.

290. Obligatio fidelitatis [1].

1. Hac obligatione tenetur quis facere quod dixit se esse facturum. Non omnis tamen significatio propositi de re a se facienda hoc onus exsequendi imponit; sed si quis, significando tale propositum, simul vult ut alter ipsi credat, fidat, commercium hominum inter se, quod nititur mutua fide, exigit per se ut huic proposito fiat satis [2]. *Proxima* ergo ratio obligationis est *interpositio fidei*, id est qualitatis quae hominem dignum facit cui credatur, fidatur; *remota* autem est *necessitas commercii hominum inter se*, cui adversantur fraudes.

2. Inter *veritatem* et *fidelitatem* est igitur aliqua similitudo. Utraque obligatio petitur ultimo ex bono socialis communicationis; sive dixeris, sive promiseris, fidem facere cogitas et vis ut alter tibi credat; alter decipitur per falsam locutionem sicut per inconstantiam in promissis. Imo uterque, et qui promissa servat et qui vera loquitur, efficiunt ut adsit quaedam convenientia inter dicta et facta : prior procurat ut sint quae dicit, alter, ut dicat quae sunt. Nolimus tamen, cum Vasquez et C. de Lugo, hanc similitudinem ita persequi, ut in utraque causa videamus *formalem* obligationem concordandi signa cum significato. Nam qui deest veritati appellatur *mendax*, qui vero non stat promissis est *infidelis*, nec dicitur decipere falsitate sed *inconstantia*. Alterius enim constantiae se committit qui confidit alicujus promissis. Verum ut quis fidat promissis, prius opus est ut credat verbis. Atque ob duplicem causam parvi fiunt alicujus promissa : vel

---

[1] De hac obligatione, cfr. Vasquez in 3 p. d. 6, *De matrimonio*, in fine; et C. de Lugo, d. 23, n. 1-15, et 41.

[2] Sibi etiam debet Deus ut promissa servet sua. Hujus necessariae voluntatis ratio non est aliquod requisitum humanae societatis. Sed cum infinita ista Bonitas et Sanctitas omnia ad se necessario reducat, oportet ut maximam sibi conciliet creaturarum fiduciam per fidem absolute inviolatam. Cfr. in 1^ore^ vol. similem rationem veracitatis divinae.

quia, carens animo exsequendi, videtur ficte promittere, vel quia vera promissa non videtur servaturus. Fictam autem promissionem arguimus mendacii, non vero presse dictae infidelitatis (contra C. de Lugo, l. c. n. 5); ac si forte sit obligatio materialiter exsequendi fictum promissum, causa numquam erit ipsa promissio sed ratio vitandi scandali, damni, etc. Quare qui ficte vovet, i. e. Deo promittit, per se nec voto tenetur, nec graviter censetur peccare. Cfr. S. Alphonsum l. 3 (4) n. 201, q. 2.

3. Inter *promissionem ex justitia* et *promissionem ex fidelitate* hoc interest, quod priore conceditur jus, posteriore datur fides; titulus prioris obligationis est in altero, posterioris est in promittente qui, si fuerit infidelis, non alterius juri sed propriae derogat fidei. Prior est per se gravis; altera per se levis. Qui jus habet potest, ubi ratio adsit sufficiens, suum occulte sumere; quod non licet ei cui aliquid ex fidelitate debetur. Cum nemo nisi volens acquirat ab altero jus, promissio non obligat ex justitia ante alterius positivam acceptationem. Contra, nihil per se obstat quin obligeris ex fidelitate sine alterius positivo assensu. Si tamen is positive renuat vel remittat obligationem, jam non decipietur si mutes propositum: quare simul auferetur fidelitatis obligatio. Denique si promissio fuerit *realis* et non respiciat factum proprium, utraque obligatio per se, ut aiunt C. de Lugo, d. 23, n. 98, sqq. et alii, a defuncto ad heredes traducitur. Nec de obligatione justitiae id ambigitur. Quod ad fidelitatis obligationem, C. de Lugo rationem affert quod bona tali promissione indirecte afficiantur. Nos potius rem ex voluntate defuncti aestimandam esse ducimus. Qui si voluerit *absolute* stare suis promissis, rem vere censetur legare promissario. Heredes tunc tenebuntur obligatione justitiae ad exsequendum illud legatum. Hoc tamen legatum erit ex lege positiva infirmum, nisi valido contineatur testamento.

4. *Erga Deum* nulla presse dictae justitiae obligatione tenemur. Obstat ratio generalis indicata n. 6. Praeterea, ubi agitur de promissione, non constat de ejus voluntate acquirendi novum jus. Aliunde non potest ipse decipi nec fictione nostra, nec inconstantia sibi nimis perspecta. Ratio ergo obligationis fidelitatis videtur etiam deficere.

Sed alienatio illa libertatis per promissionem boni alicujus melioris, i. e. votum, continet majorem humiliationem voluntatis propriae sub voluntate divina, nosque confirmando in bono ita perficit, ut ex se jam appareat eam debere esse efficacem causam officii *religionis*. Insuper, negligentia in servandis promissis arguit per se minorem existimationem et aliquem contemptum personae cui erant facta. Irreverentia quae proin inest violationi voti *religioni* necessario adversatur. Vota denique a Deo sanciri, ex apertis S. Scripturae testimoniis efficitur. Quia pertinet autem

ad religionem, obligatio voti evadit ex genere suo gravis, estque ex virtutis religionis necessitate aestimanda.

5. *Triplex* ergo est *ratio promissionis: votum*, quod obligat ex *religione, contractus*, qui obligat *ex justitia*, et *simplex promissio*, quae obligat ex *fidelitate*. Per merum *propositum* nihil per se detractum est de voluntatis libertate, nisi quod levitas et inconstantia, etiamsi nemo decipiatur, jam contineat aliquam venialem inordinationem.

291. Ordinatio quaestionis. 1. Ex tribus contractuum elementis primum, *res* seu *objectum*, non videtur vocandum in controversiam. Satis enim constant requisitae dotes, quae huc recidunt ut objectum sit possibile [1], pretio aestimabile, satis certum seu definitum. Sin minus pactio foret frustanea aut nugatoria.

2. *Causam* volunt esse veram ac licitam. Inde, *in primo capite*, perpendemus *effectus pactionum quarum causa sit turpis*.

3. Magis immorabimur in praecipuo *consensus* elemento, quo perfectiorem assequamur contractuum rationem. Itaque *caput secundum* in tres dividemus articulos, quibus ordine disputabimus:

a) *De necessariis consensus dotibus*,

b) *De vitiis consensus*,

c) *De consensus necessaria intimatione*.

Denique, *in tertio capite*, indagabimus *quaenam vis insit in legibus civilibus quae actus juridicos faciunt irritos*.

CAPUT I

DE CAUSA TURPI CONTRACTUUM

S. Thomas, II. II, q. 32, art. 7, c.; q. 62, art. 5, ad 2; ***Lessius***, d. 14, n. 51-61; d. 18, n. 17-21; ***C. de Lugo***, d. 18, s. 3; ***Carrière***, *De contractibus*, n. 328-338; ***Waffelaert***, *De justitia*, I, 413-418, 473-481; ***Lehmkuhl***, *Theologia moralis*, I, 1052-1054; ***Ballerini-Palmieri***, *Opus morale*, t. III, *De contractibus*, n. 61-74; ***P. Vander Velden***, *Principia theologiae moralis*, I, 112 et 156.

---

1 Huc revocamus requisita quibus res dicitur debere exsistere, saltem in spe, ejusque haberi commercium.

THESIS XX

Contractus cujus turpis est causa vim habet nullam ; praestito tamen ab una parte facto turpi, altera per se jam debet ex justitia exsequi rei indifferentis promissionem.

292. I. **Status quaestionis.** 1. INTENTIO THESIS huc spectat, ut assentiendo longe communiori sententiae, solvere nitamur quaestionem de contractu turpi.

Turpis autem fit *ex causa presse dicta. Non ex altero fine* pravo qui, quamvis partem fortasse moveat, pactioni tamen est extrinsecus: ut si animo cruentae vindictae emas gladium; *neque ex re illicita,* de qua honestissimae fieri possunt stipulationes: ut si spondeas poenam ad magis elongandum delictum. Turpis porro erit causa quae fertur in aliquid quod de se vel ex lege [1] est moraliter inhonestum: ut si altera pars promittat peccatum.

Age porro, omnes quidem fatentur, et plane constat, contractum quo altera pars astringatur ad aliquid praestandum quod nefas est ut praestet, v. gr. homicidium, esse per se nullum atque irritum: quae est prior pars praesentis thesis; sed si contigerit turpe illud praestitum fuisse, magis ambigitur quid juris, post opus, competat adversus alterum contrahentem. Et positio nostra est, illum qui solvit inhonestum exigere posse pecuniam vel aliud quid, de se indifferens, quod alter, ut vices redderet, pacto promiserat. Exempli causa: Quispiam cum altero hanc fecit pactionem: « spondeo tibi centum, si tale damnum Titio inferas. » Damnum infertur ex sponsione: contendimus centum quae spopondit prior, esse solvenda ex justitia.

Quod, quo titulo exigatur, et quibus limitationibus circumscribatur, ex infra dicendis clare apparebit.

2. SENTENTIAE. Omissa priore parte quae, ut diximus, convenit inter omnes, jam S. Augustinus [2] verba habet

---

[1] Perinde non est exigere, ut leges nostrae faciunt, causam licitam (art. 1008, 1131, C. Galliae). Plura enim hodie in licitis ponuntur quae rectis adversantur moribus ; humanis statutis prohibentur alia quae lege superiore sunt praecepta ; neque ipsa lex civilis cogitat semper suis jussionibus ligare conscientiam.

[2] *Epist.* 54 *ad Macedonium.* Lessius, n. 55, ea explicare conatur, sed frustra, ut nobis videtur. Cfr. C. de Lugo, d. 18, n. 56.

quae difficile ad nostram sententiam accommodari possunt. — S. Thomas hoc saltem diserte permittit, ut retineatur solutum inhonestae praestationis pretium. Cfr. II. II, q. 32, art. 7, c.; et q. 62, art. 5 ad 2. — Aperte nostram sententiam tuentur Lessius [1], C. de Lugo, l. c. praesertim n. 59, et communiter *antiqui*. S. Alphonsus, l. 3 (4) n. 712, eam habet pro probabiliore et communi. — Praevalet etiam inter *recentiores*, ut R. P. Lehmkuhl et Ballerini-Palmieri qui acriter eam propugnat. Nonnulli tamen contrarias partes sequuntur. Ita Beusch, *De pactionibus et contractibus*, c. 4; C. Gousset, *Théol. mor.* I. 753, Carrière, *De contractibus*, n. 333, et Vander Velden, O. S. F., l. c. Verum ne isti perperam intelligantur: namque suam opinionem circumscri bunt pretio rei turpis qua talis. Fit enim ut substantia rei per se honestae, vitiosa fiat ex adjunctis: puta operas serviles exigi et praestari die dominica. Tunc negabunt quidem solvendum esse pretium fortasse majus quod illicite promiseris ut die festo praestetur opera, consueti autem stipendii, quo opera per se est digna, agnoscent justam esse exigentiam.

3. EXPLICANTUR VOCES.

Contractus cujus turpis est causa: haec liquent ex dictis 287, 2 et 292, 1,

Vim habet nullam, etiam ante omnem sententiam, seu est absolute nullus, non exsistens.

Praestito tamen ab una parte facto turpi: facta ergo iniquâ praestatione quam contractu promiserat.

Altera jam debet ex justitia, commutativa. Non tantum ergo retineri potest quod sponte sit solutum, sed etiam exigi ipsa solutio. Titulus tamen, ut videbimus, est distinctus a priore conventione.

Per se: hoc est, nisi lex positiva, ob bonum commune, hac poena reum afficiat, ut nullam mercedem, ne indirecte quidem ex delicto reportet [2].

---

[1] C. 18, n. 18. Cfr. etiam c. 14, n. 52.

[2] De jure nostro, cfras. n. 298.

Exsequi rei indifferentis promissionem. Nam si ipsa repromissio esset rei illicitae, nulla ratione haec foret praestanda. Et ponimus pretium promissum non esse prodigum: sin minus reducendum foret ad justam quantitatem.

II. **Probatio.**

293. A. PRIORIS PARTIS. ***Contractus cujus turpis est causa vim habet nullam.***

Nullius valoris est contractus cujus nulla est obligatio.

A. Nulla est obligatio contractus turpis. *E.*

Major patet, quia propria efficacia contractus haec est ut pariat obligationem, praesertim quum nunc non agatur de immediata translatione juris realis.

Dari quidem aliquid ex pacto potuit, ut alter susciperet hanc obligationem turpem; sed si haec est nulla, ipsa res accepta detineretur sine causa foretque proinde restituenda, ita ut verum sit quod dicebatur, contractum cujus nulla sit obligatio nihil operari.

Ad min. Nam turpis promissio vel est sola, ut in contractu unilaterali; vel, si, ut in contractu bilaterali, causam habet obligationem ab altera parte susceptam, haec, ut correlativa, ruet cum ipsa. **A.** Non est obligatio promissionis turpis. **E.** Contractus turpis nulla est obligatio.

Probatur haec minor. Nequit lex naturae (qua ultimo stabilitur omnis obligatio) eamdem personam *immediate ac primario* obligare ad aliquid, et *mediate ac minus principaliter* ad contrarium. Nam secus, in ipsa lege admittenda foret repugnantia. **A.** Obligat immediate ac primario quemlibet ad omittendam actionem inhonestam. **E.** Nequit, medio contractu, obligare ad eamdem patrandam, seu nulla est obligatio stipulationis turpis.

N. B. Si consideres actionem turpem ut actionem *moraliter* impossibilem, seu cujus non est facultas moralis, fere simili ratione confeceris argumentum. Exempli causa: Si quis deberet promissionem turpem, alter ex justitia jus haberet eam exigendi. **A.** Lex naturae nequit concedere facultatem moralem illud exigendi ab aliquo, cujus faciendi aufert eidem facultatem moralem. **E.**

294. B. ALTERIUS PARTIS. ***Praestito tamen facto turpi ab una parte, altera per se jam debet ex justitia exsequi rei indifferentis promissionem.***

Qui alteri sic factam praestationem admittenti aliquid pretio aestimabile ea intentione praestat ut is reciproca et definita obligatione teneatur, hunc per se obligat ex justitia, nisi natura probetur eam obligationem respuere.

A. Opus turpe de quo agitur est hujusmodi facta praestatio; nec ostenditur natura contraria huic obligationi. *E.*

Ad maj. Est enim consueta forma contractus realis quem *innominatum* vocant et exhibent hac formula : *Facio ut des, vel ut facias.* Idem directe eo patet, quod per se efficiens est causa obligationis quivis consensus qui, ut consensus descriptus, habet materiam et causam legitimam, nisi natura respuat hanc obligationem.

Ad min. a) Factum turpe est *pretio aestimabile.* Ipsi enim inesse possunt rationes actionis delectabilis, utilis (non simpliciter, sed ad finem quemdam electum), laboriosae, molestae eam facienti et periculosae. Facultas autem illud agendi est propria agentis. **A.** Hae rei propriae rationes pretio aestimabiles sunt ex pactione. **E.**

b) Patet factum esse *praestitum ex animo alterum obligandi.*

c) *Alter admisit praestationem sic factam.* Qui enim sic stipulatur : « *si facis hoc, tibi promitto centum,* » stante illo consensu, virtualiter acceptum habet illud idem, si fiat sub intentione obligandi illum ad solvenda centum. Nec possit revocato consensu se liberare, nisi monuerit alterum ne faciat. Sin minus, ut injustus deceptor, teneretur de damnis.

d) *Natura non ostenditur contraria huic obligationi.* Neque enim ex *objecto*, neque ex *causa*, neque indirecte ex *consectariis* ostenditur repugnantia. Et re quidem vera, *objectum* ponitur solutio rei indifferentis; *causa* est factum, non formaliter qua turpe, sed qua est aliquid pretio aestimabile in esse reali consistens. *Consectaria* quae sanctioni obstarent, forent favor datus rei turpi, animi additi ad peccan-

dum. Jam vero ipsi delicto, utpote jam patrato, nequit jam efficienter faveri; similia autem facta non magis per se promoventur concessa quam negata illa sanctione. Si enim spes obtinendi praemium movet ad delinquendum, spes nihil debendi moveret ad suadenda delicta et ad decipiendos simpliciores. Si qui favor ergo ab exsequente auferretur, simul tribueretur illi qui magis est reus, nempe instiganti vel auctori. Quum igitur, etsi illicite datus sit consensus et facta promissio, nulla tamen *universalis* ratio boni communis postulet infirmationem illius obligationis, natura non potuit nisi legi positivae permittere arbitrium eam opportune inducendi.

Cfr. quod de illicita venditione ejusque valore disputat C. de Lugo, d. 18, n. 48.

Confirmatur. Ex unanimi antiquorum sententia, promissio matrimonii, facta ut puella admittat fornicationem, inducit obligationem matrimonii, si impleta fuerit conditio. Jam si falsa foret nostra positio, difficilius certe haec obligatio demonstraretur ex sola necessitate reparandi damni; quia puella judicari posset suo periculo fecisse, cum inefficaciam promissionis perspectam haberet. Cfr. C. de Lugo, d. 18, n. 59.

295. III. **Difficultates**, in pauca genera cogemus. Arguunt:

1. EX ACTU IN SE CONSIDERATO.

a) Actio illicita non est pretio digna.

R. Qua illicita formaliter, *C.;* qua grata, utilis, laboriosa: *Subdist.* quatenus illicite pretium promittitur, *C.* quatenus non est pretio aestimabilis, et de se invalide promittitur, *N.* Cfr. Marrès, *De Justitia,* l. III, n. 160.

b) Non est pretium rei quae vendi non potest. *A.* Vendi non potest id, cujus quis non habet liberam dispositionem, ut est factum inhonestum. *E.* Non est pretium praestationis turpis. *E.*, sive ante, sive post factum, non est causa cur debeatur pretium.

R. D. maj.... quae vendi non potest nec valide nec licite, *C.* illicite tantum, *N. Ad min.* vendi non potest id, cujus nec physice nec moraliter habetur libera dispositio, *C.*;

cujus physice etsi non moraliter est dispositio : *Subdist.* vendi non potest licite, *C.* valide, *N.*

2. Ex nullitate contractus prioris.

a) Obligatio solvendi pretium fuit ab initio nulla. *A.* quod ab initio est nullum, tractu temporis non firmatur. *E.*

R. C. maj. et min. Nego suppositum : rationem firmitatis ex tempore sumi.

Eruitur ex mutatis adjunctis, cum, post factum, obligatio solvendi causam non jam habeat obligationem turpis actionis, quae obligatio esse non potest; sed factum turpe: quod physice fuit, nedum foret impossibile.

b) Ex nihilo nihil fit. *E.* ex contractu nullo, nequit oriri obligatio solvendi.

R. C. antec. et conseq. et *nego suppos.* Vel *dist. antec. et conseq.* Ex nihilo nihil fit tanquam causa per se, *C.* per accidens, seu occasione, *N.*

Ex contractu nullo nequit oriri obligatio tanquam causa per se ; sed, ob elementa quae consistunt, potest esse occasio alterius contractus validi, ex quo oriatur obligatio solvendi.

Inst. A. Ne occasio quidem esse potest. Etenim, pretii solvendi aestimatio et determinatio facta fuit priore pactione quae est nulla. *A.* haec prior pactio, plane nulla, fuit nulla etiam quod ad pretii determinationem *E.* non est determinatum pretium. *A.* requiritur ut objectum obligationis sit determinatum *E.* non est obligatio solvendi.

R. D. maj. pretii determinatio facta fuit priore pactione tanquam aliquid essentialiter cohaerens cum illa, *N.* tanquam aliquid concomitans, *conc.* vel *transmitto.*

Profecto, quando res traditur pro pretio (seu pro alia re quae pretii instar se habeat), oportet ut de pretio aliquo modo constet, ut certa sit obligatio solvendi. Sed, sicut pretium definiri potest vulgari aestimatione sine ulla peculiari pactione, sic etiam determinari potest praevia quadam conventione quae non infert necessario alias: v. gr. convenire potest inter nos, ut quoties aliquam certam praestationem te rogarim quam tu revera praestiteris, tanti mihi constet opera tua. Deinceps fortasse numquam rogabo; quod si tamen fecerim, aliunde nobis certum erit pretium a me solvendum. Quare, quando simul contrahitur obligatio et definitur pretium, stipulatio de pretio existimari potest aliquid concomitans,

quod proinde materialiter retineri valet, licet pactio principalis omnino corruat. Illud manet verum, opus tale fuisse tanti aestimatum.

3. Ex consectariis.

a) Qui solvit pretium post patratum opus pravum, denuo illud probat : quod est illicitum.

R. Nego solutione necessario hanc approbationem contineri. Potest enim quis detestari factum et tamen velle stare promissis. Cfr. C. de Lugo, l. c. n. 55.

Nimium efficeret illa difficultas. Nam, jam inde illicitum fieret dare pretium : quod nemo dicet.

b) Lex naturalis, quae hanc obligationem sanciret, incitaret ad peccandum: nam incitaret ad factum turpe, quo pretium exigi posset.

R. α) *Retorqueo.* Lex naturalis quae irritam faceret hujusmodi obligationem, incitaret ad peccandum; nam incitaret ad promittenda pinguia stipendia pro pravis actionibus, cum facilius fiat promissio quae impune violari potest. Et cum mandans sit potior causa mali quam exsequens, magis quam in casu priore faveret peccatis.

β) *Directe.* Incitaret ad peccandum, per se, *nego.* Per accidens, *conc.* vel *transm.*

Nam licet permittat quamdam temporalem utilitatem percipi ex peccato, simul minatur aeternam ruinam. Unde per se maxime avertit animos a peccato; per accidens fit ut quidam magis moveantur parvo lucro temporali quam aeterno supplicio vel praemio. Sed si ideo lex naturalis irritare deberet hujusmodi contractus, invalidum foret matrimonium celebratum contra justam voluntatem parentum, frustra niteretur paterfamilias dissipare pecunias, etc. Cfr. Lehmkuhl, I. 1053.

COROLLARIUM.

296. Proxima causa istius **obligationis,** non est ipse contractus turpis qui jure naturae plane resolvitur, sed pactum innominatum non turpe, quod natura posterius subintrat.

SCHOLIA.

297. Par est causa conservationis et petitionis. Qui concedunt retineri semper posse pretium solutum pro facto inhonesto, si consequenter velint dicere, necesse

habent nostras partes amplecti. Quo enim titulo retineretur? Si ut pretium, ergo fuit debitum ex justitia; si ut donatio, requiritur voluntas gratificandi, quae saepe deerit, ut optime arguit C. de Lugo l. c. n. 46, contra Vasquez. Is ceterum non contradicit nostrae thesi.

Ergo S. Thomam ut positive nobiscum consentientem appellare possumus.

298. Jure civili gallico, ille qui solvit pretium promissum *ob turpem causam*, habet, etiam post factum, actionem personalem, seu condictionem indebiti ad repetendum solutum, nisi tamen, ut plures excipiunt, turpitudo utrumque affecerit paciscentium: puta pecuniam solvi puellae ut haec in fornicationem consentiat. Haec pecunia non poterit repeti. Cfr. Aubry et Rau, *Droit civil français*, § 442bis. Lege tamen ista non prohibebitur quis solutum pretium tuta conscientia retinere, donec sententia judicis imperata sit restitutio. Cfr. thes. 24.

CAPUT II

DE CONSENSU PACISCENTIUM

ARTICULUS I. De necessariis dotibus consensus

Vasquez, *In 3 p. S. Th. tr. De matrimonio*, d. 6, c. 2; **Molina**, tr. 2, d. 266, 267; **Lessius**, c. 18, d. 5 et 6; **C. de Lugo**, d. 22, s. 4, d. 23, s. 2-5; **Carrière**, *De contractibus*, n. 19-47; **Crolly**, *Disputationes theologicae de justitia et jure*, II, d. 3, § 4.

§ 1. *Notiones et Conclusio*

THESIS XXI

Ad essentiam omnis pactionis pertinet consensus verus seu internus, externo signo manifestatus et mutuus contrahentium.

299. I. Status quaestionis. 1. INTENTIO THESIS. Ipsa contractus descriptio necessariam ostendit aliquam consensus rationem. Qualis postuletur ad omnis pactionis

efficaciam, hic inquirimus et definimus, exigendo consensum qui simul sit internus et externus ac mutuus.

2. SENTENTIAE. Conditiones istae videntur indubiae, neque ansam praebere disputandi. Nihilominus Vasquez [1], ob suam definitionem promissionis, contendit fieri non posse ut verba promissionis edantur sine voluntate promittendi ; quod si fieri posset, futurum esse ut non minus obligaret talis promissio quam si cum voluntate promittendi fieret. Cui nonnulli astipulantur, contra communem et certam sententiam, quam hac positione defendimus. Cfr. C. de Lugo, d. 22, n. 45 sq. ; Carrière, *De contractibus*, n. 21. — Communissima item doctrina, cum S. Th. II. II, q. 88, art. 1. c., tenet requiri consensum externum, licet Molina, d. 266, (a n. 8), id ambiguum habeat, quando contractus gratuitus agatur.

3. EXPLICANTUR VOCES.

Ad essentiam omnis pactionis. Quaerimus ergo quibus dotibus ornandus sit consensus, ut, *ipso jure naturae*, consistere possit contractus. Alia tam a contrahentibus quam lege positiva superaddi posse requisita non negamus, sed in minimum quod opus sit inquirimus.

Pertinet consensus verus seu internus : hujusmodi est consensus, si animus consonat verbis, seu signis quae indicant assensum. Quando vero, sine animo contrahendi, exterius tantum et apparenter contrahitur, consensus dicitur *fictus*.

Externus jam pro vero habebatur a Vasquez, cujus sententia causam nobis dedit dicendi *: verus seu internus*.

Externo signo manifestatus. Ipsum silentium, in certis adjunctis, prodere potest consensum. Unde vulgatum hoc (caute tamen accipiendum) : *Qui tacet consentiri videtur* (43 R. J. 6°).

Et mutuus contrahentium: quibus verbis significamus, non

[1] D. 6, c. 2 tractatu *De Matrimonio*, quem morte abreptus, perficere non potuit, et qui reperitur ad calcem ejus Disput. in 3am Part. S. Thom., Definitio promissionis traditur n. 14.

tantum requiri ut utraque pars consentiant, sed ut utriusque consensus *in idem objectum, in eumdem contractum* concurrant, non mere materiali identitate casus, sed *formaliter*, ita ut *unum* quid *morale* constituant.

300. II. **Probatio.** Contractus est, ex ipsa definitione, *voluntaria* jurium commutatio. Talis ergo consensus est omni pactioni essentialis, qui solus possit esse *causa adaequata* commutationis jurium.

A. Hujusmodi causa nequit esse consensus, nisi fuerit verus seu internus, externus et mutuus *E.*

Patet prior illatio ; unde,

Ad minorem. Commutatio jurium non dicit simplicem exstinctionem juris susceptamve obligationem in uno, similisque juris acquisitionem ab altero, sed *formalem translationem* ejusdem juris ab uno ad alterum, *immediatam* in eodem jure successionem unius in locum alterius, qua unus amittit jus vel se obligat in ordine ad acquisitionem per alterum ; alter acquirit dependenter ab amissione per priorem. Cfr. supra, n. **222.**

Atqui, Translationis causa nequit esse voluntaria, nisi adfuerit :

1. CONSENSUS VERUS SEU INTERNUS. *Arg. 1.* Quod non est, nihil operatur. **A.** Fictus consensus non est consensus nisi specie tenus. **E.**

Arg. 2. De Promissione. « Promissio est lex privata quam promittens sibi imponit, et qua se ligat. » **A.** sine animo ligandi lex non consistit. **E.** Cfr. C. de Lugo, d. 18, n. 4; et S. Th. II. II, q. 88 art. 1.

2. EXTERNUS. Is omni ex parte apparet esse necessarius. Si enim in contractu respicias rationem *translationis* juris ab uno ad alterum : haec infert commercium hominum inter se, quod non est sine signis exterioribus ; — si *obligationem* exortam : haec est correlativa juris, quod alteri per consensum mere internum et latentem prioris nullatenus tribui potest, cum jus, utpote facultas voluntatis, debeat per se cognosci posse ; — si denique *ipsam rem*, objectum

juris : actus mere internus nequit eam sensibili, humano modo connectere cum illo qui jus acquirit, ita ut alii possint ac debeant revereri illam rei ad personam relationem. Cfr. C. de Lugo, d. 23, n. 31.

Seu brevius adhuc : Talis consensus requiritur qui possit *inter homines* operari jurium mutationem. **A.** Inter homines consensus mere internus est quasi non esset, et proin nihil operari potest. **E.** Requiritur externus.

3. MUTUUS, ratione explicata : a) Quatenus *utriusque* requiritur consensus. Ob personalem enim utriusque independentiam, neuter alterius consensu sed suo solum potest obligari aut acquirere jus.

b) Quatenus *formaliter in idem concurrant.* Nisi enim velit unus *formaliter, ab altero, tali pactione, id ipsum* acquirere, *quod* alter vult *alteri per hanc pactionem* tribuere, non erit immediata successio *ex consensu*, ut causa completa.

301. III. Difficultates.

1. PROMISSIO EXTERNA NECESSARIO INFERT PROMISSIONEM VERAM. Qui voluntarie profert verba infamantia, necessario infamat licet velit non infamare. A pari, qui voluntarie profert verba promissoria necessario promittit (Vasq. l. c. n. 17).

R. Nego paritatem.

Effectus infamiae habetur ex verbis extra prolatis; non ita effectus promissionis, cujus causa est voluntas se obligans. Imo, ad infamiam quae in termino sit formalis (n. 143, 145), ne intentio quidem requiritur proferendi verba. Nimis ergo probaret haec ratio.

Inst. A. est paritas. Promissio enim externa non est nisi « affirmatio et enuntiatio quaedam alicujus rei in futurum faciendae, ei insinuata, in cujus gratiam et utilitatem seu obsequium res facienda est. » *A.* statim ac voluntarie proferuntur verba promissionis, habetur haec definitio. *E.* (Vasq. l. c. 14).

R. Dist. maj..... Rei faciendae in futurum ex obligatione sibi a voluntate imposita, tunc *conc.* vel *transm. maj.* Rei faciendae in futurum, id est rei quae prævidetur futura,

vel cujus obligatio manat ex quodam facto injurioso, utputa deceptione, *nego. Contradist min.* Statim atque proferuntur verba habetur illa definitio : in 1ore sensu, *subdist.* si internus adfuerit animus, *C.* secus, *N.;* in altero sensu, *C.*

Definitio, intellecta eo modo quem improbavimus, conveniret in enuntiationem sive propositi libere concepti (ut bene ostendit C. de Lugo d. 23. n. 7-9), sive debiti ex delicto.

Promissio externa potius est locutio voluntatis se obligandi ad aliquid alteri praestandum. Ubi non adest talis voluntas, nulla habetur ejus locutio presse sumpta.

Inst. A. semper habetur illa definitio in 1ore sensu qui fuit concessus.

Nam qui non servat hujusmodi promissionem externam dicetur infidelis.

R. latiore quodam sensu et quia praesumitur non fecisse hanc fictionem, *C.* stricto sensu, *neg.* Cfr. n. 305.

Inst. A. stricto sensu. Nam obligatio fidelitatis est obligatio cujusdam veracitatis. *A.* veracitas exigit ut signum congruat significato, et proin ut facta concordent cum dictis quibus exterius promittuntur. *E.* promissio externa parit obligationem fidelitatis.

R. Nego suppositum.

Agimus de obligatione justitiae, dum arguitur ex obligatione fidelitatis. Ceterum, quo pacto concedi possint dicta de hac posteriore obligatione, Cfr. supra. n. 290.

2. Non requiritur consensus externus.

a) Voces et signa non habent vim nisi ex interiore actu. *E.* is sufficit, cum totam vim videatur continere (Molina tr. 2. d. 266. n. 9).

R. D. antec. i. e. non operantur nisi in virtute actus interioris, *C.*, posita hac virtute, nihil operantur instrumentaliter, *nego. Dist. conseq.* interior actus sufficit, si neque instrumentalem virtutem continerent voces, *C.* secus *N.* Quot instrumentorum necessitati eadem difficultas opponi posset !

b) De jure positivo, quaedam donationes validae sunt sine ulla acceptatione. *A.* tunc non est jam ratio exigendi

signum externum. Aliunde jus positivum nequit derogare naturae. *E.* (Mol. ibid. 10.)

R. ita ut obligent ex justitia, *neg.* ex fidelitate, quando v. g. potius Deo vovisti quam alteri homini promisisti, *Conc.* vel *transm.* Et potius adhuc, negari possit minor, cum C. de Lugo, d. 23, n. 34.

Utique, aliquando non ipse donatarius verum alter qui repraesentat hominem vel pium institutum acceptatione sua perficit contractum ; sed esse casum in quo, sine acceptatione ulla, formaliter nata sit obligatio justitiae, merito negat C. de Lugo, et casus difficiliores explicat d. 23. v. 42, sqq.

c) Si heri aliquid alicui, actu mere interno, promiseris, et hodie ipsi prodas tuam hesternam non revocatam promissionem, acceptatione promissarii teneberis ex interna promissione hesterna. *E.* (Mol. ibid. n. 11.)

R. Dist. antec. Si tua hodierna locutio rationem habeat intimationis, *C.* si speculativae narrationis, *nego,* nisi forte alter, rem occupans, eam hoc titulo retinere possit, quia novit te non urgere jus tuum ad restitutionem. Vel etiam tunc occupatio rei tuae poterit esse quasi petitio, cui tu tacite assentiris. Cfr. C. de Lugo, d. 23, n. 34.

d) Solo actu interno amittere potes possessionem, vel dominium. *E.* a pari. (Mol. Ibid. 12.)

R. 1. *Dist. antec.* amittere modo irrevocabili et qui me obliget, *N.;* secus, *C.*

Quamdiu hoc externe non apparuerit, nemo poterit, me invito, rem occupare.

2) Etiam *transm. antec., neg. parit.*

Hic non de amittendo sed de communicando jure alteri agitur.

e) Qui violat promissionem mere internam infidelis est. (Mol. ibid. 13.)

R. vel *transm.* quia non agimus de obligatione fidelitatis; vel *nego,* quia nemini infidelis est qui neminem decipit.

f) Qui juramento interno confirmat promissionem mere internam, tenetur sub gravi hac promissione. (Mol. ibid. 14.)

R. Quatenus juramentum habeat vim voti, *C.* secus, *nego.* Cfr. C. de Lugo, l. c.

3. IN CONTRACTIBUS GRATUITIS SALTEM, NON REQUIRITUR ACCEPTATIO EXTERNA.

a) « Si habeas commodatum librum Petri, et ipse scribat tibi librum donans : eo ipso quod, lecta epistola, donum acceptas, sine alio actu externo censeris sufficienter acquirere libri dominium, et potes de illo libro disponere. » *E.* Ex usu et praxi non requiritur acceptatio externa. C. de Lugo, d. 23, n. 64.

R. D. antec. Potes de illo libro disponere, ideo quia interne tantum acceptasti, *N.;* quia in re merae gratiae, vel ipsa dispositione libri, vel jam ante, ipso silentio, satis declaras consensum, *C. Dist. pariter consequens.*

b) « Si necessaria esset actio externa,... sufficeret ad hunc finem, quod solus in cubiculo, lecta epistola, diceres per vocem sensibilem : *Accepto.* Hoc autem superfluum omnino videtur. » C. de Lugo ibid.

R. Nego hoc sufficere.

Requiritur enim acceptatio externa in ordine ad commercium humanum; de qua ergo constare possit inter homines. Cfr. Carrière, n. 27, 28.

c) « Acceptatio in tantum requiritur, in quantum nemo invitus cogendus est ad acquirendum aliquid de novo : ad hoc autem sufficit consensus et acceptatio interna. » C. de Lugo ibid.

R. Dist. antec. Acceptatio requiritur propter hanc rationem ; et, data hac necessitate, talis requiritur acceptatio quae fundare jus possit quod ab aliis hominibus observari debeat, violari possit, *C.;* ex hac necessitate non eruitur acceptatio quae dotes habeat quas exigit consensus humanus quo jura mutantur, *N.*

4. NON REQUIRITUR CONSENSUS UTRIUSQUE.

a) Secus lex positiva non posset efficere, sicut aliquando facit, ut donationes quaedam nondum acceptatae non possint revocari.

R. Neg. Nam legislator id facere potest, sive ipse acceptando interea sub conditione, nomine personae moralis, v. gr. cui offertur donatio; sive, ob bonum publicum, obstringendo voluntatem

civis strictiore vinculo quam quod fert de se ipsa pollicitatio. Cfr. C. de Lugo, d. 23, n. 40; Less. c. 17, n. 40.

b) Obligatio non oritur ex voluntate acceptantis sed ex voluntate promittentis. *E.* ad obligationem non requiritur acceptatio.

R. Dist. antec. Obligatio non oritur ex voluntate acceptantis tanquam causa adaequata, vel primaria, *C.* tanquam causa partiali, *subdist.* Si est obligatio justitiae, *N.* fidelitatis, *C.* vel *transm.*

Nam obligatio justitiae oritur ex concursu ambarum voluntatum, ad quem pertinet voluntas acceptantis. Vel, si mavis, non est alteri obligatio justitiae nisi alter acquisierit jus; non acquirit autem nisi propria voluntate. Haec ergo partialem habet efficientiam. Cfr. C. de Lugo, l. c.

c) Post remissionem debiti a creditore, etiam ante ullam acceptationem, debitor liberatur ab obligatione solvendi; nam potest non solvi debitum, non invito creditore, sicut universaliter retineri potest res alterius, non invito domino. *E.* saltem non semper requiritur acceptatio.

R. Dist. antec. Ante acceptationem, debitor quidem liberatur ab obligatione solvendi, modo revocabili et durante eadem voluntate creditoris, sicut retineri potest res alterius (ante acceptationem) tanquam res alterius, *C.* liberatur modo irrevocabili, ita ut jus acquisierit quo immunis evadat ab actione creditoris; et res alterius retineri jam potest tanquam propria, *nego.* Cfr. de Lugo, d. 23, n. 53-55.

Per acceptationem vero acquirit illud jus; id est, jus quod habebat creditor ad ipsum transit; sed, cum simul sit debitor et nemo sibi debere valeat, jus illud confusione in ipso exstinguitur. Ita C. de Lugo, l. c. n. 60 in fine.

Simili ratione, sola voluntate non potest quis sic amittere dominium, ut antequam alter occupet rem (ut derelictam), non possit juste illam resumere, mutata voluntate. — De his cfr. de Lugo, l. c. n. 56-60.

5. SALTEM NON REQUIRITUR CONSENSUS STRICTE MUTUUS, SEU UNIO MORALIS UTRIUSQUE VOLUNTATIS.

Qui occupat rem alterius, hujus consensus ignarus, et postea certior fit alterum tunc non fuisse invitum; vel,

in universum, qui ex praesumpta domini voluntate aliquid sibi arripit, rem retinere potest. *A.* tunc nulla unio moralis. *E.*

R. Divido maj. Quod ad priorem asseverationem : ille rem retinere potest vel tanquam factam primi occupantis, si tunc simpliciter derelicta fuit; vel quamdiu alter non mutat voluntatem, seu non utitur jure suo, *C.* potest rem retinere tanquam sibi ex contractu acquisitam, *N. Quod ad alteram :* ille potest retinere rem, ita ut jus acquisierit contra illum cujus praesumit consensum, *N.* quia alter non utitur jure suo quod non amisit, *C.*

Discrimen facias non usus juris et cessionis juris. — Fieri tamen possit, ut ille cujus voluntas dicitur praesumpta, talia signa dederit quibus perpetuo veluti offerat res. Sic mercatores faciunt qui publice nuntiant se certam mercem definito jam pretio empturos vel vendituros. Profecto, ut adsit requisita moralis unio, satis tunc (per se) erit, si acceptetur haec continua pollicitatio.

§ 2. *Supplementa doctrinae*

I. *COROLLARIA.*

302. Quomodo uterque operetur consensus. Uterque consensus unam integrant causam, eorumque communis fetus est obligatio, saltem in uno, cum respondente jure in altero.

303. Obligatio ex ficta promissione. Qui ficte promittit, numquam tenetur ex promissione *formaliter* sumpta, cum haec nulla sit ; sed fictio illa, ut quaevis actio injuriosa et damnosa, obligat ad compensanda damna. Et si sola reparatio sit exsecutio illius quod visus est promittere, obligatio promittentis erit *materialiter* eadem atque illa quam peperisset vera promissio. (Contra Vasquez *De Matr.* d. 6, c. 2).

304. Voluntas non se obligandi, non standi promissis. Voluntati contrahendi repugnat etiam *voluntas non se obligandi :* quum contractus inferat obligationem voluntate susceptam. Quare nullus est contractus, si voluntas illa fuerit absoluta, vel respexerit idem objectum

sub ea ratione qua promittitur. Si vero praevaleat voluntas contrahendi, voluntas non admittendi aliquam ex obligationibus quae necessario oriuntur ex contractu, existimanda est ex errore procedere et elidi magis efficaci et absoluta voluntate contrahendi [1]. Quocirca, qui respuit aliquod onus cum matrimonio conjunctum, dum matrimonium contrahere vult, aliquando valide, aliquando invalide contrahit, ut explicatur in proprio tractatu.

Contra, essentiae contractus non repugnat voluntas *non exsequendi ejus obligationes*, licet aliquando, cum externe fuerit manifestata, indicium sit non serio susceptae obligationis (C. de Lugo. Ibid. n. 36).

II. *SCHOLIA.*

305. Vis exterioris consensus. Si externus consensus adfuerit : a) In *foro externo*, merito praesumitur adfuisse internus, vel imponitur obligatio interne consentiendi.

b) Altera pars *simplici* alterius affirmationi qua se ficte consensisse dicat, credere non debet. Cur enim majore fide quam quum externe consensit dignus nunc esset deceptor ?

306. Requisita advertentia. Illa requiritur advertentia ad substantiam actus, quae sufficit ut quis *mortaliter* peccet. Idque etiam in materia *levi*, quia censetur quisque rationabiliter nolle nisi pleno consensu sua spoliari re vel jure suo. Cfr. C. de Lugo, d. 23, n. 18 sqq., potissimum 23.

307. De obligatione levi si materia gravis fuerit. Licet autem quis *voto* vel *lege* sub levi obligari possit, etiam quum materia de se est gravis, communiter a theologis haec altera *in contractu* admittitur singularitas, ut *necessario* suscipiatur obligatio *materiae consentanea*. Etenim ex contractu alteri jus acquiritur. Porro violare jus alterius in materia gravi, grave est de se. Quare si absolute nolint gravem obligationem tunc oriri ex contractu, nul-

---

[1] Rursus contra Vasq. l. c. Cfr. C. de Lugo, op. c., d. 22, n. 38, 39; et *De Sacramentis in genere*, D. 8, n. 120.

lum fecerint contractum. Advertas tamen, cum obligatio *personalis* agatur, materiam quae objectum sit contractus mutari posse ex hac intentione, non item ubi versatur *jus in re*. Exempli gratia : Qui contractu transfert dominium equi, necessario sub gravi obligabitur ad non violandum illud jus dominii alteri acquisitum. Quod si velint pactione impedire, ipsam impedierint dominii acquisitionem. Similiter nullum fuerit *matrimonium* eorum qui sub levi tantum velint se obligatos ad fidelitatem sibi mutuo servandam. Qui vero sub levi sibi mutuo promiserint matrimonium, non quidem *sponsalia* fecerint, sed alterum quemdam contractum analogum, cujus objectum, ratione levis obligationis, factum fuerit leve ; sicut levis spes obtinendi equi non fuerit materia gravis. Cfr. C. de Lugo (contra Sanchez) d. 22, n. 40-43.

ARTICULUS II. De vitiis consensus

Molina, tr. 2, d. 209, 272, 273, 293, 326, n. 14, 352 ; **Lessius**, c. 17, d. 5 et 6 ; c. 18, d. 17 ; **C. de Lugo**, d. 22, s. 6 et 7 ; **Carrière**, *De contractibus*, n. 48-80 ; **Crolly**, op. cit., II, d. 4 ; **Ballerini-Palmieri**, *Opus morale*, t. 3, *De contractibus in genere*, n. 75-102.

§ 1. *Notiones de istis vitiis et de eorum effectibus*

308. Regulae practicae. In practica morum disciplina, ubi non tantum speculativae veritatis sed variarum opinionum habenda est ratio, non paucae numero traduntur de errore et metu eorumque vi et efficacia distinctiones, quas hic nec vacat nec juvat accurate dicendo persequi. Ut tamen summa attingamus capita quae in hac disputatione ante oculos sunt ponenda, haec sint praecise dicta :

1. De error. Error *substantialis* dirimit per se contractum ; non item error *accidentalis* [1], nisi qualitati, quae falso putatur adesse, consensus, ut conditioni sine qua non (*contraho si talis adsit qualitas*), fuisset expresse vel tacite subjectus. — Si tamen

[1] Si vero induxit inaequalitatem, seu causa fuit cur nimio pretio aliquid emeretur, pretium erit apte temperandum.

error ille *causam dederit contractui* et *ex dolo* (seu fraude) manaverit unius partis, altera potest arbitratu suo rescindere contractum. — Imo, etiamsi nulla fraus commissa, statim atque error vere causa fuit contrahendi, Lessius, c. 17, n. 33 et S. Alphonsus, l. 3 (4) 715, potestatem faciunt parti quae erravit recedendi a contractu, modo, ut apte subjungit Génicot, I, 579 III, alteram partem praestet indemnem.

Porro error dicitur *substantialis*, qui afficit essentiam contractus: sive ejus *naturam* (donationem pro venditione), sive ejus *causam* (promittis restitutionem pecuniae tamquam mutuo acceptae, nec fuit mutuo data), sive *objectum* quod, *partium definitione*, est *essentiale*. Quare qualitas quae primario intenditur pertinet ad sic intellectam essentiam. Ita, si domum quaeras ad rusticandum, essentialis erit situs ruri. *Causam dat* contractui error *antecedens*, seu sine quo non fuisset datus consensus.

Errorem ponimus *invincibilem*. Ex vincibili, erunt, pro gradu culpae, sarcienda damna.

2. De metu. Omisso *metu* ita *animum perturbante ut essentialem auferat deliberationem*, et *metu ab intrinseco* vel *ab extrinseco* sed *justo*, quo contractus non vitiatur, omnes primo obligant injusti metus auctorem ad sarcienda damna. — Deinde, si contractus fit *directe ex metu ab extrinseco et injusto*, alii jam permittunt ei qui metum sit passus ut rescindat contractum, modo metus fuerit *comparate* (respectu trepidantis personae) *gravis*, vel, si *levis*, *causam* tamen *dederit contractui* et agatur de contractu gratuito vel qui, ut sponsalia, majorem postulet libertatem [1]. Alii negant contractum infirmari, nisi alter contrahens fuerit ipse, saltem ut injustus cooperator, culpandus delicti. Tunc faciunt contractum *rescindibilem* ad nutum illius qui timore est affectus; imo, nonnulli saltem, *nullum*, modo metus fuerit saltem *comparate* gravis. — Metus qui nec sufficiens nec necessaria fuit causa contractus hunc non vitiat, sed obligat ad damna reparanda. — Denique si contractus *indirecte* fiat *ex metu*, contractus non est rescindibilis, nisi culpanda fuerit altera pars.

Porro contractus fit *ex metu*, si absque metu non fuisset conventum; fit *directe ex metu* si metus fuerit ad extorquendum consensum incussus; fit *indirecte ex metu*, si vis illata fuit ob alium finem, ita ut contractus in se sit justus.

309. Argumentum et sententiae. Solutiones istas minime cogitamus impugnare, sed de vera quaerimus atque intima earum explicatione. De quo thesis argumento ita sentiunt:

---

[1] Solutiones istae ex aequitate repetuntur. Cfr. infra, n. 312, 2, b.

1. Regulas *de errore* plerique [1] tuentur hoc innixi principio quod per se error tantum substantialis vel quo deficiat conditio sine qua non, pactionem faciat irritam. Nonnulli tamen, quibus astipulamur, errori causam danti vim per se tribuunt infirmandi actum. Ita Conradus, *De contractibus*, q. 57; Medina, *De restitutione*, q. 33.

2. Quod *ad metum*, sunt qui existiment, omni metu gravi et injuste a contrahente incusso, contractum fieri nullum [2]. Alii idem tenent de solis contractibus gratuitis [3], dum positio nostra, statim explicanda, vocatur a S. Alphonso, l. 3 (4) 716, probabilior et communissima. Nobiscum Lessius, c. 17, d. 6; C. de Lugo, d. 22, n. 115.

Quid opinemur, ita paucis damus: *Errore*, cujus rationem a metu plane secernimus, pronuntiamus a primo initio nullum fieri contractum, statim atque *ex errore* repetendus sit consensus; practicam tamen efficaciam, quam saepe obtinet contractus infectus errore non substantiali etsi dante causam, explicamus per *ratihabitionem* quae simul tacite supplevit defectum, et non raro lege naturae praecipitur.

Metus contra, si quid opinamur, nullum contractum de se infirmat. Qui tamen ex metu contraxit, rescindere poterit contractum, si vel ab altero contrahente reparanda sit injuria, vel aequitas naturalis (cfr. n. 312, 2, b) suadeat hanc facultatem inesse metum passo. Haec tamen tuemur tantum ut probabiliora nobis.

§ 2. *Conclusio et Supplementa doctrinae*

THESIS XXII

Per se contractum infirmat omnis error vere causam dans contractui, nullus autem metus etiam gravis. Practice tamen

---

[1] Molina, tr. 2, d. 209, n. 2-5; Lessius, c. 17, n. 33, 34; C. de Lugo, d. 22, n. 68 sqq. potissimum n. 92; S. Alphonsus, l. 3 (4), 715; Ballerini-Palmieri, *Opus morale*, t. 3, p. 3, n. 81 sqq.

[2] Molina, d. 326, n. 14; Rebellus, *De obligationibus justitiae* etc. 2 p. l. 1, q. 5, n. 15; Ballerini-Palmieri. *Opus morale*, t. 3, *De contractibus in genere*, n. 100-102.

[3] Sotus et alii apud C. de Lugo, d. 22, n. 114.

saepe simpliciter tenebit contractus infectus errore non substantiali, ob tacitam vel ipsa natura impositam ratihabitionem; dum reparanda injuria vel aequitas naturalis non raro ei qui metum est passus facit potestatem rescindendi stipulationem factam ex metu.

310. I. **Status quaestionis.** 1. INTENTIO THESIS haec ex dictis apparet esse, ut veram definiamus vim erroris et metus in pactiones; et sic solutionum quae circumferuntur simul assequamur justum modum et penitiorem rationem. Quid porro velimus, modo est traditum. Quare:

2. EXPLICANTUR VOCES.

Per se contractum infirmat, id est, de jure naturae et consideratus in 1° veluti initio, contractus non parit, qua talis, effectus juridicos.

Omnis error vere causam dans, seu removens illam scientiam quae prohibuisset consensum.

Omnis: tum de substantia tum de qualitate, sive mens errantis fuerit positive conditionata, sive non.

Nullus autem metus, etsi injuste fuerit incussus et directe ad extorquendum consensum.

Etiam gravis. Quibus verbis non tantum indicamus faciliorem esse causam metus levis, sed etiam innuimus a nobis non considerari metum quo ita perturbetur animus ut actum humanum tollat. De hoc enim expedita est quaestio.

Patet etiam nos ponere consensum vere internum, ita ut excludamus casum *fictionis* quem Ballerini-Palmieri astruit l. c. n. 100.

Practice tamen saepe simpliciter tenebit contractus. Quod communiter admittunt. Diversa est ergo, et, ni fallimur, magis adaequata nostra explicatio, non autem mutat practicam responsionem.

Infectus errore non substantiali. Substantialis enim error, saltem invincibilis, rem, omnibus fatentibus, sinit esse infectam. Si vero *vincibilis* fuerit, pro gradu culpae sarcienda possunt esse damna.

Ob tacitam, ipso contractu significatam voluntatem. Qui enim diserte consentit, v. gr., in venditionem, *simul* tacite dicit se renuntiare beneficio errorum qui ex sensu communi, pro varia contractuum natura, attendi non possunt. Hanc censetur gerere habitualem mentem. Et ex illa tacita et simultanea confirmatione repetimus efficaciam consensus qui per se foret inefficax ; dum adversariis ipse consensus est per se efficax, nisi, ob conditionatum animum, tacitae subjiciatur revocationi.

Vel ipsa natura impositam ratihabitionem. Ipsum enim jus naturae obstat ne nimis nutent contractus, atque hanc ratihabitionem imponit. Quod si positive resistat voluntas, culpanda erit injuriae reparandae.

Dum reparanda injuria vel aequitas naturalis, non raro ei qui metum est passus facit potestatem rescindendi stipulationem factam ex metu. Cfr. n. 308, 2. Stipulatione a nobis intelligitur ipse contractus.

II. **Probatio.**

311. A. PRIORIS PARTIS. *De efficacia quae per se competit errori vel metui.*

Ut ex parte consensus nihil essentiale desideretur in contractu, requiritur et sufficit ut in consensu, qui vere sit actus humanus, reperiat causam suam adaequatam.

A. Hoc requisitum per se aufert omnis error causam dans, per se autem nullus metus etiam gravis. *E.*

Maj. constat quia contractus est *voluntaria* commutatio.

Prob. min. Qua parte consensus laborat ignorantia, actus est non humanus ; quatenus autem sine ignorantia illa non fuisset praestitus, hac ipsa sua parte non humana ingreditur formaliter contractum *in fieri*, et in effectum obligationis (si adesset) exerceret necessariam efficientiam. Quocirca S. Th., I. II, q. 6. art. 8, in universum pronuntiat, quod ignorantia *antecedens*, quae habetur « quando non est voluntaria et tamen est causa volendi quod alias non vellet,..... causat involuntarium simpliciter. » Inde et effata : « Non videntur consentire qui errant. Nullus errantis consensus. Errantis voluntas nulla est. »

Contra, consensus ex *metu* datus manet ex toto humanus. Deliberate, imminente hoc vel illo malo, seligitur hoc medium evadendi.

Quare quae ex metu non perturbante rationem fiunt, in universum pronuntiantur *simpliciter* voluntaria, etsi plerumque simul sunt involuntaria *secundum quid*. Cfr. S. Th. I. II, q. 6. art. 6.

Confirmatur, quod attinet ad effectum erroris :

a) Ex hoc quod practicae regulae Lessii et S. Alphonsi (supra n. 308, 1) vix explicantur in altera sententia. Quomodo enim, si error causam dans contractui non vitiat contractum, permittitur personae quae a nemine quam a seipso est decepta, recessus a contractu ita ut, praesertim re integra, se non consideret ut obligatam? Quomodo a S. Alph. 715 dicitur haec esse tacita mens contrahentium?

b) Ex hoc quod ipse Ballerini-Palmieri, n. 91, praeclare sentit et exponit difficultatem rei, hoc est, non posse plus obligationis per contractum imponi alicui, quam quod ipse sibi voluerit assumere..... nec fieri posse ut id voluerit quod ignoraverit. Quocirca mere ad vitandas perturbationes in humano commercio vim sustinet contractus. Sed nostra sententia aeque bene vitatur istud incommodum.

Confirmatur, quod ad metum, eo quod metus non injustus aut ab intrinseco, omnibus fatentibus, non infirmat contractum ; non aliter tamen quam injuste datus attingit consensum. Injuria autem facta, si proprios quidem gignit effectus, non tamen intrinsece mutat ipsum contractum, ut videtur id contendere Ballerini-Palmieri, n. 90.

312. B. ALTERIUS PARTIS. *De corollariis practicis.*

1. ***Practice tamen saepe simpliciter tenebit contractus infectus errore non substantiali, ob tacitam vel ipsa natura impositam ratihabitionem.***

Contractus, etsi errore quodam vitiati, eam de se obtinent firmitatem, quae commercio inter homines communiter requiritur. Hanc enim censentur partes sibi mutuo praestare securitatem contra fortuitos errores et deceptiones; et ipsa lex naturae, ut satis caveat bono communi, hanc imponit firmitatem. Major autem firmitas nullo probaretur argumento.

A. Tacita ratihabitio qua partes, intra limites communis

exigentiae, renuntiant beneficio erroris plane firmat contractum quantum ad bonum commune requiritur.

E. Haec est admittenda vel ipsa imponitur natura, proindeque ob eam fiet non raro ut simpliciter teneat contractus infectus errore non substantiali. *Non substantiali,* inquam : substantialis enim erroris, qui magis omnem removet voluntatis efficientiam et facilius vitatur, non est eadem ratio.

Adversarii autem, dum ipsi vitiato consensui generalem tribuunt efficaciam commutandi jura, frustra inducunt in contractus effectum quemdam *ultra consensum. Frustra:* nam nulla est necessitas; nec tum jam explicare poterunt facultatem resiliendi supra concessam ex auctoritate Lessii et S. Alphonsi.

2. ***Reparanda injuria vel aequitas naturalis non raro ei qui metum est passus facit potestatem rescindendi stipulationem factam ex metu.***

Ipsa natura vult ut, nisi obstet praevalens detrimentum commune, adaequate reparetur injuria ; atque aequitatem naturalem ipsa natura sancit. Sanctio enim ista pertinet ad congruum regimen proprietatis privatae.

A. Facultas rescindendi ei concessa qui passus est metum :

a) Requiritur ad perfectam injuriae reparationem, *statim atque illatae vis alter contrahens est aliquo modo reus.* Id est manifestum. Nisi is enim fata contractus permittat voluntati cui metum incussit, verum suae injuriae reportabit fructum.

b) Saepe postulatur ab aequitate naturali, *etiam si altera pars non fuerit culpanda.* Contra enim aequitatem naturalem foret per se, ut quis per consensum metu extortum modo immutabili e sua re, e suo jure concideret; idque eo magis foret iniquum, quo contractus natura sua postulat magis ultroneam voluntatem vel minus alteri parti detrimentum ex rescissione est pertimescendum. Omnes enim sentiunt, esse etiam per se de ratione dominii,

quod liberum tribuit rei usum, ut pactiones fiant ex consensu satis ultroneo; idque potissimum esse necessarium in iis quarum causa est animus benefaciendi vel quibus ipsa personalis libertas aliquo modo alienatur. Hinc ergo bonum commune exigit de se ut verus consensus sit efficax; illinc tamen aequitas vult, praesertim in donationibus et matrimonio, ut consensus ille sit ultroneus. Apta ratio haec conciliandi erit, ut contractus ex metu injusto facti valeant quidem, non tamen sint absque novo consensu firmi, nisi obstet vel ipsa indoles contractus qui rescindi non valet vel praevalens detrimentum alterius partis, ut contingeret si in contractu oneroso metus levis, a tertio incussus, opponi posset parti quae injuriae non fuit particeps [1].

E. Facultas ista a natura conceditur quantum fieri possit sine detrimento majoris boni communis.

Major autem sanctio nullitatis a) per se non requiritur, cum parti laesae non noceat nisi firmiter suscepta obligatio; b) indirecte minus ipsi favet, cum solvat vinculum alterius contrahentis. Objectio autem petita ex contractibus qui, ut matrimonium, rescindi nequeunt, solvetur infra, inter responsa ad difficultates.

313. III. Difficultates.

1. NON OMNIS ERROR CAUSAM DANS, CONTRACTUM PER SE INFIRMAT. Nam:

a) Hujusmodi error saepe non est substantialis sed accidentalis. *A.* Quod non est substantiale non tollit rei essentiam. *E.*

R. D. maj. Non est substantialis in ordine ad objectum, quatenus non respicit ejus substantiam, *C.* in ordine ad voluntarium, *N. Contradist. minorem:* Quod nullatenus est substantiale non tollit rei essentiam, *C.* Quod sub aliquo respectu, *N.* vel *Subdist.* non tollit rei essentiam sub hoc

[1] Sic defendimus casus traditos n. **308,** 2. Haec tamen rescindendi facultas, ob aequitatem, non omnibus probatur.

respectu, *C*. Sub alio respectu et simpliciter, cum, deficiente una nota, pereat ipsa essentia, *N*.

Omni errore causam dante fit ut contractus non jam sit totus a voluntate ut a causa proxima adaequata : quod corrumpit voluntarium requisitum ad contractum. Quare, presse loquendo, ne in substantiam quidem rei prout exsistit est consensus, sed potius in abstractam substantiae rationem.

b) Si involuntarium quodlibet tolleret contractum, ob frequentiam casus, incredibilis foret perturbatio in humano commercio. B. P. *De contr. in genere*, n. 91.

R. Nisi ex necessaria ratihabitione recuperaret suam firmitatem, *C*. Posita lege ratihabitionis, *N*.

c) Voluntas errantis circa qualitatem, non habet hanc tendentiam : « contraho si res hanc qualitatem habet, » sed hanc : « contraho, tamen non contraherem si scirem rem illa qualitate carere. » *A*. Quum reapse nesciat, illa conditio nihil operatur, nec impedit consensum actualem et absolutum qui actu adest. *E*.

R. nego. maj. quia falsa altera saltem ejus pars.

Tendentia enim est haec : « contraho, non contracturus nisi rei inesset, *ut judico*, talis qualitas. » Objiciens autem ita explicat consensum ut, contra hypothesim, supprimat omnem errorem. Pro errore ponit conscientiam vel positivam suspicionem verae ignorationis! Ratio autem infirmitatis non tam est defectus appositae conditionis, quam defectus voluntarii ex errore dante causam.

2. CONTRACTUS FACTUS EX METU INJUSTO EST DE SE IRRITUS. Nam :

a) Metus ille tollit *causam* contractus.

Sive enim agitur contractus gratuitus: ille qui ex metu promittit, non habet intentionem liberalitatis (B. P. 102); sive onerosus aut bilateralis: non intendit alterius onus aut obligationem permutare cum sua, sed permutat mere suam obligationem cum redemptione ab injusta vexatione. Haec autem est causa falsa, cum respiciat objectum quod non est pretio aestimabile, utpote jam debitum ex justitia commutativa.

R. Neg. assert. ejusque probationem.

Etenim qui vere consentit in contractum, vult finem intrinsecum obligationis quae pertinet ad hunc contractum. Vult ergo gratis dare, etsi illa intentio non proficiscitur ab animo sponte sua benevolo. Quoties autem contingit ut dona fiant parum libenter,

sincere tamen, quia usus cogit, spes alicujus utilitatis id suadet! Similiter vere vult permutare suam obligationem cum onere vel obligatione alterius. Difficultas permiscet causam proprie dictam et motivum impellens aut finem remotiorem. Cfr. C. de Lugo, d. 22, n. 120.

Inst. Qui, ut caput tegat, objicit baculo brachium quod proinde laeditur, non censetur consensisse in istud vulnus. *A.* Perinde hic se res habent. *E.* B. P. 102.

R. Dist. maj. Non censetur consensisse in laesionem brachii, *C.* In protensionem brachii, etsi ex metu factam, ut medium se tuendi, *N. Dist. min.* Perinde hic res se habent, quatenus contractus esset ipsum vulnus, *N.* protensio brachii, *C. vel transm.*

Vulnus erit potius laesio, damnum, si quod ex ipso contractu sequitur.

b) Affirmare jus resiliendi ad libidinem, est negare obligationem. Negare autem obligationem, est negare vim contractus, cum effectus proprius et necessarius pactionis sit obligatio. *E.* Quum metum injustum passo permittatur rescissio pro ipsius arbitrio, conceditur nullitas contractus ex ipsius parte. B. P. 89.

R. Dist. maj. Affirmare jus resiliendi est negare obligationem quod ad primum nasci vel esse, *N.* quod ad firmum esse, *subdist.* ob causam intrinsecam vel extrinsecam contractui, *C.* ob causam necessario intrinsecam, *N. Cdt. min.* Negare obligationem quod ad primum esse vel quod ad firmum esse ob causam contractui intrinsecam est negare valorem contractus, *C.* vel *transm.:* ob causam extrinsecam, *N. Nego cons.*

Rescissio permittitur ob metum incussum: quod factum injuriosum antecedit contractum, ejus est causa moralis, et proin ipsi est extrinsecum. Sicut si, facta prius pactione de aliqua re praestanda, altera pactione exsecutio remittatur arbitrio debitoris, nullam non dixeris priorem pactionem, cujus effectus tantum ab extrinseco auferatur; sic, in praesenti causa, habemus duo facta juridica: *injuriam* quamdam et *contractum*. Prius parit incutienti metum obligationem reparandi damnum, si laesus voluerit. Alterum imponit huic obligationem, cujus rescissio est adaequata damni reparatio. Potest is, quasi creditor et debitor ejusdem rei, per compensationem exstinguere istam obligationem.

c) Facultas resiliendi non satis tuetur personam quae metum est passa; cum sine remedio sinat esse contractus indissolubiles, ut Matrimonium.

R. Nego antec. et *ad rat. dist.* Sine ullo remedio, *N.* sine remedio rescissionis, *subd.* per se, *N.* per accidens ob praevalentem utilitatem boni communis, *C.*

Suppetit enim hoc remedium, ut metum passus *fingat* consensum; potest etiam lex positiva pleniorem irritationis effectum annectere isti vitio consensus: ut Ecclesia fecit pro matrimonio et professione religiosa. Si autem contrahens omiserit uti facultate fingendi, et positiva lex siluerit, per accidens, ob causam publicam quae vetat ne certi contractus rescindantur, deerit quaedam adaequata reparatio injuriae. Satis vero est ut in lege naturali per se insint remedia sufficientia ad injurias reparandas, etsi non raro eorum usui ratio superior repugnet. Ita v. gr. adaequata per matrimonium reparatio impervia est deceptori uxorato.

IV. *COROLLARIA.*

314. Quid re differant sententiae. Formale discrimen inter explicationem de efficacia erroris quae a plerisque traditur et nostram, hoc est, quod illi *infirmitatem* contractus repetunt *ex positiva* voluntate (ponendi conditionem sine qua non) quae superadditur errori; dum nos alteri *positivae* voluntati tribuimus contractus *firmitatem,* et suum errori permittimus connaturalem effectum. Secundum illos, *valet* contractus ex *consensu erroneo;* secundum nos, *ex altero consensu* qui per generalem voluntatis dispositionem in his adjunctis sat manifestatur, et qui nullatenus est erroneus. Cfr. 309 et 312.

315. Gratuita stipulatio ex metu. Quum contractus unilateralis gratuitus hunc unicum pariat effectum obligandi promittentem, et practice nullum sit vinculum ad nutum solubile, contractus gratuiti dici possunt ipso metu infirmari, quod attinet ad practicam efficaciam.

ARTICULUS III. De consensus intimatione et de primo obligationis initio.

Lessius, c. 18, d. 6; ***C. de Lugo,*** d. 22, n. 26-35; ***Carrière,*** *De contractibus,* n. 34; ***C. d'Annibale,*** I. 224; ***Lehmkuhl,*** I. 1061, 1062, ***Ballerini-Palmieri,*** *Opus morale,* t. 3, *De contractibus in genere,* n. 47-51; ***Crolly,*** op. c. t. II, d. 3, § 4, p. 3.

THESIS XXIII

Essentiale est contractui, ut ipse consensus, quatenus est offerentis, non vero, probabilius, quatenus est acceptantis sit ab altero alteri intimatus.

Quare, per se, absoluta obligatio ex contractu initium habet in pactione unilaterali ab alterius exteriore acceptatione, in bilaterali vero ab intimato consensu repromittentis.

316. I. **Status quaestionis.** 1. HAC THESI AGIMUS de consensus requisita *intimatione,* unde tempus utilis revocationis simul valebimus definire. Quaestio illa de prima obligationis origine non est, ut patet, practici momenti, nisi quum pactio celebratur inter absentes.

2. SENTENTIAE. Omnes exigunt intimationem prioris offerentis.

Non pauci jurisperiti [1] exigunt intimationem etiam acceptationis.

Plerique, contractus unilaterales a bilateralibus distinguentes, in his solis requirunt mutuam intimationem et sic in nostram sententiam concedunt. Sic C. de Lugo, d. 22, n. 27, 29; Ballerini-Palmieri, n. 48. Non ita tamen conceptis verbis affirmant conditionatam prioris offerentis obligationem, quam nos, ut statim declarabimus, putamus per se prius oriri.

Alii denique, ut Carrière, n. 34 fine; R. P. Lehmkuhl, I. 1061, existimant ne in bilaterali quidem contractu per se requiri reciprocam intimationem, sed ab exterius acceptata prioris pollicitatione jam per se perfici pactionem etiam bilateralem.

3. EXPLICANTUR VOCES.

Essentiale est contractui, ita ut ne spontanea quidem paciscentium renuntiatione, possit, hoc omisso, consistere formaliter contractus.

Ut ipse consensus quatenus est offerentis, non vero probabilius quatenus est acceptantis. Itaque, ut habeatur consensus effi-

---

[1] Cfr. Carrière, *De Contractibus*, 34; Baudry, *Précis de droit civil*, II, n. 797.

ciens obligationis, opus est, nostra sententia, ut consensus, qua parte est *oblatio*, minime autem, ut opinamur probabilius, qua parte est *acceptatio*, intimetur.

Sit ab altero alteri intimatus. Intimatio est instar promulgationis in lege. Est ergo denuntiatio mentis, seu propositi notificatio, per locutionem mediatam vel immediatam, formalem tamen, unius contrahentis cum altera parte.

Quare per se. Possunt enim partes, expressa vel tacita voluntate, majorem sibi reservare facultatem, seu in longius intervallum differre primum momentum obligationis.

Absoluta obligatio ex contractu: Conditionata enim, qua prior pollicitans jam non potest arbitratu suo recedere, sed ab arbitrio pendet alterius cui optio datur se ligandi vel non, exsistere potest et per se exsistit in contractu bilaterali a momento quo alter externe acceptaverit priorem promissionem.

Initium habet in pactione unilaterali ab alterius exteriore acceptatione. Exteriorem volumus de qua *per se* constare possit inter homines. Cfr. supra, n. 300 et 301, 3, b.

In bilaterali vero ab intimato consensu repromittentis. Hic ergo duplicem exigimus intimationem, ante quam nequit adesse absoluta obligatio seu perfectus contractus bilateralis.

II. **Probatio.**

317. A. PRIORIS PARTIS. *De necessitate intimationis.*

1. DEBET INTIMARI CONSENSUS, QUATENUS EST OFFERENTIS.

Jus quo cedit offerens debet *ab ipso offerente* in eo statu poni in quo ab altera parte possit acquiri.

A. Per solam intimationem ponitur in eo statu.

E. Consensus, quatenus est offerentis, debet ab altero alteri intimari.

Ad maj. Id quo ponitur in eo statu exercet causalitatem veram, etsi forte instrumentalem, in ipsam juris amissionem, sicut ipsa externa locutio Dei pertinet ad motivum fidei. Integra autem illa causalitas tribui debet voluntati offerentis. Sin minus non foret plane voluntaria cessio.

Ad min. Jus enim non potest acquiri dependenter ab

alterius cessione, nisi voluntas cedentis fuerit communicata alteri : quod fit inter homines per solam locutionem. Dicere autem hujusmodi voluntatem est propriissime eam intimare.

2. NON DEBET INTIMARI QUATENUS EST ACCEPTANTIS.

1m Arg. Consensus *acceptantis* poscitur talis tantum quo possit acquiri jus inter homines.

A. Ad illum effectum non requiritur per se formalis intimatio cuipiam facta. *E.*

Prob. min. Per occupationem rei nullius, sine aliqua formali denuntiatione, ejus dominium acquiritur.

Confirmatur. Is enim est effectus intimatae pollicitationis, ut alter eamdem facultatem habeat acquirendi rem alterius, quam quivis habet acquirendi rem nullius. Ad hoc sufficit signum externum consensus.

2m Arg. Causa nequit esse posterior effectu.

A. Post externam alterius acceptationem, jam habetur de se consensus duorum seu *plurium in idem placitum:* quae est contractus definitio.

E. Intimatio consensus, quatenus is dicit *acceptationem*, est de se posterior contractu, et proin nequit de se ut causa requiri.

3m Arg. Si de se requireretur intimatio acceptationis qua talis, vix vitaretur processus in infinitum. Nam pari ratione necessaria foret nova intimatio qua significaretur priorem intimationem receptam fuisse ante revocatum consensum, et sic porro. Quod latius exponit Carrière, *De Contr.* n. 34, ubi de tertia opinione.

318. B. ALTERIUS PARTIS. *De 1a origine absolutae obligationis.*

A perfecto contractu, cum obligatio sit ejus effectus *necessarius,* oritur absoluta obligatio.

A. Per se, ab alterius exteriore acceptatione perficitur contractus unilateralis, bilateralis vero ab intimato consensu repromittentis. *E.*

Ad min. 1. *De unilaterali contractu.* Non perficitur *ante*, quum utriusque consensus *externus* probatus sit essentialis.

Non *post*, per se, quia, in contractu unilaterali, alter mere acceptat, non repromittit, acceptatio autem non debet per se intimari.

2. *De bilaterali.* In contractu bilaterali, contra atque in unilaterali, etiam acceptans seu promissarius aliquid sua vice offert, promittit. V. gr. in venditione alter offert domum, alter pretium; in matrimonio, per verba quae exprimunt consensum de praesenti, uterque tradit corpus et acceptat traditionem ab altera factam. Consensus ergo repromittentis continet oblationem.

A. Oblatio intimari debet.

E. Ante intimatum istum consensum a repromittente, non perficitur ille contractus.

Prior autem pollicitans, eadem locutione qua suam intimavit obligationem, jam potuit acceptare futuram oblationem repromittentis, et ita jam conditionate teneri, « si alter tale quid repromiserit. » Quod fit per hujus insinuatum consensum. *E.* Per se, facta illa intimatione nihil jam perfectioni contractus desideratur.

Quod etiam sic ostendi potest. In quibusdam causis omnes fatentur priorem pollicitantem jam non posse recedere, etsi nondum receperit notitiam consensus alterius : v. gr., si simul cum literis proponentibus emptionem equi, ipsum pretium miserit [1]. Si autem praeterea aliquid essentiale deesset ipsi conditionatae obligationi prioris pollicitantis, id non posset contingere per se, seu nulla accedente causa praeter utriusque partis consensum.

319. III. **Difficultates.**

1. NON REQUIRITUR UT INTIMETUR CONSENSUS OFFERENTIS. Ideo foret illa intimatio necessaria, ut posset ab altero acceptari promissio. Sed haec ratio nulla est, nam potest quis in antecessum acceptare promissionem futuram. *E.*

R. C. maj. D. min. Quae acceptatio effectum operabitur ab insinuata promissione nunc futura, *C.;* a facta, *nego.* Non potest enim acquiri acceptatione nisi quod actu jam nequit

[1] Cfr. Ballerini-Palmieri, l. c. n. 50.

a promittente retineri. Sin minus, acceptatio spoliaret promittentem aliqua sua facultate seu jure. Jus enim est pollicitanti retinendi rem donec eam formaliter tradiderit per intimationem. *Dices,* promittentem hoc jure suo cedere posse. Id non negamus, modo hanc suam cedendi voluntatem insinuarit. Hac autem ratione jam in antecessum habetur quaedam generalis intimatio oblationis futurae. Cfr. de hac difficultate C. de Lugo, d. 23. n. 67.

Secus etiam ad illud absurdum devenires, aliquem qui semel manifestasset se omnia accepturum quae sibi dari vellent, jam ita obstringere quoslibet promissores, ut ante communicatam notitiam ipse acquireret jus absolutum. Cfr. C. de Lugo, d. 23, n. 67.

2. REQUIRITUR INTIMATIO ACCEPTATIONIS.

a) Sicut enim debeo tibi manifestare voluntatem meam me obligandi, sic tu debes mihi manifestare voluntatem tuam qua vis me tibi obligatum. (Sic fere apud C. de Lugo, d. 22, n. 7.) Nec est discrimen inter promissionem et acceptationem.

R. Neg. Nam acceptatio formaliter sumpta habet rationem acquisitionis juris; sed, ad acquirendum jus, sufficit ut facultas mihi data sit et modo humano objectum apprehendam, sicut nulla intimatio requiritur ad acquirendam occupatione rem nullius. Cfr. C. de Lugo, d. 22, n. 29.

N. B. Ratio ergo cur postulemus in contractibus bilateralibus insinuationem utriusque consensus, non est quia « sicut mutua juris cessio, ita mutua acceptatio requiratur » (R. P. Lehmk. I. 1061), sed quia non habetur, ante insinuationem, mutua juris cessio, quod ad jus quod transfert altera pars.

b) In contractibus bilateralibus non potest distingui acceptatio a voluntate se obligandi. *E.* requiritur insinuatio consensus, ut is dicit acceptationem. Sic fere C. de Lugo, d. 22, n. 29.

R. D. antec. Non potest distingui materialiter, *C.* formaliter, *N. Pariter dist. cons.*

3. FALSA EST UTRAQUE REGULA DE PRIMA OBLIGATIONIS ORIGINE.

Vel sufficit externa acceptatio, et tunc jam, ante intimatum repromittentis consensum, oritur absoluta obligatio bilateralis pactionis; vel requiritur intimatio acceptationis, et tunc unilateralis contractus non est perfectus ab acceptatione. *E.* Falsum alterutrum assertum.

R. C. disjunctionem ejusque prius membrum, nego autem *priorem conseq.*, quia consensus repromittentis continet oblationem, et qua talis est intimandus.

Inst. A. non est qua talis intimandus.

Nam « prior, qui alteri absenti aliquid offert sub conditione reciprocae pretii vel alterius rei oblationis, hanc alterius contrahentis oblationem, quam sperat, jam continuo hypothetice acceptare potest: quod si facit, jam quando alter propositis conditionibus consentit, et utriusque oblatio et utriusque acceptatio habetur, eaque non hypothetica tantum, sed absoluta. » (Lehmkuhl, I. 1061). *E.* ante ullam novam intimationem, habetur contractus perfectus.

R. Prior qui alteri absenti aliquid offert.... alterius oblationem acceptare potest hypothetice, *dist. maj.* i. e. sub conditione consensus alterius dati et insinuati, *C.* simpliciter dati, *Subdist.* potest id velle ita ut alter obligetur ante insinuatum suum consensum, *nego;* ita ut ipse jam non possit recedere ab exterius dato consensu, *C. Contradist. min.* Posito consensu insinuato, haec oblatio et acceptatio fit absoluta, *C.* ante insinuationem, *Subdist.* fit absoluta, h. e. soluta arbitratu prioris offerentis qui obligatur, *C.* simpliciter, *neg. Neg. conseq.* Cfr. Resp. ad 1 diff.

Non esse priori pollicitanti, ante acceptum nuntium acceptationis, jus acquisitum, sic etiam ostendi potest. Nemo negat acceptantem posse sibi reservare facultatem resiliendi, donec pervenerit nuntius ipsius acceptationis. Sed, ne haec facultas nugatoria fiat, nonne prior pollicitans exspectare debet intimationem voluntatis, antequam de jure quod ab altero obtinere voluit, disponat? *E.* per se prohibetur dispositione juris ante hanc insinuationem, et proin jus non est ipsi acquisitum.

IV. ***COROLLARIA et SCHOLIA.***

320. Sufficit insinuatio facta procuratori. Quia procurator repraesentat mandantis personam, insinuatio facta procuratori sufficit ut perficiatur contractus.

Et causam propositam **318**, 2 fine, conatur C. de Lugo d. 22, n. 33, 34, explicare, quia tunc prior pollicitans faceret alteram partem suum mandatarium qui sibi ut mandatario insinuaret

consensum quem dat ut contrahens. Quod nimis acute excogitatum esse et contra rei communem intellectum quis non videt?

In eodem casu, repromittens poterit adhuc utiliter revocare suum consensum donec fuerit insinuatus.

321. Promissio in gratiam tertii. Qui Titio promittit se quidpiam facturum in gratiam Caii, erga Caium non tenetur obligatione justitiae, antequam is rite rescierit et acceptarit. Tenebitur vero erga Titium, modo hujus intersit, sive ratione rei, sive ratione personae conjunctae, praestationem promissam exsecutioni mandari. Et ex jure naturae non poterit, invito Titio, revocare suam promissionem et auferre Caio optionem. Cfr. Carrière, n. 230.

322. De obligatione prioris pollicitantis. Plerumque, in bilaterali contractu, ut paris sint conditionis, neuter vult ante alterum obligari. Quare conditionata illa obligatio prioris pollicitantis non censetur adesse nisi hujusmodi voluntas sat aperte fuerit manifestata.

323. De jure positivo *Galliae* constat donationem non perfici antequam donatarius insinuaverit suum consensum donatori (art. 932). Ad ceteros actus quod attinet, jurisperiti in tres abeunt sententias. Sed qui tenent contractum per acceptationem perfici, talem intelligunt acceptationem, ut penes acceptantem non jam sit signa factae acceptationis retractare. Volunt itaque consensum ita manifestum, ut nulla ratione aequiparari possit proposito mente retento. Sic scriptae literae destrui possunt; sed commissae officio publico quo mittantur (*lettre jetée à la poste*) jam certum efficiunt documentum consensus. Cfr. Baudry II, 797[bis]; Laurent XV, 479; Aubry et Rau IV, § 343$_3$; Thiry II, p. 555 sq.

Ex novo *Germaniae* codice, art. 151, contractus sola pollicitationis acceptatione perficiuntur, nisi, pro more recepto, exspectanda sit insinuatio acceptationis. Dignae practerea sunt consideratione variae dispositiones de conditionata pollicitantis obligatione. Huc fere recidunt, ut offerens per se sua pollicitatione obligetur, modo altera pars statim respondeat (verbo, si coram res agatur; sin minus, per literas). Cfr. art. 130, 145-150.

CAPUT III

DE LEGIBUS QUAE IRRITOS FACIUNT ACTUS JURIDICOS

Molina, tr. 2, d. 81; *Suarez*, *De legibus*, l. 5, a c. 19; *C. de Lugo*, *De justitia et jure*, d. 22, s. 9 (n. 249-279); *Carrière*, *De contractibus*, 105, 154, praesertim a 147; *C. d'Annibale*, *Summula theologiae moralis*, I, 209-216; *Lehmkuhl*, *Das bürgerliche Gesetzbuch des deutschen Reiches*, t. 2 (Vorbemerkungen); *Waffelaert*, *De justitia*, I, 343-354; *Van Gestel*, *De justitia et lege civili*, n. 63 sqq.; *Ballerini-Palmieri*, *Opus morale*, t. 3, p. 3, c. 1, n. 24-44.

ARTICULUS 1. Notiones praecipiendae.

324. De lege irritante et prohibente. 1. *Irritans* seu infirmans est lex quae ex toto vel parte naturalem tollit efficaciam juridici actus. Presse ergo respicit actum cui per se nihil deest ad jura commutanda, ejusque impedit virtutem.

Lex mere *prohibens*, contra, non attingit juridicum actus effectum, sed culpat agentes: ita v. gr. leges quibus statuuntur impedimenta mere prohibentia matrimonii.

Lex irritans non est necessario prohibens: nullam violat prohibitionem qui donando, testando, sollemnitates omittit ex lege necessarias.

Sanctio infirmationis dicebatur olim *perfecta;* sanctio solius poenae *minus quam perfecta;* infirmationis et poenae, *plus quam perfecta.*

2. *Tres* distingui possunt *modi infirmandi.* Lex enim potest actum facere irritum: a) *post sententiam judicis*, non pleno jure; b) *pleno jure* sed *civiliter* tantum; c) *pleno jure* etiam *naturaliter.*

Quo spectent tres isti modi magis patebit ex quinque rationibus improbandi actum juridicum quas Laymann legi positivae ascribit:

α) Lex mere *non assistit* actui, seu non dat actionem in foro externo: hanc negant debitis ex ludo art. 1965-1967 C. Gall.

β) Actum mere *prohibet*, sed nullum tollit effectum juridicum. Hoc modo improbantur matrimonia inter haereticam et catholicam partem.

γ) Facit actum *rescindibilem* per judicis sententiam. Sic, in gratiam pupillorum, etc., statuunt art. 1124, 1125, C. Gall. Sic etiam art. 1117 rescindibiles fecit contractus ex metu.

δ) Facit actum *nullum civiliter*, eum pro infecto habet, ita ut post judicis sententiam, quae declaratio potius est dicenda (nec semper requiritur), ita infirmetur ac si ab initio nihil fuisset actum. Exempla sunt, v gr., de jure civili gallico, matrimonium celebratum tantum coram ministro Ecclesiae.

ε) Vel etiam *aufert*, ante omnem sententiam seu declarationem, *obligationem naturalem*, seu *fori conscientiae*. Sic, de jure canonico, matrimonium contra formam tridentinam, ubi viget decretum *Tametsi*.

325. De nullitate et de obligatione naturali. 1. Ex dictis sequitur verba *actus nullus*, quae per se sunt clara et definita, ob varium usum et sermonis improprietatem [1], non carere ambiguitate, ita ut fere aequabiliter significent actus aliquo modo infirmos. Vox tamen *rescindibilis* per se designat abolitionem per sententiam magistratus. Cfr. supra n. 288.

Hanc ut tollerent obscuritatem, nonnulli jurisperiti invexerunt distinctionem actus *non exsistentis* et actus *nullius*, quem rescindibili aequiparant. Quam dicendi rationem jure ac merito improbat R. P. Van Gestel, op. cit. n. 73, cum per eam vis inferatur genuinae vocabulorum significationi, qua *nullum* idem sonat ac *non exsistens;* actus autem mere rescissioni obnoxius non sit interea nullus. Distinctio nihilominus placet quibusdam theologis.

Ut vero magis omnis confusio vitaretur, Ill. D. Waffelaert; I, n. 351, distinxit: actum *rescindibilem;* actum *nullum*, qui etiam civiliter quamdam speciem actus validi prae se fert, ita ut ansam det controversiae quae judicis sententia sit dirimenda; actum *non exsistentem* ex jure positivo, qui ne specie tenus quidem exsistit in foro civili: quem actum plane etiam in foro conscientiae esse irritum existimat, dum, nostra sententia, fieri potest, in jure nostro, ut res tota externo foro circumscribatur.

2. Etiam verba *obligationis naturalis* duplici ratione accipiuntur. Aliquando enim designant obligationem ortam ex pactione naturaliter valida, cui lex civilis non annectit

---

[1] Haec v. gr. merito objicitur Codici Galliarum, ita ut actus quidam in lege dicantur *nulli*, qui mere sunt, etiam *civiliter*, *rescindibiles*. Inde non parva difficultas in ipsa lege declaranda. Cfr. art. 887, 892, 1110, 1111, 1113, 1117, 1304, 1338 (Baudry, op. cit. II. 1152).

quidem actionem, non omnes tamen effectus civiles denegat, cum ratam habeat ipsam solutionem voluntariam (art. 1235, 1967, c. Gall.); dum quandoque designat obligationem moralem seu fori interni, quam lex nulla ratione attendit, licet eam positive non aboleat. De his Cfr. Aubry et Rau, *Droit civil français*, § 297, I, III et praesertim notis 2, 3, 5.

ARTICULUS II. Conclusio et supplementa doctrinae

THESIS XXIV

Etiam in contractus et generatim in actus juridicos, qui de jure naturae consistunt, tanta per se est potestatis civilis auctoritas ut justis legibus plene eos irritos facere valeat, ita ut, ante omnem judicis sententiam, nullam, pro foro etiam interno, pariant obligationem.

Leges tamen istae sunt strictae interpretationis.

Quocirca, de hodierno jure positivo, respondendum est actus, qui pronuntiantur nulli, regulariter vi sua naturali non privari ante judicis sententiam.

326. I. **Status Quaestionis.** 1. VIS ET INTENTIO THESIS. Praesente positione quaerimus quid in essentiam vel efficaciam contractus (seu actus juridici in universum) possit lex civilis, quid revera hodie fecerit. Et de priore puncto duo ponimus. Legem civilem posse per se istis actibus omne robur, quod secus in conscientia obtinerent, adimere; hanc vero vim non exserere nisi clare constet de legislatoris voluntate. Ad alterum punctum quod attinet, ut *probabile* saltem affirmamus, *regulariter* infirmationibus juris hodierni non ligari conscientiam ante judicis sententiam.

2. SENTENTIAE. Primam positionem, si qui sint, pauci numero, qui eam negent, ut refert Carrière, *De contractibus*, n. 88, optimus quisque inter theologos et juristas indubiam esse vel tacite vel diserte affirmat.

Etiam secunda positio, licet saepe ex professo non examinetur, a Suarez ut plane certa proponitur et facile

eruitur ex principiis de interpretandis legibus. Cfr. Suarez, *De Legibus*, l. 5, c. 32, n. 7.

Quinam vero actus de jure positivo ita fiant irriti, semper fuit et manet quaestio difficilis et disputata. Minor quidem fuit dubitatio et controversia de lege *canonica*, ut declarat Suarez, l. c. n. 6; sed de vi legum *romanarum* plane ambigebatur. Cfr. varias opiniones apud Molinam, tr. 2, d. 81; C. de Lugo, d. 22, n. 249-251 ubi de contractibus et testamentis recenset quatuor sententias quas existimat verisimiles.

Nec magis constat inter hodiernos jurisperitos de mente Codicis civilis Galliae, ita ut scripserit Laurent *Principes de droit civil*, t. XV, n. 458: « L'incertitude est en quelque sorte de tradition; » et Baudry, *Précis de droit civil*, II, n. 1146. « Cette matière est importante et compliquée; sa difficulté naturelle est encore augmentée par le désordre dans lequel se présentent les dispositions législatives. » Cfr. V. Gestel, n. 71.

Nihil mirum ergo, si neque inter theologos qui ad recentiores leges respexerunt res convenerit, et alii alios velint esse actus vel contractus absolute nullos auctoritate legis civilis. Quae ipsa dubitatio nobis visa est argumentum non infirmum pro tertia positione.

In tertia positione accedimus sententiae RR. PP. Lehmkuhl, Van Gestel, nec generali enuntiationi contradicet Ill. D. Waffelaert, et minus isto cl. Marrès.

Attamen quum Carrière et alii plures hanc normam ponant: « obtinere in foro conscientiae nullitates quae inductae sunt ex ratione boni communis », eos in hac parte adversarios habemus, ut ostendemus in corollario, n. 330.

3. VOCES DECLARANTUR.

Etiam in contractus et generatim in actus juridicos. Actus juridici sunt actus humani qui eo tendunt ut jus quoddam acquiratur vel ei renuncietur. Cfr. V. Gestel, n. 63.

Qui de jure naturae consistunt. Quare quaestio non est: a) De actibus qui non habent ea quae jus naturae requirit ut valere possint. Nam de contractu cui, v. gr., deesset consensus essentialis, supervacaneum foret disputare;

b) De actibus quorum facultas non est nisi per legem positivam nec de effectibus qui ex sola lege positiva proficiscuntur. Perspicuum enim est, facultatem v. gr. suffragii non haberi nisi conditionibus per legem humanam statutis;

nec minus constat, actum ad quem *sola* lex naturae dederit facultatem non vestiri efficacia *civili;* sed, si quam habeat, hanc esse tantum naturalem. Sic v. gr. possessio cui deest aliquid requisitum lege civili, non proderit ad usucapionem.

Tanta per se: sic dicimus, quia fieri potest ut materia subtracta sit auctoritati civili a superiore potestate : v. g. contractus matrimonii inter christianos, ob characterem sacramentalem, subducitur, quod ad vinculum, potestati civili.

Est potestatis civilis auctoritas. Perinde dixeris de ecclesiastica, quod ad contractus quos ipsa regit.

Ut justis legibus. Plane enim requiruntur communes legis conditiones. Non ergo est potestas illa exercenda ad libidinem, sed spectandum est ad boni communis rationem.

Plene eos irritare valeat, ita ut, ante omnem judicis sententiam, nullam, pro foro etiam interno, pariant obligationem. His simul affirmamus et describimus plenissimam actus abolitionem.

Leges tamen istae strictae sunt interpretationis. Proin non sunt proferendae ad casus non clare comprehensos ; et, ubi mens legislatoris fuerit dubia, potius minor abolitio erit admittenda.

Quocirca de hodierno jure positivo : civile dicimus plurimarum gentium, nominatim Angliae, Belgii, Galliae, Germaniae, Hollandiae, Italiae.

Respondendum est, actus qui pronuntiantur nulli, et nulli quidem ita ut civiliter pro infectis habeantur.

Liquet autem controversiam non versari circa actus quos lex positiva clare rescindibiles declarat, sed circa eos quos pronuntiat nullos : v. gr. donationem actu non authentico peractam (art. 931, 932, c. Gall.), testamentum quod non sit in forma legitima confectum (art. 1001). Sedulo etiam distinguas solemnitates requisitas tanquam substantiales, et eas quae mere probationis causa exiguntur. Ita, jure nostro, nisi praesto habeas scripturam qua

semiplene saltem rem efficere valeas, non possis aliis mediis probare, in foro externo, contractum cujus objectum valore superet 150 frcs. Hac tamen lege ipse pactionis valor ne minime quidem attingitur. Cfr. Cod. Gall. art. 1341-1348, 1351.

Regulariter : videlicet nisi bonum commune clare postulet ut plenissimus sit effectus infirmationis, vel nisi legislator secus arguendus foret absurditatis. Cfr. V. Gestel. n. 76 et 26ª conclusione recapitulationis.

Vi sua naturali non privari ante judicis sententiam. Sententia ista, ubi res alicujus controversiae ansam det, erit civiliter declaratoria infirmitatis et simul auferet omnem obligationem naturalem. Si autem nimis apertum sit nihil esse civiliter actum, nulla alia cogitari potest sententia nisi ea qua judex praecipiat restitutionem eorum quae sine civili jure fuerint ablata vel possessa.

II. **Probatio.**

327. A. Primae partis. *De potestate civilis auctoritatis.*

1m Arg. Concilium tridentinum, decreto *Tametsi,* plenissime infirmavit matrimonium clandestinum, i. e. contractum sine parocho et testibus.

E. Civilis auctoritas potest plene irritare contractus.

Ad antec. Nam, neque de mente Ecclesiae, ob claram legem et unanimem consensum theologorum, neque de efficacia dispositionis dubium moveri potest, quum, ob praerogativam infallibilitatis, quidquid lege universali faciat Ecclesia facere se posse ipso facto ostendat.

Prob. consequentia. Id enim non potuit Ecclesia, quia matrimonio inest ratio sacramenti : inde enim potius, in ipso concilio tridentino, quaerebantur difficultates adversus hanc dispositionem, sed quia ipse contractus, legitime celebratus, ad dignitatem sacramenti est evectus, et Ecclesia consensum partium inefficacem reddere valet ad contrahendum. **A.** Hanc auctoritatem habet Ecclesia, non quatenus est spiritualis potestas, sed quia, ut suprema potestas societatis perfectae, est ipsi jus et officium ordi-

nandi, in materia sibi subjecta, actus et jura civium ad bonum commune istius societatis. Jam vero haec ratio omnino transferri potest in potestatem civilem. **E.** Recte a lege tridentina ad civilis potestatis efficaciam fit illatio.

2m Arg. directum. Publica potestas sibi indirecte obnoxia habet jura et bona civium in ordine ad bonum commune ; proptereaque valet de eis efficaciter disponere ea quae communiter expedire videntur.

A. Interdum est e re publica ut auferatur omnis obligatio etiam naturalis qua secus astringerentur cives ex actibus juridicis.

E. Facultas plenissime infirmandi actus competit auctoritati publicae.

Ad maj. Nam, sicut civibus inest facultas eligendi media apta ad proprium finem, ita etiam civitati. Et, quia bonum privatum communi est subjectum, hoc alterum, ceteris paribus, praevalere debet. Quae ratio potissimum obtinet, ubi jura aguntur in bonis externis. (Cfr. n. 232, 2 et 234).

Prob. min. Illa abolitio enim, opportune sancita, **a**) est apta poena quorumdam criminum, **b**) impedit dispositiones directe de se nocentes bono communi, **c**) fovet justitiam particularem et aequitatem inter cives. **A.** In duobus prioribus casibus, bonum commune *directe,* in tertio *mediate* exigit ut publica potestas auferre possit obligationem naturalem. **E.**

Ad maj. **a**) Ut exemplis utamur, nonne impedimentum criminis aptissima poena est adulterii et homicidii conjugis, ad quae patranda movebant spes et promissio matrimonii? **b**) Nisi facultas foret plenissima infirmandi, possent partes privatis pactionibus auferre jura quae *ob bonum commune* vel natura vel lex voluit quibusdam competere : sic lex, respectu boni communis, constituit regimen bonorum conjugum, ordinem successionum ; aliis privatis pactionibus excitarentur cupiditates et molimina valde bono communi contraria : v. gr. pacta de hereditate futura saepe quandam turpitudinem continent et facile vota

suggerunt incolumitati illius de cujus bonis agitur contraria et interdum periculosa. c) Infirmatio enim arcet a privatis stipulationibus violentiam, fraudes ; protegit illos qui aetate, mente, sexu sunt imbecilliores, etc.

Ad min. Constat enim, directe e re publica esse ut aptae sint sanctiones contra delicta, ut impediantur quae de se repugnant bono communi ; valde praeterea confert ad bonum commune ut justitia particularis observetur inter cives. *E.*

Confirmatur responso S Paenitentiariae 21 jan. 1873. Interrogata de lege italica 1 maii 1866 quae irritam faciebat stipulationem qua creditor sibi reservaret jus exigendi pecuniam pro « moneta papyracea » : « An simplex conditio adjecta in chirographo de restitutione non aliter facienda quam in sonante pecunia, vim suam amittat, etiam in foro conscientiae, per sequentem legem civilem illam irritantem, » his respondit verbis : « Regulariter affirmative, nisi peculiares obstent circumstantiae. » *(Acta S. Sedis ;* VII, p. 211). Agnovit ergo facultatem potestatis civilis.

328. B. SECUNDAE PARTIS. ***Leges tamen istae strictae sunt interpretationis.***

Lex positiva quae restringit naturalem libertatem, quae aufert jura per se concessa a natura, est, tanquam odiosa, stricte interpretanda.

A. Hujusmodi est lex irritans. *E.*

Confirmatur : 1) Auctoritate Suarez et Laymann. Prior, *De Legibus,* l. V, c. 32, n. 7, affirmat : « Verba legis rigorose pensanda sunt et stricte semper sunt interpretanda, quia materia est odiosa. » Alter haec habet, *De Legibus,* c. 16, n. 9 : « Respondendum videtur, si neque ex materia legis, neque ex verbis quibus legislator usus fuit, satis appareat, mentem ejus fuisse, actum etiam in conscientiae foro irritum reddere, adeoque perseverante dubio, posteriorem (seu quartum [1]) tanquam benigniorem legis sensum praeferendum esse. »

2) Articulo 1123 Cod. Gall., qui principium promulgat capacitatis personarum ad contrahendum ; art. 1107, qui praeter illas de quibus agit admittit etiam alias pactiones; et 1134, qui agnoscit pactiones esse in universum efficaces.

---

[1] Quo de se, ante judicis sententiam, actus non est nullus nisi civiliter.

329. C. TERTIAE PARTIS. ***De hodierno jure positivo respondendum est, actus qui pronunciantur nulli regulariter vi sua naturali non privari ante judicis sententiam.***

1) *Argumentum generale.* Hodiernae leges in his feruntur adjunctis, ut regulariter non constet (quod minimum est affirmamus) eas velle immediate, seu ante sententiam, auferre fori conscientiae obligationem.

A. Ex secunda parte sequitur in dubio standum esse pro parte benigniore seu minore infirmatione. *E.*

Ad maj. Etenim : a) De se jam in jure civili magis intenditur exterior pax et gubernatio. Cfr. Suarez, *De legibus,* l. 5, c. 32, n. 7; b) Hodie ita perfectum et validum est externum coactionis regimen, ut cum minore incommodo omitti possint sanctiones immediate morales; c) Hodiernus legislator civilis magis negligere et despicere solet quid in foro conscientiae obtineat, ita ut non desint scriptores quibus nulla jam lex videatur de se ligare conscientiam. Quod etsi forte nimium sit, hoc certe tuto defenditur, leges civiles pro poenalibus esse habendas quandiu major obligatio ex aperta declaratione vel ipso fine statuti non probetur requiri. (Cfr. vol. I). Perinde autem se habent causae obligationis et infirmationis in foro conscientiae. Cfr. Lehmkuhl, op. cit. p. 33.

2) *Argumentum propriium variarum legum.*

De lege *anglica* id testantur Crolly, op. cit. II, n. 196 et R. P. Slater, *De justitia et jure*, n. 60, qui simul dicta confirmant auctoritate jurisperitorum.

De lege *belgica, gallica* et *hollandica* idem probat, non sine apparatu eruditionis, R. P. Van Gestel, op. cit., a n. 71 in finem. Ceterum, quod ad Codicem Galliae, legislatores, in ordinandis obligationibus, sectati sunt imitationem juris romani, quo vigente, plenissima infirmatio vere dubia habebatur, atque ita obscure significarunt suam mentem, ut valde haereant tribunalia et jurisperiti in declaranda ratione qua actus sit, etiam civiliter, infirmus.

Denique lex *italica* valde similis esse solet legis gallicae; et nobiscum sentiunt doctores qui in Italia scripserunt ut RR. PP. Bucceroni, *Theol. mor. De justitia,* n. 92; Palmieri, *Opus morale,* t. 3, p. 484 nota; et R. D. Berardi, *Praxis confessariorum,* I, n. 1723, 2740.

330. III. **Difficultates.**

1. CONTRA PRIMAM PARTEM.

a) Lex positiva humana, nequit auferre jus concessum a natura. *A.* Lex absolute infirmans, etiam pro foro conscientiae, conaretur auferre naturale jus libere contrahendi. Nam irritas declararet pactiones quae de jure naturae consistunt. *E.* talis lex nec justa foret nec valida.

R. D. maj. Lex humana nequit auferre jus quod, etiam in sensu composito legis, concedit natura, *C.* in sensu diviso, *subdistinguo:* nequit hoc ad libidinem, *C.* quantum postulat bonum commune, *neg. Cdt. min.*

Etenim jura quae natura concedit privatis, concordanda sunt cum juribus quae tribuit publicae auctoritati ad regendam societatem. Quare, ea quae *permittit* natura, non jam permittit, si, ob motivum boni communis, lege prohibentur fieri; quae vero jura *concedit,* sed *alienabilia,* sicut privata pactione, ita publica auctoritate, ex ipsa natura (si cetera requisita adsint), auferri possunt privatis. Potior enim est ratio boni communis. Quia tamen contra jus naturae nihil potest jus humanum, lex frustra vetaret quod a natura est *praeceptum,* nec auferre valeret jus *inalienabile.* Cfr. Suarez, *De Legibus,* l. II, c. 14, n. 14-20 et Van Gestel, n. 51, 52.

Inst. A. bonum commune non postulat hanc efficaciam. Nam ordine exteriore continetur lex civilis. *E.* satis est infirmatio in foro externo.

R. D. antec. Ordine exteriore continetur lex civilis, quatenus directe attingit tantum exteriora, *C.* quatenus indirecte non valet etiam attingere interiora, vel praecipere ex alio motivo quam ex sanctione externa, *N.*

Secus, nulla lex jam ligaret conscientiam. Distinguas objectum praecepti a motivo et sanctione. Jam vero irritatio in foro interno pertinet ad sanctiones istas quae, vi exteriore efficaciores, ad finem societatis legitime ferri possunt. Ipse naturae Conditor hanc fecit principibus potestatem.

2. CONTRA SECUNDAM PARTEM.

Causa boni communis est maxime favorabilis. *E.* lex irritans ob bonum commune, debet latiore sensu intelligi.

R. C. antec. Dist. Cons. Nisi ipsum bonum commune postularet restrictam interpretationem, *C.* secus, *N.*

Nam lex ista restringit naturalem libertatem. Porro communiter expedit ut haec quam minime fieri possit impediatur.

Ceterum, non est temere in hac re procedendum. Unum hoc sumemus in confirmationem: licet S. Alphonsus, l. 4, n. 641, dub. 2, in votis habuerit ut promissiones matrimonii ex turpi causa factae plene infirmentur, alii existimant hanc causam futuram cur deceptores evaderent animosiores. Plures item dubiam habent utilitatem legis quae denegat actionem ad exigenda ea quae ex ludo debentur.

ARTICULUS III. **Doctrinae supplementa**

I. *COROLLARIA.*

331. Norma practica discernendi utrum necne actus qui lege civili abolentur sint in foro conscientiae irriti ante omnem judicis sententiam, sic ergo paucis concipi potest: Nisi ex legis materia et fine necessaria [1] probetur plenissima abolitio, vel nisi ex communi intellectu aut clara mentis significatione constiterit legislatorem voluisse omnem impedire actus effectum, sustinendus est valor actus pro foro conscientiae donec intercesserit judicis sententia. Itaque exceptiones a regula tradita in 3ª thesis parte eruendae sunt ex *materia* aut *fine* legis aut *speciali signo* voluntatis.

Non satis autem est si legislator dixerit: *nullum, irritum, declaramus; ad ipsam exsistentiam haec solemnitas est adhibenda.* Ambiguae enim sunt istae voces, cum duplex sit ratio exsistendi, civilis et naturalis. — At quaenam, inquies, clariora usurpari possint verba, ad significandam mentem penitus delendi actum? An necesse erit dicere: *irritum facimus in foro conscientiae,* quod alienum est ab omni usu legumlatorum? Ad hanc difficultatem, quam nobis Carrière, n. 150, objicit, respondemus, verba, quae per se sint ambigua, illustrari posse ex contexta oratione, ex publica deliberatione in Parlamento, nec praecisa opus esse formula.

---

[1] Tunc enim intentio statim obligandi continetur virtualiter seria ipsius legis voluntate.

Nec statui potest, statim irritos esse in conscientia actus qui abolentur *ex motivo ordinis publici*. Tale enim motivum non semper postulat plenissimam abolitionem.

Longe minus etiam, ut vellet Carrière, l. c., *praesumendus* est civilis legislator attigisse conscientiam nisi aliunde constet de ipsius mente. Hodie enim, ex suo modo dicendi et agendi, potius contrariae praesumptionis praebet ansam.

332. De judicis sententia. Scriptores nonnulli, qui tamen partes nostras tuentur, in hac re decipi videntur, dum non alteram sibi fingunt sententiam nisi ea qua actus declaretur nullus a magistratu. Verum, ut hujusmodi declaratio obtineri possit, requiritur ut actus aliquam speciem praeferat actus validi. Quocirca, si aliquis mere verbis expresserit voluntatem etiam absolutam legandi aliquod bonum Titio, testamentum illud *nuncupativum*, ut aiunt, ne specie tenus quidem exsistit in jure quo utimur. Itaque concipi nequit actio ad obtinendam ejus infirmationem. Unum ergo hic intercedere valet judicium, quo restitutionis damnetur legatarius qui, nixus tali voluntate, rem legatam sibi retinuerit. Cui judicio erit in conscientia obtemperandum.

Paucis ergo, sententia judicis intelligenda est alterutrius rationis, vel qua titulus *directe* infirmetur, vel qua directe reddi jubeatur res arrepta ex labili titulo, qui sic *tacite* deletur.

333. Consectaria in foro conscientiae. 1. *Regulariter* ergo, ante judicis sententiam, si facta sit pactio quae ex sola lege civili sit irrita :

a) Nisi obstet naturalis aequitas, fas est tali pactione inniti et accipere praestationem alterius partis. Haec tamen, si ex lege habeat *condictionem indebiti* (jus repetendi), solutum repetere poterit, nisi rursus id fraudem sapiat.

b) Seclusa fraude, potest quis tuta conscientia persequi civile suum jus obtinendi sententiam qua actus penitus deleatur.

Imo, si clara fuerit legis dispositio, ita ut futura sententia non ambigatur, abstinere potest exsequenda pactione.

Nam « quid opus est inani circulo, ut solvat quis quod ipsi restituendum erit [1] ? » Alter autem per se etiam ante sententiam cedere debet. Hujus tamen obligatio non est nisi caritatis : demendi alteri molestiam in se non injustam.

c) Quare nec per se fas erit occulta uti compensatione, ad sibi sumendum quod ex tali pactione debetur [2]. Compensatio enim continet coactionem, quae adhiberi non potest contra eum cui jus est rem servandi vel nihil solvendi [3].

Observes tamen, ad rationem occultae compensationis, quae presse talis sit, pertinere ut quis clam auferat alicui rem ab isto *vere possessam*. Itaque, ante judicis sententiam, integrum autumamus legatario qui institutus sit testamento informi servare rem legatam quae forte alio titulo, utputa depositi, jam penes ipsum erat, vel adeo eam subducere hereditati jacenti; sed, *quantum est ex principiis*, perit haec facultas statim atque heres vere possidere coeperit patrimonium defuncti.

Contingit quidem ut lege positiva heres ille existimetur possidere ab ipso obitu auctoris; sed in hanc *civilissimam* possessionem (cfr. n. **255**, 4) transferendum arbitramur canonem generalem, hac ipsa thesi probatum, quod dispositio civilis per se non mutet immediate jura fori interni. Hac ratione respondere videtur S. Alphonsus, l. 1, n. 35, ut est descriptus in nota ad editionem Heilig; et plane annuit Ill. D. Waffelaert, *De justitia* I, n. 579.

2. *Si actus fuerit ex lege civili plene*, etiam in conscientiae foro, *irritus*, patet, illud quod nihil est, nihil per se ope-

---

[1] Laymann, *Theologia moralis, De Pactis*, c. 9, n. 10.

[2] Olim plerique permittebant occultam compensationem ei cui favebat testamentum informe. Verum tunc, ex communiore sententia, testamentum illud plane validum habebatur in conscientia. Cfr. Lessium, c. 19, n. 12, 22, 30. Respondentes enim ex jure romano, ipsam successionem ex lege habebant pro legali praesumptione voluntatis defuncti; quae praesumptio cedebat veritati declarationis apertae etsi forte informis. Quare hodie eos errare autumamus qui, freti hac veterum opinione cujus rejiciunt rationem, concesserint compensationem jam negatam a S. Alphonso, l. 3 (4) 928 3. Nobis consentiunt R. P. Lehmkuhl, I, 1148 3, Ballerini-Palmieri, t. 3, p. 3, c. 3, n. 713, et C. d'Annibale II, 255 nota 40, cui contrarius modus opinandi videtur « ab omnibus scientiae nostrae et juris regulis remotissimus. »

[3] Solent quidem, post C. de Lugo, d. 16, n. 95, inventu difficilem existimare veram rationem cur, ut communis habet sententia, non possit quis cujus jus est mere probabile occulta uti compensatione. Fatemur nos hanc difficultatem minime experiri. Duplex enim ultro occurrit argumentum: quia, in dubio, melior est conditio possidentis (cfr. n. **256**), et quia cogi nequit ad solvendum ille cui fas est rem retinere. Virtualiter autem cogitur, si res ipsi clam eripitur.

rari. Ut tamen iste rigor apte temperetur, observandum nihilominus est qua severitate exsecutionis satis provisum sit bono communi, quomodo lex sit usu recepta et communi consuetudine suscepta. Id ex doctrina Lessii, c. 18, n. 22 et C. de Lugo, d. 23 n. 156, opportune concluditur a R. P. Van Gestel, n. 80.

334. De donatione inofficiosa, i. e. qua laeditur legitima portio heredis necessarii, jus gallicum disponit, actum (donationem, testamentum) quo contineatur non esse civiliter nullum, heredem autem agere posse in judicio ut legata vel donata ad justum reducantur modum. Inde patet, posse interea, saltem illaesa justitia, ab eo qui ex absoluta defuncti voluntate plus acceperit, nimium illud teneri, dummodo nullis injustis artibus impediat necessarium heredem quominus agat de reductione. Hactenus res satis convenit.

Verum immerito, nostra sententia, in mediis fraudulentis refertur a Génicot, I. 677, *dissimulatio donationis sub onerosi contractus specie.* Si enim vero donatori jus est donandi res suas, eodem pacto ipsi licebit suae liberalitati hanc dare figuram quae magis suae intentioni videtur accommoda. Nec jure positivo quo utimur interdicitur ne donatio onerosae pactionis forma vestiatur. Imo frequens est istius formae usus. Mere ergo habetur hic ratio aliqua donationis occultae. Nemo tamen est qui inofficiosam donationem arguat injuriae quia non palam sed occulte sit facta. Praeterea satis mirum foret, dum nulla fortunae dissipatio adversatur justitiae, huic repugnare donationem quae venditionis specie sit obtecta.

II. *SCHOLIA.*

335. Plena abolitio ex partium intentione. Ut merito observat R. P. Van Gestel, n. 74 si ipsae partes, ut in *onerosis* contractibus est solitum, noluerunt pacisci, nisi quatenus actus fuerit legitimus et civili jure protegatur, liquet contractum civiliter nullum ne in conscientia quidem tenere, cum a tali pactione abfuerit consensus jure *naturae*

requisitus. Quare momentum practicum hujus disputationis fere contractibus *gratuitis* continetur, aut iis qui ex persona, causa vel materia, per se cognoscuntur vitio civili infecti.

336. *Quaeres*, **quid juris si pars cujus est facultas rescindendi, huic facultati in antecessum renuncia-verit ?**

Solutio ex eo pendet, utrum necne ratio legis infirmantis afficiat etiam hanc renuntiationem. Quare,

a) Si *ex motivo publico* inducta fuerit nullitas, v. gr. pactionum de successione futura, nihil magis operabitur confirmatio ;

b) Si *ad tuendam* alicujus *imbecillitatem*, confirmatio facta a minore natu etc., eodem vitio laborabit quo stipulatio principalis. Quare licebit ipsi nihilominus ad juris civilis praesidium confugere. Excipe si dolo malo fuerit usus, ut si ficta promissione fraudulenter alterum induxerit ad paciscendum.

c) Si vero ratio fuerit *ordinis privati*, partes quae scienter omiserint necessariam sollemnitatem, confisae mutua ratificationis promissione, hac fide data omnino obligabuntur. Ita qui vere promisit exsecutionem testamenti informis non posset nisi injuste agere de ejus abolitione.

337. *Quaeres* **cur, post sententiam judicis, affirmes effectus in conscientia qui ante sententiam negabantur ?**

Quia, nisi post sententiam judicis jus esset acquisitum vel peremptum in conscientia, induceretur perpetua et positiva contrarietas inter ordinem legalem et moralem. Non solum peti non posset in foro externo aliquod debitum fori interni; sed jus concessum a lege non exigeretur sine peccato. Qui dominus foret vi legis, fur esset in conscientia. Omnia tunc nutarent. Atqui tam irrationabilem voluntatem ascribere non licet legislatori, qua, ut ait C. de Lugo, d. 22, n. 252, « parum utilis censeretur lex, cum solum deserviret ad fovendam iniquitatem ejus qui, conscius de valore et obligatione contractus, adhuc intentaret spoliare justum possessorem. » Obtinet ergo tunc ratio facta n. 327.

QUAESTIO OCTAVA

DE JUSTA PERMUTATIONE ET DE JUSTO PRETIO

Aristoteles, *Ethicorum*, l. 5, c. 8; *Politicorum*, l. 1, c. 9; ***S. Thomas***, *In* l. 5 *Ethicorum*, lect. 9 et *In* l. 1, *Politicorum*, lect. 7; II. II, q. 77; ***J. D. Scotus***, *In* l. IV *Sent.* d. 15, q. 2; ***Molina***, tr. 2, d. 347, 348; ***Lessius***, c. 21, n. 17-81; ***C. de Lugo***, d. 26, sect. 4 et 7; ***Funk***, *Recht und Moral in Bezug auf das Wirthschaftsleben (Theologische Quartalschrift*, Tübingen, 1869); ***Waffelaert***, *De justitia*, I, 596, 608-619; II, 208; ***Crolly***, *Disputationes de justitia et jure*, t, 2, d. 11; ***Cathrein***, *Moralphilosophie*, p. 2, s. 1, l. 5, § 2; ***H. Pesch***, *Zinsgrund und Zinsgrenze (Zeitschrift für katholische Theologie*, Innsbrück, 1888); ***Cauwès***, *Cours d'économie politique*, n. 157, 158, 189-203; ***Liberatore***, *Principii di economia politica*, p. 1, c. 1, art. 2-4; ***V. Brants***, *Les théories économiques aux XIII^e^ et XIV^e^ siècles*, c. 5, c. 6, § 4 et c. 8, § 2; ***Antoine***, *Cours d'économie sociale*, c. 11, art. 1-4; ***K. Marx***, *Das Kapital* (Tr. gall. l. 1, s. 1) t. 1, c. 6, 7 et t. 3, s. 1 et 2.

ARTICULUS I. **Notiones anteceptae valoris et pretii.**

338. Disputationis momentum et difficultas. Ex generali disputatione de contractibus, satis innotescit ratio pactionum *beneficentiae*, ut ad solas *onerosas* deinceps animum advertere liceat. In quibus summa et caput est rectam statuere doctrinam de valore et justo pretio. Ex his enim petenda est fere omnis ratio judicandi de aequitate vel iniquitate contractus onerosi.

Quaestionem porro istam utilitate aeque et difficultate gravem experiuntur et praedicant moderni oeconomistae [1].

---

[1] Momentum rei ita reddebat Bastiat, *Harmonies économiques*, V. *De la valeur :* « Toute vérité et toute erreur introduite dans les intelligences par ce mot (valeur) est une vérité ou une erreur sociale »; molestiam vero his testatur verbis R. P. Antoine, l. c. : « Interrogez les savants d'outre-Rhin, il vous répondront que la théorie de la valeur est le dragon qui garde l'entrée de la science économique. » Quaestionem esse magnam simul et arduam affirmabat Cauwès, op. cit., n. 190, cum dicebat : « La

Itaque mira observatur sententiarum varietas et vix iniri potest numerus lucubrationum quae quotidie hoc versant argumentum.

Quocirca satius ducimus prius paucis exponere rationes quae nobis probantur quam referamus confusos dicendi modos qui ipsius mentis oculis facile offunderent caliginem.

339. Vera ratio valoris. 1. *Valor, in universum*, dici potest qualitas propter quam, in aliquo ordine, persona vel res venit in aestimationem. Hoc modo loquimur de valore intellectuali, morali, etc. Patet autem ita nondum indicari peculiarem vim hujus verbi in ordine oeconomico, id est bonorum quae scientiae oeconomicae sunt objectum. Quam ut assequamur,

2. Observandum est, cum Aristotele, l. c., *duplicem* esse *rerum usum*, alterum *proprium* uniuscujusque rei, quo, ut inhaeremus ejus exemplo, calceum, v. gr., ad pedem aptamus ; alterum *communem* cum aliis rebus, quo calceum commutamus pecunia vel cibo. Uterque usus, pergit Philosophus, competit rebus per se et non per accidens : in utroque utimur calceo qua calceus est.

a) Itaque est prior quaedam ratio qua res fit aestimabilis : *propria rei utilitas* seu aptitudo ad satisfaciendum alicui necessitati vel voto personae possidentis. Aestimatur enim rei bonitas. Quae autem sunt propter aliud, ex habitudine ad istum finem hauriunt suam bonitatem. Res ergo, quae sunt propter humanam personam, ex habitudine ad bonum personae erunt bonae et dignae aestimatione. Requiritur tamen, tanquam *conditio*, istius bonitatis notitia : ignoti enim nulla cupido neque aestimatio. Hac nota bonitate nititur *valor* qui dicitur *usus* [1]. Appellatio tamen ista, ab aliis adhibita oeconomistis ab

---

question sociale, en théorie du moins, serait vidée si la notion de la valeur pouvait être l'objet d'une analyse indiscutable. C'est ce qui fait dire à Proudhon, que la valeur est la pierre angulaire de l'économie politique. Malheureusement, il n'est pas de sujet plus épineux, ni sur lequel on puisse compter plus d'opinions divergentes. »

1 *Valeur en usage, Gebrauchswerth, Value in use, Valore di uso.*

aliisque repudiata, melius omittitur tanquam supervacanea. Namque, ut, post J. B. Say, observat Liberatore [1], convertitur cum percepta utilitate genericarum vel singularium alicujus rei qualitatum [2].

b) Facultas autem permutandi res est maxime homini pretiosa, cum via sit obtinendi omnes res quibus variis consulimus necessitatibus. Res ergo quae praestant hanc facultatem habent, hac ipsa ratione, pondus aliquod dignum aestimatione, i. e. valorem. Atque is valor, quem nonnulli vocant *valorem commutationis* [3], est *valor* presse dictus *ordinis oeconomici.*

3. *Quaenam* autem *res praeditae sunt hoc valore?* Sine multo negotio apparet eas esse quae simul:

a) *Conferant ad prosperitatem temporalem.* Rei enim inutilis nulla est aestimatio. Solaque utilitas temporalis attenditur in ordine oeconomico. Observes tamen hanc bonitatem non abesse a pluribus bonis per se spiritualibus, neque ab ipsa virtute.

b) *Sint utiles qua possessae vel propriae,* quarumque proinde non habeatur copia infinita. In omni enim permutatione intenditur aliqua proprietas. Quare per se nullus est valor aquae, aeris, quorum tamen est maximus usus. Oportet itaque ut res sint aliquo modo *rarae.*

c) *Sint utiles in illa societate* ubi facienda est commutatio Nullus v. gr. erit libri valor in regione omnino barbara.

d) *Quarum utilitas sit, in illa societate, communiter nota.* Sin minus, *per accidens* tantum aderit rem commutandi occasio quae rei vix conferet aliquam aestimationem. Res tunc non appetetur nec possidebitur nisi propter ejus usum quem vocavimus proprium (339, 2).

4. Inde adducimur in has conclusiones, maximi momenti, quibus rem pene omnem complectimur :

---

[1] Op cit., p. 1, c. 1, n. 14.

[2] Sic aquae functio est potius generica ; in equo maxime considerantur singulares dotes.

[3] *Valeur en échange, Tauschwerth, Value in exchange, Valore di cambio.*

a) *Valor* presse dictus est *proxima aptitudo qua in quadam societate bona cum aliis bonis commutari queunt.* Sicque consideratur in *actu primo;* in *actu secundo* autem, quando fit ipsa commutatio. Ipse *valoris gradus* definitur copia eorum quae pro aliqua re habenda tribuuntur; definitur ergo comparatione quae fit hujus rei cum aliis.

b) *Proxime* pendet *ex communi aestimatione* rei in aliqua regione. Quae tamen aestimatio non fit ex libidine. Interroganti cur res tanti aestimetur, afferentur rationes, varia rei adjuncta: usus quos habet, copia qua praesto est, modus vendendi.

c) Maxime *cohaeret* iste valor *cum communiter agnitis commodis possessionis rei,* non tamen cum iis solis. Modo enim diximus esse pondus in ipso modo vendendi. Sic, si multi sint qui statim cupiant rem aliquam commutare, patet ex crescente illorum numero fieri singulis minorem commutandi facultatem; et contra, si pauci. Quod si in regula hoc loco tradita ponas, pro *possessione,* rei *acquisitionem,* forsan accommodate ad veritatem dixeris: aestimationem communem, proindeque rei valorem, qui proxime pendet ex communi aestimatione, exigi ad communiter intellectam utilitatem acquisitionis rei. Ita enim ratio habetur etiam modi vendendi.

d) Inter usus ad quos res adhibetur, alii respondent naturali necessitati se alendi, vestiendi, etc., alii sunt magis ipso hominum arbitratu inventi: ita plures ornatus, etc. Sed, quod bene tenendum est, ex ipso inducto more, res veram in illa societate adipiscuntur utilitatem. Ut enim ait C. de Lugo, d. 26, n. 48, « est honorificum res habere pretiosas, vel quae pretiosae ab omnibus putantur. »

e) Paucis itaque contexere licet hoc modo seriem eorum quae in hac re se invicem excipiunt.

Valor — Aestimatio communis — Acquirendae rei propriae utilitates quae communiter sint perspectae — Natura vel hominum mores, tanquam fontes istarum utilitatum.

f) *Valoris* ergo *ratio* non est quid mere *subjectivum*, cum

aestimationi communi vera competat efficientia, ipsaque proxime innitatur objectiva utilitate comparandi rem; sed est quid *relativum* et maxime *varium* pro adjunctis temporis et loci.

Imo, quod bene notandum, etiam res quacum fit alterius rei comparatio et quae ut mensura assumitur, est et ipsa similibus vicibus, i. e. variationibus, obnoxia. Si v. gr. hodie sedile commutes tribus modiis frumenti, et post aliquod tempus duobus tantum cum dimidio, causa aeque esse potest vel quia minoris facta sunt sedilia, vel quia annona est in caritate.

Fundamentum denique *valoris* potest esse rei natura sua *intrinsecum*, ut si qualitas fuerit, virtus ab ipsa natura nostris aptata usibus : utputa alimentum corporis; vel ab *extrinseco*, ex hominum moribus, rei advenire. Verum, etiam qualitas rei intrinseca non pariet valorem nisi mediante communi qualitatis notitia.

5. Neve nos pigeat, pro rei momento, ad haec bina consectaria animum attendere.

a) *Aestimatio communis est vera causa per se efficiens valoris.* Aestimatio tamen illa non aderit, nisi de re, ut per se cognosci valet, libere judicaverint homines. Itaque non erit ab aestimatione communi profectum pretium quod ex praevalente conditione, suo arbitratu statuerint sive officinator qui solus in aliquo loco artem exerceat, sive alius qui sibi comparaverit rerum monopolium. Tunc *specie tenus* tantum seu vitiata habetur aestimatio communis, de vera autem restat ut conjiciatur qualis fuisset sine istis artibus.

b) *Qui rem possidet aliquam, eam possidet secundum suum valorem*, nec refert ipsum parum vel nihil curare usum rei proprium. Ita plerisque nullus est usus metalli unde pecunia est confecta : sive tamen ab aurifice sive a mendico possidetur, similis manet valoris.

340. De pretio. Ad facilitatem negotiationum, inventum est *commune signum* valoris omnium rerum. Aliis verbis, fit omnium rerum comparatio cum eadem re, quae

sic evadit communis mensura valoris. In hunc finem, ut ait Zech *(Rigor moderatus*, Diss. 3, § 20), « Selecta sunt quaedam metalla nobiliora, non admodum frequentia, custodiae et tractationi apta, quae simul sint substantiae valde compactae, et divisionem in plurimas minutas particulas admittant. » Haec est *pecunia*. Observes autem, metalla ista, etsi studiose electa ut magis stabilia, alio in aliis communibus adjunctis donari valore. Itaque variabit ipsa pecunia.

Valor rei ad illam communem mensuram exactus et pecunia expressus, dicitur *pretium*. Quod si congruit aestimationi communi, est *justum et verum:* sive dein populi vel principis arbitrio res definiatur, ita ut dicatur pretium *vulgare* aut *legitimum (legale)* [1].

Porro pretium quidem vulgare latius concipitur, ita ut distinguatur *summum*, ultra quod non pertingit haec aestimatio, *infimum,* infra quod non delabitur, *medium*, quod ab utroque fere aeque distat. Ratio est, quod, ob multas circumstantias perpendendas, plures sunt sententiae probabiles; dum princeps taxando secundum unam ex illis, valet rem magis definire [2]. Cfr. Lessium, c. 21, n. 10.

Itaque pretium formaliter est *significatio valoris ex pecunia*.

341. Aliae sententiae. 1. Commune est effatum *scholasticorum*, valorem rei pendere proxime ex aestimatione communi. Alii tamen magis quam alii assignant illi aestimationi causam subjectivam. Molina, v. gr. existimat hominum aestimationem esse partim arbitrariam [3]. Nihilominus, quod caput est, affirmant esse, ante partium pactionem, pretium naturale justum cujus regula et mensura sit aestimatio communis, quando haec sine fraudibus,

---

[1] De quaestione utrum necne expediat pretium statui legitimum, jam juvat legere controversias antiquas. Cfr. C. de Lugo, d. 26, n. 50.

[2] Sunt tamen, ut Molina, d. 347, n. 3 et Rebellus, qui existiment pretium vulgare ideo latius patere, quia varia sunt aestimationes et affectus ad res.

[3] « Ex eo quod sic affici ad illas res voluerunt et quod tantum voluerunt eas aestimare. » D. 348, n. 4.

monopoliis, etc. est nata. (Molina, d. 348, n. 4.) Quae doctrina placet etiam modernis theologis.

Ex *oeconomistis*, alii hanc retinuere veritatem, haberi ante partium consensum rationem valoris objectivam. Hujus mensuram tamen non pauci indicarunt falsam, vel saltem inadaequatam: dum alii, ut Adam Smith, autumarunt soli labori inesse valorem; alii, ut J. B. Say, non considerarunt nisi rerum utilitatem, vel, ut Storch, judicium de illa utilitate; alii uni raritati ascripsere valorem. Ita Senior. Atque istae opiniones sunt satis obsoletae.

Alii, contra, negarunt esse aliquam normam unde definiatur valor, ita ut paciscentium consensus, disputantium secundum legem *oblati et quaesiti (offre et demande)* non tantum manifestaret sed primum efficeret valorem. Inter eos, maximam celebritatem nactus est Bastiat[1], qui ita fere sentit: Quidquid praebet vel efficit natura est et manet gratuitum, nec pondus habet dignum aliqua compensatione; sed formaliter tantum comparantur officia *(les services)* quae per rerum occasionem alii in alios conferunt. Sola itaque officia habent valorem; hancque acquirunt, *in ipsa permutatione* seu pactione, ex subjectiva aestimatione partium. Ex subjectiva, inquam, cum nimis variae sint ejus causae quam ut patiantur adesse aliquam objectivam mensuram. Quare definit valorem: convenientiam duorum officiorum quae commutantur. « *La valeur c'est le rapport de deux services échangés.* »

Porro, alterum sibi assumpsit principium K. Marx, ut cum Bastiat contenderet opus naturae gratuito praestari, et cum A. Smith ab uno labore omnem repeteret valorem. Valor, sic fere ait, utpote aliquid « *relativum* », ponit rerum inter se comparationem. Comparari autem inter se nequeunt nisi res similes[2]. Detegendum ergo est aliquid commune omnium rerum, ut in eo agnoscatur causa valoris. Quod autem omnium rerum deprehenditur commune, illud unum est: humana quaedam opera, per definitum

---

[1] Doctrinam suam proposuit in libro *Harmonies économiques*, in quo ostendere conatus est, a Providentia divina res ita harmonice esse dispositas, ut dum suam quisque privatam quaereret utilitatem, quasi ultro, modo honesta libertate fruerentur laborandi, commutandi, etc., obtineretur maximum bonum commune. Cfr. quod ad valorem, ex editione 1850, pp. 173, 176, 177, 181, 212, 213, 228, 229.

[2] Jam Philosophus, in l. 5 *Ethic.* l. c. hanc attigit et solvit difficultatem. « Dicit, ait S. Thomas, l. 9, quod res tantum differentes impossibile est commensurari secundum veritatem, id est secundum proprietatem ipsarum rerum, sed per comparationem ad indigentiam hominum sufficienter possunt contineri sub una mensura. »

tempus, impendenda fuit in illas parandas. Labor itaque, contentus ipsa re, isque tempore metiendus, unus est fons valoris. Si ergo vestitus commutetur 20 panibus, signum est, ad conficiendum vestitum opus fuisse laborare per illud tempus quo 20 pararentur panes. (Consectaria quod ad hodiernum regimen, cfr. supra, **n. 176, δ**).

Non pauci denique oeconomistae contendunt *legi oblati et quaesiti* subesse normam, haberi valorem naturalem eamque, si locus sit aemulationi, desumi ex eo quod communiter res constet eam efficienti, addito quodam lucro [1]. Norma tamen illa, potius quam norma justi, ipsis est valor quem ad bonum commune expediens est vigere, vel quem conatu persequuntur et plerumque obtinent ii qui res commutant.

Ad sententiam qua negatur objectiva norma proxime accedit cl. professor Funk, dum valorem ponit in aestimatione, non communi alicujus regionis, sed singulari contrahentis, qua is judicat de momento quod sibi ipsi habet acquisitio talis rei. Pretium ergo quodlibet esse justum, modo solvatur cum plena scientia rei et libertate [2].

ARTICULUS II. **Formula et argumenta conclusionis.**

THESIS XXV

Ex aestimatione communi proxime manat rerum valor verus, qui nequit opera humana adaequate mensurari.

Valore isto definitur per se justum rei pretium.

Venditor tamen praeterea stipulari potest compensationem specialis privationis quam sustinet ex cessione rei, ob ejus usum vel suum ad rem affectum, non autem per se peculiaris commodi emptoris.

342. I. **Status quaestionis.** 1. THESIS MOMENTUM ET INTENTIO, SENTENTIAE. Praecipuam aggredimur quaestio-

---

1 Ita v. gr. Cauwès, n. 194. « La valeur naturelle dans les échanges avec concurrence est proportionnée au coût de production, et le coût de production est l'équivalent de la difficulté épargnée à l'acquéreur. »

2 « Der Werth sein Wesen nach (ist) Nichts als die Bedeutung eines Gutes in ökonomischen Bewusstsein des wirthschaftlichen Subjectes... Der Preis (ist) volkommen gerecht... sofern er nur mit freiem Wollen und voller Kenntniss des Objectes entrichtet wird. » *Theologische Quartalschrift*, Tübingen, 1869, p. 426, 427.

nc
que, in qua vertitur omnis disciplina pactionum judicium-
sint ac e praeceptis superiore aetate traditis : utrum haec
jicienda huc tuenda, an contra, his sauciis et antiquatis sub-
vero, ha sint, utpote veriora, placita recentiorum. Jam
sequimur c nostra positione, veteris scholae catholicae
satis ex supr octrinam, cujus vis aeque atque adversarii
dictis fit perspecta.

Namque *prima pars* principium ponit de rerum valore quod inter omnes . lasticos convenit; diserteque impugnat tum eos qui negan objectivam valoris rationem, tum alios qui varia via eo addu untur ut unam hominis operam compensatione existiment dignam.

Binae sequentes partes prioris sunt corollaria. Eis enim, contra multos liberales et R. D. Funk, affirmamus esse per se pretium *objective* aequum et justum, vero valore definitum, nec posse praeterea compensari nisi specialem utilitatem vel affectum ejus qui rem vendit. Satis frequenter tamen hodie conantur venditores ad specialem emptoris utilitatem exigere pretium.

Et praeter R. D. Funk, cui artes istae sunt plane acceptae, nonnulli alii catholici, ut C. Gousset, *Théol. mor.* n. 740, contra unanimem scholasticorum consensum, coeperunt eas minus reprobare. Omnes tamen eum injustitiae arguunt qui ex alterius inopia vel egestate majus sibi captare lucrum.

2. Explicantur voces.

Ex aestimatione communi, minimeque ex aestimatione paciscentium, ut arbitratur R. D. Funk. Aestimatio porro illa erit alicujus loci vel totius regionis, prout frequentia commerciorum, facilitas commeandi, definiunt spatium ubi unus quod ad istam rem vigeat mos.

Proxime manat, ut innuamus rationes illas objectivas, plerasque rei intrinsecas, ex quibus ut e regula superiore pendet ista aestimatio.

Rerum valor verus. Itaque denominationem valoris fatemur quidem esse *formaliter ab extrinseco,* eam tamen simul

contendimus vere de rebus praedicari. Patet nos hic agi de valore quem multi vocant *permutationis*, qui supra, n. 339,4, est descriptus.

Qui nequit opera humana: Sive sumatur quae fuerit re vera in rem impensa, sive ista qua rem comparantes sint liberati, sive illa quae communiter adhiberi consueverit. Tres enim sunt intellectus, quos, cum omnes repudiemus, nullum definite in conclusione posuimus.

Adaequate mensurari. Minime ergo infitiamur, necessariam operam plurimum *per se* conferre ad rerum taxationem : sin minus non tam facile variis iisque speciosis erroribus fuisset erratum ; sed contendimus operam illam non posse pro *adaequata* norma haberi aestimationis communis.

Valore isto, neglecta ergo utilitate quam rei diximus propriam.

Definitur per se. Per se, inquam : namque, in quibusdam adjunctis, posset ex causa publica Legislator statuere pretium majus vel minus ; et praeterea sunt res in quibus non versatur aestimatio communis. De his, quid sit dicendum, dabimus in corollariis, n. 350.

Justum rei pretium. Pretium, seu *valor pecunia expressus*, solvitur in venditione. Justum volumus quod commutativa imponitur justitia. Una ergo contendimus hujusmodi pretium haberi tradimusque ejus normam.

Venditor tamen, seu qui rem pecunia commutat,

Praeterea, ut significemus agi de augendo pretio, non de minuendo,

Stipulari potest, seu pactione exigere,

Compensationem, ope pecuniae, cujus quantitas erit rursus definienda vel ex communi aestimatione, vel, si haec desit, ex regula tradenda, n. 350.

Specialis privationis, non ergo illius quae rei abdicatione plerumque continetur. Haec enim, utpote fundans communem existimationem, jam est ipso pretio justo compensata.

Quam sustinet ex cessione rei ob ejus usum, h. e. si res ipsi sit peculiariter commoda vel utilis. Puta v. gr. agrum

agi, qui, domum adjacens, facile converti possit in hortum amoenum.

Vel suum ad rem affectum, ut si res ipsi memoriam renovet parentum, amicorum praeteritae aetatis.

Non autem per se, seu quantum est ex vi contractus onerosi venditionis. Alia fuerit causa, si ratio accesserit vel beneficentiae vel cujuspiam societatis lucri.

Peculiaris commodi emptoris. Commodum rursus intelligas sive ex affectu sive ex utilitate manans, proindeque etiam illud quod sit quaestuosum.

II. Probatio.

343. A. PRIMAE PARTIS. 1. *Ex aestimatione communi proxime manat rerum valor verus.*

Negari non potest hanc vim inesse communi aestimationi, ut tribuat rebus quas afficit aptitudinem qua aliis rebus fiunt per se convertibiles. Haec autem aptitudo, ut jam dictum est, pondus est dignum existimatione, vere rei cohaerens proindeque gignens valorem presse dictum ordinis oeconomici. Quod adeo verum est ut res istae a multis non quaerantur vel serventur nisi propter illam aptitudinem [1]. Ob quam enim aliam causam artifices conficiunt vestes, mercatoresve comparant frumentum, oleum ? Quamdiu autem res non communiter aestimatur, generalem illam non habet aptitudinem. Per accidens fit ut aliquis, studio quodam speciali, rem talem affectu prosequatur eamque sibi velit comparatam. Quocirca, hujusmodi res non appetuntur nisi propter utilitatem quam, post Philosophum, propriam vocavimus, sensusque ipse communis eas praedicat valore destitutas. Inde breve illud tenetur argumentum :

Verus rerum valor, in aliqua societate, est talis in socie-

[1] Istud satis bene illustratur a K. Marx, in citato capite 1, ut quum scribit : « Pour produire des marchandises, il (l'homme) doit non seulement produire des valeurs d'usage, mais des valeurs d'usage pour d'autres, des valeurs d'usage sociales... Les marchandises... ne sont marchandises que parcequ'elles sont deux choses à la fois, objets d'utilité et porte-valeur. »

tate aptitudo conversionis propter quam fiant appetibiles.

A. Hujusmodi idoneitas proxime inducitur rebus per communem aestimationem, eamque solam.

E. Ex ea proxime manat valor rerum verus.

2. *Valor iste nequit opera humana adaequate mensurari.*

a) *Argumentum universale.* Res communiter aestimantur, quia communiter norunt rem illam utiliter possideri vel comparari. Namque res, ut dictum est, dignae sunt aestimatione quatenus serviunt hominibus, communis autem aestimatio fertur in rerum proprietatem. Cfr. n. 339, 3.

Utilitas autem illa non mensuratur adaequate opera humana. *E.*

Ad min. Quis ambigere possit plerasque res ita constitutas esse ut utilitas, copiae finitae et quam juvat proinde possidere, ipsis partim insit ab ipsa natura? Quare, quamvis fortasse humana opus sit industria ad res vehendas vel in meliorem redigendas formam, nihilominus ad operam istam, cujus partes sunt saepe minimae, nequit exigi gradum valoris. Sint v. gr. binae venae carbonariae, eodem exercendae labore. Nonne carbones praestantiores ex ingenita qualitate pluris fient? Sexcenta autem sunt exempla, in quibus verius diceretur laborem valere propter naturales qualitates rei cui inditur quam has propter laborem conjunctum.

b) *Argumentum indirectum, redarguendo K. Marx.* Is hoc utitur principio, ad commutationem duarum rerum opus esse ut reperiatur aliquid utriusque commune quod negat posse esse aliud quam laborem « *quantitative* » consideratum.

Statuit ergo res valere quia et quatenus continent operam humanam « en tant que *cristaux* de cette substance sociale commune ».

Operam tamen illam merce contentam dicit aestimandam esse ex copia *communiter* requisita ad mercem illam ornandam.

Fatetur denique, si via brevior inveniatur conficiendi res alicujus generis, detrahi de valore etiam rerum quae ante erant factae.

Jam vero: α) *Quod ad principium,* aeque ac labor, communis rerum dici potest idoneitas ad usus humanos. Quod si objecerit usus istos esse forma varios, reponemus non minus forma variare

humanas operas. Quod si rursus arguat operas variae formae convenire in unam communem *laboris humani*, dicemus aequo jure varios usus ascribendos esse omnes ad *usus humanos*.

β) *Quod ad ceteras conclusiones*, 1) *Inter se videntur pugnare*. Etenim si reapse valent res ut *continentes* operam humanam, ut « *cristalla* » istius operae, mensura istius valoris nequit esse copia quaedam *communiter* requisita. Res enim non continet mediam quantitatem laboris, sed eam copiam quae in eam revera est impensa. Quod si, ex novo invento, minor jam requiratur copia laboris, factum istud, plane rei extrinsecum, quomodo potuit frangere cristalla illa pretiosa quae in ea latebant?

Alteram rationem qua sibi discrepet, cfr. Cathrein, p. 94-96, vel subjectam hic notam [1].

2) *Nec materialiter sunt verae*. Non tantum ex loco quo seruntur, sed ex caelo quo singulis utimur annis, variant fruges tum copia tum qualitate. Jam si sola mutetur qualitas (perinde dicas de abundantia) variabit valor. In qua tamen variatione nullus detegi potest respectus ad operam sive impensam sive communiter requisitam.

Quid, quod postea, eodem loco, negat operae humanae inesse per se formalem valorem, dum profecto, ubi tristis saevit hominum servitus, operae istae in pretio habentur, atque, etiam in nostra

---

[1] Ad rei intellectum, opus est animo recolere, agi in praesentia de declarando aliquo *facto*, cur, videlicet, tantum pondus ferri commutetur tot metris telae. Cujus facti rationem hanc affert K. Marx, quod in tanto ferri pondere et tot metris telae eadem insit copia laboris. Jam vero, si labor sit una causa valoris, patet in negotiis quaestuosis absolutum valoris incrementum deprehendendum esse in illa parte pecuniarum quae in laborem convertitur, i. e. in salariis, reliqua autem quae requiruntur nulli valoris mutationi esse obnoxia atque habenda esse pro « capitali » quod *in se* hac ratione non mutatur. Incrementi illius ad variabile « capitale », seu salaria, relatio reddetur hac ratione, $\frac{i}{v}$, si i significet incrementum absolutum, v autem variabile capitale seu summam salariorum. In aestimando autem lucro facto, computandum est reliquum capitale negotio recuperandum, c, ita ut lucrum exhiberi possit, exempli causa, hac forma: $l = \frac{i}{c+v}$. Inde apparet necesse esse, ut stet doctrina K. Marx, ut pro vario modo quo c se habeat ad v, mutetur lucrum ipsum; i. e. ut quo minor sit immobilis pars capitalis, eo magis quaestuosa fiat negotiatio. Id tamen repugnat experientiae, quae ostendit relationem inter c et v ad lucrum per se non referre. K. Marx confessus erat factum et difficultatem, in tertiumque volumen sui operis distulerat responsum. Quid autem ipse in illo 3° volumine? Concedit omnia, et fatetur res non vendi secundum suum valorem (seu laborem quem continent) sed alias pluris fieri, alias infra hanc summam haerere. Facti ergo declarandi ratio quam Marx attulerat ipsius ore judicatur frustranea. De his cfr. Marx *Das Kapital*, t. 1, c. 6 et 7 (edit. gall. c. 8, 9); t. 3, s. 2, p. 132.

societate, opera qua quis v. gr. alterum manuducit (ut manifestum quid sumamus) valore minime caret.

Quid, quod Marx hinc bene agnoscit propriam rei utilitatem simul gigni opera humana et viribus naturae [1]; illinc affirmat in commutatione hanc utilitatem plane negligi [2], ut concludat, hac omissa utilitate, non remanere in re nisi hoc quod fructus sit laboris [3]. Quo modo arguendi vix non committitur aperta absurditas. Ex talibus enim praemissis: Utilitas rerum est fetus communis laboris et naturae; Utilitas autem ista est omittenda — ex his, inquam praemissis, non potest, sine absurditate, concludi aliquid quod sit laboris vel naturae proprium, ita ut, secundum placita Marx diceretur unus superesse labor; sed, quantum est ex vi hujusmodi argumenti, vel ambo dicenda sunt nihilominus (sub alio respectu) superesse, vel neutrum superesse et ambo simul formaliter evanuisse. Atque observes tamen, secundum Marx, laborem non esse causam valoris nisi quatenus est causa utilitatis [4]. Mirus enim iste philosophus, eodem loco ubi contendit negligi in commutatione proprias rerum utilitates, simul fatetur utilitatibus istis fundari valorem [5].

Quid sunt haec omnia, nisi vana quaedam, argute fortasse excogitata, ad occaecandam satis apertam rerum veritatem, et in quae nemo sanae mentis concederet qui animum gereret vacuum praejudiciis?

344. B. SECUNDAE PARTIS. *Valore isto definitur per se justum pretium.*

Seclusa lege quae mutet jurium materiam, justitia postulat ut in contractibus a quibus abest intentio beneficentiae sit aequalitas dati et accepti. Justitia enim quae inter privatos tuetur aequalitatem personalem dicitur commutativa, ut quae potissimum observanda est in commutationibus.

---

1 « Le travail n'est pas l'unique source des valeurs d'usage qu'il produit... Il en est le père, et la terre la mère, » p. 17.

2 « Il est évident qu'on fait abstraction de la valeur d'usage des marchandises quand on les échange » p. 14.

3 « La valeur d'usage des marchandises une fois mise de côté, il ne leur reste plus qu'une qualité, celle d'être des produits du travail » p. 14.

4 « Pour produire des marchandises il (le travail) doit non seulement produire des valeurs d'usage, mais... des valeurs d'usage sociales. Aucun objet ne peut être une valeur s'il n'est une chose utile, » p. 16.

5 « Dans la société que nous avons à examiner, (elles les valeurs d'usage) sont en même temps les soutiens matériels de la valeur d'échange, » p. 14.

A. Aequalitas ista habetur pretio quod isto valore, si adsit, sit definitum.

E. Seclusa lege et modo adsit hic valor, ipso definitur justum pretium.

Major satis est evidens, confirmaturque hoc S. Thomae ratiocinio: « Quod pro *communi* utilitate inductum est (ut emptio-venditio et alii hujusmodi contractus) non debet esse magis in gravamen unius quam alterius. » *E.* « debet secundum aequalitatem rei inter eos contractus institui. » II. II, q. 77, art. 1, c.

Ad min. In commutatione fit usus rei secundum *valorem* [1]. Formaliter ergo comparantur duo *valores,* atque inter valores servanda est aequalitas. **A.** Haec servatur statuendo pretium definitum valore. Pretium enim cum non sit nisi valor pecunia expressus, qui hujusmodi pretium accipit, obtinet eumdem valorem pecuniae ac dedit rei.

Confirmatur jure romano, l. 63 Pr. D. *Ad legem Falcidiam* (LIII, 3) ubi citatur Paulus dicens: « Pretia rerum non ex affectu nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur. »

Esse justum pretium, contractumque venditionis debere per se libere perfici, jam indicat S. Maximus taurinensis, carpendo emptiones factas ab avaris usurariis: « Bonum est emere, sed in pace, quod propria voluntate venditur, non in depraedatione. Respice contractus originem, venditionis auctorem, pretii quantitatem, et intelliges te praedae magis non venditionis emptorem. » *Homilia* 96, (Migne, P. L. t. 57, col. 478). Cfr. etiam S. Joannem Chrysost. *In Matthaeum, Homil.* 56 (57), n. 6. (Migne, P. G. t. 57, col. 557).

345. C. TERTIAE PARTIS. 1. ***Venditor tamen praeterea stipulari potest compensationem specialis privationis quam sustinet ex cessione rei ob ejus usum vel suum ad rem affectum.***

Nemo enim cogitur gratis in alterius gratiam sustinere damnum.

Si ergo, per accidens, ut ait S. Thomas l. c., venditio cedat in damnum rem vendentis qui privetur re specialiter utili vel cara, merito is exigere potest ut damnum istud sibi nova emptoris praestatione, seu pretii augmento, sarciatur. *E.*

[1] S. Thomas, *In 1 Politicorum*, l. 7.

2. *Non autem per se stipulari potest compensationem specialis commodi emptoris.*

N. B. Non diffitebimur nos in hac re aliquam experiri difficultatem: tum quia, tuendo nostram positionem, improbamus usum quem jam Billuart testatur esse communem et vulgi moribus receptum; tum quia nonnihil in partem contrariam movemur argumento quod est hujusmodi. Sicut, neglecto usu proprio rei, etiamque si nullam ex ipsa re percipiat utilitatem, potest venditor exigere pretium communi aestimatione definitum, cur non potest, neglecto etiam usu proprio, exigere pretium rectae emptoris aestimationi consentaneum? Seu alias: communiter agnita utilitas rei acquirendae tribuit generalem facultatem commutandi qua rei possessor uti potest. Quid prohibetur uti speciali facultate commutandi quae per accidens oritur ex speciali utilitate acquirentis? Quid plus potest in universum communis aestimatio, quam in casu particulari aestimatio partium?

Ut nihilo tamen minus positionem nostram defendamus, non solum movemur gravissima auctoritate doctorum qui eam unanimi suffragio approbarunt et perpetua traditione scholae catholicae, sed etiam pondere rationum. Sit ergo:

α) *Argumentum indirectum*, cujus maxima nobis videtur efficacia. Concessa contraria opinione incidimus in consectaria evidenter absurda.

β) Pretium justum non tantum exigi potest sed solvi debet. Si ergo specialis emptoris utilitas rationem mutet pretii justi, emptor vel ultro augere debuerit pretium, vel saltem indicare eam utilitatem, ut venditor jure suo augendi pretii uti possit. Nemo tamen sic dixerit; emptoresque ad varias confugiunt artes ut haec utilitas ignoretur.

β) Praeterea, sicut res specialiter utilis esse valet emptori, ita non raro pecunia speciale affert venditori commodum quaestus. Non ideo tamen is existimat se obligatum ad aliquid de pretio detrahendum, etiam si conetur computare specialem emptoris utilitatem. Nonne haec sunt omnino arbitraria?

γ) Ut jam arguit Molina, d. 348 n. 4, fas tunc foret carius vendere pauperi quam diviti. Specialis enim indigentia nonne prodit specialem utilitatem? Gratis ergo distinguitur ab adversariis casus necessitatis, quem nolunt

a venditore considerari, ab utilitate quaestuosa [1], vel affectionis. Neve opponant eum qui necessitate prematur carere libertate. Ambo enim, et qui consulere vult propriae necessitati et qui lucri captare cupit occasionem, premuntur necessitate finis alicujus seu boni intenti ad quod una patet via : rei comparatio. Variare inde posset obligatio *caritatis,* non autem *justitiae.*

b) *Argumentum directum.* α) Specialis alicujus utilitas non auget rei valorem, cum non sit communiter aestimata. *E.* Non ingreditur justum pretium, nec potest computari nisi agatur de damno praecavendo vel sarciendo.

Damnum autem nullum est ubi utilitas est emptoris. *E.*

β) Pretium est solvendum quatenus res pertinet ad vendentem. Res autem pertinet ad vendentem secundum valorem et secundum utilitatem sibi peculiarem, minime vero secundum utilitatem quae primum exoritur apud ementem. Ita fere S. Th. et Molina, ll. cc.

Ad rationes autem supra objectas, respondemus :

Minus attendendum esse ad mores receptos vel sensum communem, ubi agitur de conclusionibus quae remotae sunt a principiis; praesertim si, ut hic, studio propriae utilitatis homines facile decipiuntur. Addas praeterea ex placitis scholae liberalis mentes facile turbatas esse minusque genuinam concepisse rationem veri et justi.

Deinde, quod ad rationem intrinsecam, communis rei aestimatio habet aliquam vim qua caret aestimatio alicujus propria. Tribuit rei, ut declaratum est, novam eamque utilissimam aptitudinem quae valoris nomine designatur et simul cum re possidetur. Non item unius utilitas vel affectus. Non magis prohibetur rei possessor uti speciali quam generali facultate commutandi. Usus tamen rectus sit oportet. Rectus autem est si in priore casu pretium exigit qualitatis quae apud omnes est digna aestimatione, non autem si in altero velit exigere compensationem aptitudinis quae apud solum emptorem est magni facienda.

346. III. **Difficultates** (Cfr. etiam n. 345, N. B.)

1. NEQUIT VALOR VERUS MANARE EX AESTIMATIONE COMMUNI. Verus enim valor debet esse in ipsa re. Nequit

[1] Concedunt tamen computari posse utilitates quasdam non quaestuosas, ut si ex situ possessio augeat domus amoenitatem, vel si res memoriam refricet parentum, etc.

autem aestimatio quae tota est ab extrinseco aliquid ponere in ipsa re. *E.* Vel non est verus valor objectivus, vel is non manat proxime ex communi aestimatione.

R. Nego assertum. Ad ejus rationem, *distinguo :* Verus valor debet esse in ipsa re ut proprietas quaedam physica, *N.*, ut proprietas quaedam moralis, fere ut jurisdictio vere est in judice, *C. Contradistinguo minorem.*

Sicut enim, extrinseca designatione principis vel cujus est jus, judex vere acquirit jurisdictionem, ita exteriore aestimatione communi res acquirit verum valorem. Cujus rei penitior est ratio quod valor et jurisdictio continentur ambo commercio hominum inter se. Satis ergo est ad effectus qui inde oriuntur ut ab hominibus cognosci possint: quod nullam postulat physicam mutationem.

Inst. Nimis incerta est illa norma quam ut adhiberi possit. Conceditur enim eam posse esse falsam ; falsaque erit nisi respondeat verae utilitati comparationis rei in aliqua societate. Jamvero haec utilitas ex tam multis pendet adjunctis, ut cognitu sit difficillima. *E.* Regula ista semper erit suspecta falsitatis, proindeque nequit prudenter adhiberi.

R. Nego assertum. Et ad rationem, dist. : falsa erit nisi respondeat verae illi utilitati ut communiter cognosci potest et per se cognoscitur, *C.* falsa erit nisi respondeat verae utilitati ut est a parte rei, *N.*

Itaque falsa erit tantum si vi vel fraude impediti sint homines quominus proprio permitterentur judicio. Alias : judicium quod ultro ferunt homines nullis decepti malis artibus, quod proin non fuerit metu vel dolo vitiatum, est veri valoris certa norma, quae tamen intra limites summi et infimi pretii spatiatur.

2. NON VALORE SED PARTIUM CONSENSU DEFINITUR JUSTUM PRETIUM. Etenim « Consentienti non fit injuria. » *E.* Injustum nequit esse pretium quod nulla vi vel fraude est obtentum.

R. Nego assertum. Ad rationem, D. antec. Consentienti non fit injuria, si consensus sit plenus seu voluntarius simpliciter et secundum quid, *C.* Si ratio voluntarii mixta sit involuntario, *N.* Tunc, aliquando saltem, injuria non tollitur hujusmodi consensu. Cfr. supra, n. 141, 146.

Nisi adfuerit intentio liberalitatis, profecto non vult emptor solvere nisi rei valorem seu pretium quod alter per se exigere juste potest. Quod si is plus exigat, abutitur « relativa » saltem necessitate emptoris. Relativam voco necessitatem quae oritur ex connexione acquirendae rei cum fine seu bono intento.

3. NON POTEST EXIGI PRETIUM AFFECTIONIS.

Causa enim illius affectus saepe superat ordinem bonorum fortunae. Est v. gr. amici memoria, etc. *A.* Non est comparatio rerum quae ad diversos ordines pertinent. Et *confirm.* nam laesio vitae, honoris, per pecuniam stricte de se non sunt reparandae. *E.*

R. C. maj. Ad min. Non est comparatio de se, seu proprie dicta et in compensatione involuntaria, *C.* in permutatione voluntaria, *N.*

Licet affectus ad ordinem superiorem pertineat, potest quis consentire ut molestiam ordinis superioris subeat sive gratis, sive qualicumque recepta compensatione pecuniaria ; sicut in delictis juste imponi potest a magistratu. Altera est ergo ratio commutationis voluntariae, altera involuntariae. Ceterum, quid frequentius audimus, nisi hujusmodi comparationes : Nolim mille libellis privari tua societate, hanc sustinere invidiam, etc.

4. VIDETUR COMPUTARI POSSE UTILITAS SPECIALIS EMPTORIS.

Nam qui vendit rem, emptori etiam hanc utilitatem procurat. *A.* Secundum receptam ab emptore utilitatem, aestimari potest valor rei. *E.*

R. D. maj. procurat per formalem communicationem, *N.* per materialem, *C.* — *Cdt. min.*

Ad. maj. Formalis communicatio habetur quum aliquid ab uno possessum ad alterum transit. Jamvero res non erat penes venditorem affecta illa utilitate, quae proin non fuit formaliter communicata.

Porro, *Ad. min.* non potest aestimari valor nisi secundum utilitatem receptam per formalem communicationem. Nam commutari tantum potest aliquid proprium. Utilitas autem quae non erat penes venditorem, hujus non erat propria. Cfr. S. Th. hic ad 3^{m} ; et Lehmk. I. 1056.

Inst. Sed tunc venditor qui percipere non possit communem utilitatem rei, infra verum pretium hanc vendere deberet.

R. Neg. Quia haec fundat valorem qui cum re possidetur. — Cfr. C. de Lugo, d. 26, n. 43 et supra, 339, 5.

ARTICULUS III. **Doctrinae supplementa**

I. ***COROLLARIA.***

347. Medium rei in contractibus. Itaque etiam in contractibus fit objectiva rerum comparatio, et, sine ulla culpa formali, accidit ut deserant partes aequalitatem quam justitia commutativa jubebit restituendam. Atque sic rursus apparet justitiam habere *medium rei.* Cfr. n. 36.

Licet ergo, cum scholasticis, id concedamus R. D. Funk, injuriam formalem non committi nisi quis fraude vel vi abutatur, non possumus tamen hac trutina pensare pactionum justitiam. Imo ne specificationem quidem habent peccata ex illis artibus, sed ex objecto. Proindeque, nisi metus personae incussus contineat injuriam personalem, idem specie peccatum erit sive calliditate sive praevalente conditione fueris abusus ad obtinendum nimium pretium.

348. Commutatio cedit per se in utriusque partis utilitatem. Rationes factae ostendunt quo pacto ex justa commutatione per se utraque pars lucrum faciat. Dum enim, justo pretio, altera alteri cedit rem quae minus sibi est utilis ad usum proprium, *servat* eumdem valorem, *comparat* rem majoris utilitatis propriae.

349. Qua ratione computanda sit utilitas venditoris. Si presse loquamur, quia pretium justum rei, illud est quod adaequat valorem, ille qui in commutatione sibi sarciri vult utilitatem propriam et pretium solvi quod dicitur affectionis, revera postulat aliquid *ultra justum pretium;* merito tamen, quia compensat proprium incommodum. « Sic, ait accurate S. Th. II. II, q. 77, art. 1, c., licite poterit aliquid vendi *plus quam valeat secundum se*, quamvis non vendatur plus quam valeat habenti. » Et C. de Lugo, d. 26, n. 43 « *ultra justum* pretium petit aliquid non pro re ipsa, sed pro illo vel affectu vel damno. »

Quare etiam alio titulo debetur pretium illud extraordi-

narium [1], nec ultro est offerendum, et exigi tantum potest ab eo qui causae sit conscius. « Necesse est, ait Molina, d. 348, 6, ut pactum in id deducatur, ita ut emens sciens ac prudens illa emat. »

350. Ubi nulla aestimatio communis, nullus presse dictus rei valor. Compensandum ergo tunc mere erit damnum venditoris ex usu proprio rei et sperato valore, si forte videatur mox futurum ut res communi subjaceat aestimationi. Haec ergo perpendenda erunt prudentibus, quibus scholastici tunc deferendam arbitrantur causam. Cfr. Molinam, d. 348, n. 9, C. de Lugo, d. 26, n. 46, 47. Simul iidem concedunt esse res quasdam quae arbitrio venditoris aestimari possint. Lessius, c. 14, n. 53, C. de Lugo, l. c.

351. Valor socialis. Valor presse dictus, cum nascatur in societate et ex communi aestimatione, nec parum foveat commercia hominum inter se, continet socialem quamdam rerum functionem, ob quam nobis videatur eleganter a Cauwès appellari *valor socialis* [2]. Is rei deesse potest, vel quia talis est quae non possideat utilitatem communiter aestimabilem, vel quia haec *per accidens* latet. Tunc conditio potius desideratur quam causa valoris.

352. Quid si carius vendatur extraneis? Si ex copia ementium crescat rerum valor, patet integrum esse mercatoribus justum ab extraneis petere pretium et aliquid de eo remittere in gratiam incolarum. Nec prohibentur etiam ab extraneis exigere summum pretium. Ultra tamen modum res ipsis augere, quia v. gr. in sua ipsorum regione res habeantur pretiosiores, sapit fraudem quae, satis usitatam, bona quadam fide fortasse committitur, sana tamen doctrina nequit probari. Cfr. C. de Lugo, d. 16, n. 51.

---

[1] Est quasi altera emptio-venditio, rei venditioni addita, utilitatis videlicet et commodi venditoris, quam emptori integrum est abnuere.

[2] Jam dixerat Philosophus, l. 5 Ethic. l. c. « Quod si erit permutatio, erit et societas. »

Considerandus ergo est mercatus ubi res vaenit. Quod interdum non est omni dubio vacuum ubi agitur de magnis negotiis quae continentur commercio « internationali. » Solent enim qui ingentes exercent officinas constituere mandatarios *(agents)* qui in alienis regionibus vendant officinae opera ; solentque etiam mercatores alienos adire mercatus ; et quandoque, ut cum telegrammate res transigitur, emptor aeque dicet : « emi in Belgio », et venditor : « vendidi in Anglia. » Quae res cum incidunt, existimamus a partibus considerari posse utrumlibet pretium quod eligere malint possintque obtinere sine vi vel fraude. Ceterum pretia ista magnopere inter se differre non consueverunt.

353. De lege oblati et quaesiti. Celebri huic formulae aliqua inest veritas, quatenus comparatio copiae rerum cum numero eorum qui eas sibi cupiunt *inadaequate* moderatur variationes pretii : novimus enim ex percepta rei utilitate et difficultate eam obtinendi potissimum pendere rei aestimationem communem et ipsum valorem. Falsa autem est, si eam sumas pro *norma* pretii sive proxima sive remota.

Non est *norma proxima.* Potius enim copia rem offerentium vel quaerentium est aliquod adjunctum ad quod respicere solent homines in aestimanda re ; ita ut partim fundet aestimationem communem ad quam proxime exigitur pretium verum. Deinde, ut esset proxima regula, opus foret ut constanti aliqua ratione, quo magis crescceret petitio eo magis cresceret pretium et contra. Jam vero hujusmodi ratio non habetur. Si oblata frumenti copia facta sit dimidio minor, plus quam duplo creverit pretium [1].

Neque est *regula remota.* Nam ex ipso rerum pretio res magis vel minus quaerentur et offerentur, ita ut relatio

---

[1] Ita C. Gide, *Principes d'économie politique*, p. 74-76, ubi optime impugnat falsum istud effatum.

ista sit partim pretio posterior. Nonne enim, vilescente vino, plures erunt ementes ; nonne mercatores conabuntur illuc inferre merces ubi majoris fiunt ?

354. De Monopoliis. a) Presse, monopolium designat privilegium auctoritate *publica* privato viro vel fisco concessum, quo isti soli reservatur facultas vendendi certas merces vel eas vectandi. Saepe tunc etiam lege taxatur pretium. Quod monopolium *legale*, justa de causa inductum, improbandum non est.

Huic affine est monopolium, quo per aliquod tempus fruitur *inventor*, ex diplomate quod dicitur *brevet d'invention*. Neque hoc est illicitum, modo ne nimis augeatur pretium. Attamen non ita facile determinantur justi limites.

b) *Privatum* est monopolium, quando unus vel plures id efficiunt, ut coëmptis omnibus certi generis rebus, ipsi reapse soli eas vendant. Modo ne exigant pretium *ultra summum*, quod secus res haberet, vel ne fraudibus aut vi illud inducant, non est injustum. Sed si exinde pauperes notabile detrimentum patiuntur, laedetur *caritas* [1]. In rebus *voluptariis* facilius id erit licitum.

N. B. *Negotiatio* illa *(spéculation)*, qua quidam magna copia certas merces vili pretio emunt, ut servent et dein vendant cum pretium, ut sperant, creverit [2], per se non est illicita, dum pretium congruat cum rerum copia. Cfr. Molinam, d. 345, n. 10, C. de Lugo, d. 26, n. 176-179.

c) Ad genus aliquod privati monopolii referenda sunt complures pactiones et sodalitia mercatorum et artificum, antiquis non penitus ignota, sed quae ex hodiernis negotiandi moribus increbuerunt et, variis induta formis, alia in aliis regionibus ceperunt nomina. Eo autem omnes pertinent ut vim infringant liberae aemulationis *(effets de la libre concurrence)*. Agedum, negotiatiores hodie non solum, eo consilio, mutuo paciscuntur se non vendituros merces nec suscepturos opus infra certum pretium, sed jungunt consortia, ut in potestate habeant mercatus, ceterosque mercatores vel atterant vel saltem subigant ad necessitatem parendi suis legibus. Rationes istae sodaliciorum *(syndicats)*, dicuntur *consortium*, *kartell* (in Germa-

---

[1] Non videntur audiendi qui de ipsa justitia hujusmodi pactionis, libere factae, dubitant. Minime enim probare possent jus aliquod emptorum impediendi haec consortia.

[2] Hujusmodi artium jam affert exempla Aristoteles, l. 1 *Politicorum*, c. 11.

nia), *corner*, *combination*, *pool*, et praesertim *trust*, quae species americana omnium est potentissima [1].

Ad recte de ejusmodi pactionibus judicandum, oportet animum attendere tum ad *praesentia adjuncta*, in quibus ex hostili aemulorum contentione fit ut variis artibus, deprimendo salaria, etc., et nominatim ficticiis pretiis quae rem honeste gerentibus sunt exitiosa, alii alios superare atque opprimere consueverint ; tum ad *finem* a sodalibus intentum et ad *res* de quibus agitur.

α) Si enim *inter homines exiguae fortunae* tales fiant pactiones quo valeant et congruum operariis statuere stipendium et ipsi honestum percipere impensae operae lucrum, nihil est cur artes istas minus probemus. Imo jam solent publicae administrationes certam definire mercedem infimam operariis ab operum redemptoribus solvendam, ne fenerentur defraudatum justum salarium. Praeterea, si hujusmodi pactiones non versantur in rebus necessarii usus, sed in voluptariis, v. gr. libris musicis, pretium nequit augeri arbitratu venditorum, quum emptoribus sit integrum duriores declinare conditiones.

β) Sed longe magis suspecta sunt consortia *inter magnos officinatores* atque *opulentos mercatores*. Tunc enim :

Fieri quidem potest ut etiam haec foedera, si huc spectent ut honestum obtineatur lucrum et arceantur damna nimiae aemulationis, nec causa nec utilitate careant : quare non ita male audiunt *kartelle* Germaniae, quibus inest potius ratio cujuspiam defensionis.

Sed saepe non tam defensio propria quam aliorum intenditur oppressio ; vel mere agitur de augendis quaestibus et fortunis. Imo in quibusdam partibus Americae eo devenere nonnulla *trusts*, ut etiam politicum in civitate obtinerent dominatum. Quis non videt haec plurimum nocere reipublicae ?

Quid, quod quaelibet jam pactiones *de rebus ad victum*

[1] De his cfr. v. gr. Cl. Jannet, *Le Capital, la Spéculation et la Finance au XIX^e siècle*, c. 8 et Conrad, *Handwörterbuch* etc., v° *Kartelle*.

necessariis commune solent parere incommodum et detrimentum.

Quare olim justissime contra coemptores legibus saeviebatur. Quod si tunc forte peccatum est nimia severitate, hodie potius nimis abstinent imperantes funestis coërcendis artibus. *Per se* autem jam haec monopolia adversantur *caritati,* quae, ubi commune agitur detrimentum, obligat etiam cum gravi incommodo.

Quod attinet ad *justitiam commutativam,* redit solutio jam data de privato monopolio. Sine injuria exigi nequit pretium ultra summum quod secus esset consuetum.

Quae norma tamen non est expediti usus, tum quia pacta illa venditorum saepe respondent contrariis pactionibus quibus emptores conantur nimis vili pretio emere merces; tum quia summum illud pretium videtur definiri posse seclusa effraenata aemulatione quae pretia laxat infra illud quod, in mercatu ubi res veneunt, juste exigi possit. Nec qui mercatus sit considerandus adeo est semper in aperto. Quare juvabit pressius modum indicare quo norma ista nobis videatur adhibenda.

Justum censendum est pretium, quod peritis negotiatoribus non tribuit nisi moderatum lucrum, seu retributionem suae operae vel industriae. Sic enim mere sancitur valor naturalis quem videbimus inesse labori humano; jamque antiqui per se fas putabant postulare pretium quo, refectis impensis, aliqua superesset congrua retributio [1]; idemque oeconomistae existimant esse pretium naturale.

Justum praesumendum est pretium quod exigere convenit inter negotiatores, quando, perspecta copia rerum quas simul possident et mercatus ambitu, non fruuntur monopolio. Pretium enim quod foret nimium frustra viderentur velle inducere.

In dubio, inclinandum est in justitiam pactionis quae rationem habet alicujus defensionis, ut dictum est.

Contra, *honestis mercatoribus cavendum est* a foederibus quibus minus se tuerentur quam adorirentur *(syndicats d'aggression)* alios sive aemulos sive emptores; et tunc maxime utile erit considerare pretium quo secus res forent aestimatae. Ut exemplo rem illustremus, puta merces quasdam, ob specialia adjuncta, ad permagnum pretium pervenisse; dumque, mutatis adjunctis, in eo essent ut consuetum recuperarent valorem, mercatores eo consilio facere pactionem ut insolitam retinerent caritatem: vix hujusmodi foedus ab injustitiae labe fuerit immune.

---

[1] Cfr. documenta collecta a D. Brants in opere. « *Les théories économiques au XIII^e et XIV^e siècles*, c. 6, § 4.

Responsio ista de considerando pretio quod sine monopolio vigeret, quam a pluribus seculis pro certissima habent theologi, omnino est retinenda ; ejus tamen ratio non ita facilis videtur.

Ei enim qui privilegio fruitur inventoris *(brevet d'invention)* vel cui per se contingit ut artem vel rem utilem possideat solus, permittunt ut, propter ipsum naturale vel legale monopolium, pretium augeat ; atque in universum etiam ex *raritate* esse res aestimandas supra tradidimus. Quo jure aliter respondetur, si, inducto privato monopolio, ars imitatur naturam, *veramque* adducit rerum *raritatem?* Ad hanc accommodare pretium, num id potest adversari justitiae? Haec et similia argumenta non videntur nobis solvi posse, nisi ex altiore ratiocinemur principio.

Quocirca ita arguimus. Primaria, ut vidimus n. 208, fuit atque est naturae intentio, ut res exteriores cedant in commune generis humani bonum ; privataque rerum dominia ideo sancit, quia aptum sunt medium, imo, in praesente rerum conditione, aptissimum procurandi communem bonorum usum (199). Ex primaria porro naturae intentione vidimus etiam limites poni juri proprietatis (232).

Agedum, hic etiam appellanda est haec naturae intentio, summus iste divitiarum et proprietatis finis. Dum monopolium naturale non versatur in rebus necessariis, dum legale non caret functione sociali stimulandi ingenia, scientias, hoc arte inductum monopolium mere eo spectat ut, sine ulla utilitate communi, certum rerum genus fiat rarius et sic subducatur ex parte usibus generis humani. Haec ratio agendi, quae directe contraria est fini rerum exteriorum et proprietatis, nequit ut titulus pretii majoris a natura sanciri. A natura non agnoscitur monopolium qua tale, sed proprietas qualis foret sine monopolio. Quare rei ut nulli obnoxiae monopolio est pretium statuendum.

N. B. 1. Alia ratio laedendi justitiam haberetur si ceteri minis vel dolis prohiberentur vendere mitiore pretio.

2. Pactione sua ipsi paciscentes per se tenentur, ita ut si cum aliorum detrimento promissionem suam violaverint, rei fuerint injuriae restitutione reparandae.

3. De pactionibus inter operarios agemus infra ubi de locato-conducto.

II. *SCHOLIA.*

355. Temperamentum doctrinae. Quamvis specialis emptoris utilitas in pretium presse tale venire nequeat, potest tamen ille cui valde prodest rei comparatio aliquid ultra concedere sive ex grato animo, sive alia intentione beneficentiae. Imo hoc decere existimat S. Thomas, hic ad 3. Atque observes donationem hujusmodi posse esse *allectivam*, ita ut donator impellatur non tam benevolo animo quam spe consequendi aliquod intentum. Quare si, ut interdum contingit, aliquis, quo citius vel facilius obtineat pecuniam qua quaestuosam se sperat facturum negotiationem, statim offerat v. gr. fenus extraordinarium, poterit sine scrupulo haec ipsius pollicitatio acceptari. Atque, in universum, qui, rei conscius, libens annuit vel ultro offert, videtur *per se*, quantum opus est, jure suo cedere.

356. De sententia Bastiat.

Sententia ista, quae negat compensari posse utilitatem rei naturalem autumatque in commutationibus formaliter inter se comparari *officia (services)* potius quam *res*,

a) *Repugnat sensui communi.* Homines enim unicuique rei assignant unum pretium verum, dum officium praestitum aliud est pro alio acquirente; existimantque in pactionibus utrumque paciscentem minus considerare quid operae alteri conferat, quam quid commodi ipse reportet;

b) *Repugnat dignitati officii humani*, quod, a benevolentia profectum, grato animo rependitur, non autem solutione rei ex stricta justitia. Haec enim servat unicuique res suas et bona sua. Nisi ergo, una cum officio, habeatur rei alicujus propriae concessio, non orietur debitum presse tale. Quod si rei propriae abdicatio comitetur officium, idque vi promissionis onerosae, haec abdicatio, non autem officium, erit *reduplicative* titulus quo aliquid ex justitia exigi poterit.

c) *Tacite ponit valorem qui diserte negatur.* Praestantia enim officii plurimum pendebit ex rei utilitate et valore.

d) *Consectaria habet exitiosa.* Non tantum enim destruit objectivam rationem justitiae in contractibus, cum maxime tunc attendendae sint subjectivae conditiones, atque ipse animus tum ejus qui officium praestat tum alterius cui exhibetur, sed etiam, contra mentem Bastiat, favet conclusioni socialistarum. Ii enim facile ostendent, a rei domino, v. gr. a possessore « capitalis », aliquid exigi pro ipsa re, proindeque, fatente Bastiat, vitiosum esse hodiernum regimen privatae possessionis, atque a pecuniosis absumi partem pretii quod ex justitia pertineret ad operarios.

QUAESTIO NONA

DE MUTUO ET USURIS

Aristoteles, *Politicorum*, I, 10, 11 ; **S. Thomas**, II. II, q. 78 ; — *De Malo*, q. 13, art. 4 ; **J. D. Scotus**, In l. IV Sent., d. 15, q. 2, n. 17-20, 26 ; **Molina**, tr. 2, d. 209, 303 sqq., praesertim 303, 304, 314-318 ; **Lessius**, c. 20 ; **C. de Lugo**, d. 25 ; **Pirhing**, **Reiffenstuel**, **Schmalzgrueber**, *In l. 5 Decretalium*, t. 19 ; **Bossuet**, *Traité de l'usure* ; **Broedersen**, *De usuris licitis et illicitis* ; **Scipione Maffei**, *Dell' impiego del danaro* ; **Concina**, *Commentarium adversus usuram* ; — *Usura contractus trini dissertationibus historico-theologicis demonstrata, cum 2 Appendicibus* ; **Benedictus XIV**, *De Synodo dioecesana*, l. 10, c. 4 ; **Zech**, *Rigor moderatus doctrinae pontificiae circa usuras a S. D. N. Benedicto XIV per epist. encycl. traditus*, etc. ; **Leotardi**, *Liber singularis de usuris et contractibus usurariis coercendis* ; **Mastrofini**, *Le usure* ; **Funk**, *Recht und Moral in Bezug auf das Wirtschaftsleben* ; — *Zins und Wucher im christlichen Alterthum* ; — *Scipio Maffei und das kirliche Zinsverbot (Theologische Quartalschrift.* Tübingen, 1869, 1875, 1879) ; **C. d'Annibale**, *Summula*, II, 531-539 ; **Lehmkuhl**, *Theol. mor.* I, 1090-1108 ; **Ballerini-Palmieri**, *Opus theologicum*, t. III, *De justitia et jure*, p. 3, c. 2, *De contr. in specie*, n. 230-363 ; **Endemann** (acatholicus) *Studien in der Romanisch-Canonistichen Wirtschafts und Rechtslehre*, t. 2, VIII, *Das Interesse* ; X, *Das Darlehen* ; **Weiss**, *Sociale Frage*, II, p. 594-719 ; **H. Pesch**, *Zinsgrund und Zinsgrenze (Katholische Zeitschrift.* Innsbruck 1888) ; **Brants**, *Les Théories économiques* etc. c. VII ; **Cl. Jannet**, *Le Capital, la Spéculation et la Finance au XIX^e siècle*, c. 3 ; **Antoine**, *Cours d'économie sociale*, c. XVII. art. 5 et 6 ; **Gaggia**, *Le usure nelle fonti del diritto canonico (Rivista internazionale di scienze sociali*, 1897, p. 523 sqq. ; 1898, p. 39 sqq.) ; **Ch. Dehon**, *L'usure au temps présent* (Opusculum).

ARTICULUS I. **Prima informatio controversiae**

357. Ratio ordinis. Operae pretium videtur, in praemuniendo argumento quod a pluribus jam seculis in tam multis versatur controversiis, solito latius excurrere. Quare :

a) Exponemus quaestionis *fata historica*, quae animo saepe parum libero videntur nobis considerata et relata ;

b) *Notiones intrinsecas* explicabimus quibus amputetur plurima confusionis occasio ;

c) *Sententias* quas *alienas* existimamus a vero breviter in antecessum redarguemus, quo facilis sit aditus solutionis verae.

§ 1. *Notiones historicae*

358. De usura in sacris literis. 1. Nullum esse S. Scripturae locum, *per se* sumptum, ex quo appareat foenerationem esse *per se* vel *in universum* illicitam, non videtur jam serio ambigi posse. Etenim :

a) *Quod ad Vetus Testamentum*, etiamsi contineret universalem prohibitionem, inquirendum insuper foret in titulum istius prohibitionis, quum aeque bene ad jus positivum, nova lege abrogatum, quam ad immutabilem juris naturalis declarationem pertinere posset. Verum, omnes textus qui afferuntur ita commode intelliguntur :

α) Ut reprobent usuram mordentem qua pauper opprimitur ;

β) Ut eam maxime reprobent inter ipsos Judaeos qui, utpote fratres, artiore caritatis vinculo inter se erant conjuncti.

Ad α) Satis est ipsos celebratissimos locos sub oculis ponere. *Exod.* c. 22, ℣. 25 : « Si pecuniam mutuam dederis populo meo *pauperi* qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris *opprimes* » (hebr. *non pones super eum morsum*). — *Levit.* c. 25, ℣. 35-37 : « Si *attenuatus* fuerit frater tuus, et *infirmus* manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum et vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam [1] non exiges. » — L. 4 *Reg.* c. 4, ℣. 1 perhibetur creditor veniens « ut tollat duos filios (viduae)... ad serviendum sibi. » — *Esdras*, l. 2, c. 5, ℣. 5 (de effectibus usurarum) : « Ecce nos subjugamus filios nostros et filias nostras in servitutem, et de filiabus nostris sunt famulae, nec

[1] Hac voce redditur vocabulum hebr. *tharbith*, quod non adhibetur nisi appositum usurae. Videtur ergo significare genus usurae quo non pecunia sed pars frugum tribuebatur creditori.

habemus unde possint redimi, et agros nostros et vineas nostras alii possident. » — Mores feneratorum describuntur hac imprecatione *Psalmi* 108: « Scrutetur fenerator omnem substantiam ejus. » — *Ezech.* c. 18, ỳ. 8, 13, 17, laudat quidem eum qui « ad usuram non commodaverit », et damnat « ad usuram dantem » ; sed tum ỳ. 7, tum ỳ. 12, significat se loqui de artibus quibus « egenum et pauperem » contristabant, atque aeque jubet restitutionem pignoris a debitore accepti. — *Amos*, c. 8, ỳ. 4: « Audite hoc qui conteritis pauperem. »

Inde, in sua relatione cum his factis, facile cognoscitur quo spectent pauci loci qui videantur esse universaliores. *Psalm.* 14 : « Quis requiescet in monte sancto tuo?... Qui pecuniam suam non dedit ad usuram »; et *Ezech.* c. 22, ỳ. 12: « Usuram et superabundantiam accepisti, et avare proximos tuos calumniabaris : meique oblita es (domus Israël), ait Dominus Deus. »

Ad β) Praeter locos jam allatos *Exodi, Levitici, Esdrae*, huc maxime faciunt: *Deuteron.* c. 15, ỳ. 7-10, ubi Dominus vult ut, etiam adventante septimo anno quo facienda erat remissio debiti, pauperi fratri mutua detur pecunia; eodem libro, c. 23, ỳ. 19, 20 : « Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno [1] »; *Esdras*, l. 2, c. 5, ỳ. 7 : « Usurasne singuli a fratribus vestris exigitis? »

b) *Quod ad Novum Testamentum*, nihil, ne specie tenus quidem, continet. In loco enim *Lucae* c. 6, v. 34, 35, Dominus vult nos ita diligere inimicos, ut ea beneficia quibus ceteri solos amicos, et ex consideratione propriae utilitatis, afficiunt, a nobis, sine ulla spe retributionis humanae, exhibeantur etiam inimicis: inter quae beneficia est pecunia mutua data indigenti. Verba ergo Domini ad

[1] Haec licentia fenerandi alienigenis satis molesta est pluribus theologis. Ut se expedirent, fuere qui suspicati sunt haec verba non esse germana locumque esse interpolatum (Rota romana, p. 5, t. 1, *Decis.* 301, n. 45); alii confugerunt ad supremum Dei dominium, quo valet permittere rei alienae usurpationem. Mira profecto est ista explicatio. Et, nisi dixeris Judaeis generalem factam esse potestatem spoliandi extraneos, non apparet cur hoc iniquitatis genus speciali favore fuisset honoratum. Neve opponas facultatem repudii. Nam, praeterquam quod hujusmodi dispensationes non possunt sine cogente ratione multiplicari, hoc interest inter utramque speciem, quod *absoluta* matrimonii indissolubilitas, votis naturae consentanea, pertinet tamen ad jus divinum positivum, dum aequalitas servanda in contractibus ex praecipuis est praeceptis naturae. Melius, ad componendum locum cum doctrina catholica, dicetur fenerationem absolute vetitam fuisse inter Judaeos, etiam si titulus extrinsecus adfuisset, minus autem absolute si ageretur de debitore extraneo quocum minus arto caritatis vinculo conjungebantur.

praesentem usurarum quaestionem « non pertinere, ait C. d'Annibale, II. 533, jam fere lippis atque tonsoribus notum est. »

2. *Num ex Patrum interpretatione et Ecclesiae sensu* major est iisdem textibus assignanda vis, ita ut universalem contineant usurarum prohibitionem? Id non pauci (v. gr. RR. PP. Lehmkuhl, Weiss) affirmant post Benedictum XIV [1], *De Synodo dioecesana*, l. 10, c. 4, n. 6.

Quo vero jure id dicant, visum est nobis sincere investigare. Post quam inquisitionem existimamus : a) Nullum adesse Patrum consensum quo cogamur literalem textuum expositionem deserere; b) Nullam haberi ex legibus Ecclesiae directam sensus declarationem; sed tantum generaliter provocari ad utriusque Testamenti paginas tanquam confirmantes severitatem sanctionum, ita ut non habeatur authentici magisterii definitio [2] nisi forte pro sensu quem prima specie praeferunt textus. His enim aliquo pacto improbari usuras, non est ambigendum.

Ceterum haec magis apparebunt ex statim dicendis.

359. De usura apud SS. Patres. 1. USQUE AD SECULUM IV, nihil aliud ex SS. Patribus vel ecclesiasticis scriptoribus colligi potest, nisi quod foret contra praeceptum humanitatis et misericordiae a paupere vel egeno exigere fenus. Neque affirmant in Scripturis contineri universalem usurarum prohibitionem. Considerentur hi praecipui loci:

a) APOLLONIUS (sec. II), apud Eusebium (*Hist. eccles.* l. 5, c. 18. Migne, P. G., t. 2, col. 478, 479), ostendere vult non esse apud Montanistas veros prophetas: « Cum enim Dominus praeceperit : nolite possidere aurum neque argentum, neque duas tunicas; isti

---

[1] Ita scribit : « Concors fuit Conciliorum, Patrum Summorumque Pontificum sententia, praecipue Urbani III in c. Consuluit, *De usuris*, qui, praefati textus (S. Lucae) auctoritate, omnem quantumvis minimam, usuram universim vetitam pronunciavit... Certum et indubitatum est, eam (Ecclesiam) errare non posse in interpretanda divina Scriptura, ejusque genuino sensu fidelibus aperiendo. » Rigidus Concina non omisit hanc severitatem unguibus et rostro tueri.

[2] Notum est etiam in documento infallibili motiva minus stricta afferri posse, neque haec stipari auctoritate conclusionis.

contra in rerum vetitarum possessione graviter deliquerunt. Qui enim ab ipsis prophetae et martyres dicuntur, eos non solum a divitibus, sed etiam a mendicis, pupillis et viduis pecunias corrogare demonstrabimus.... Dic mihi, tingitne capillos propheta? an stibio oculos linit? an studet ornari? Prophetane tabula ludit et tesseris? an pecuniam dat fenore? ingenue fateantur ac respondeant utrum haec agere liceat an secus. »

b) Clemens Alexandrinus (sec. II-III) *Stromatum* l. 2, c. 18 (Migne, P. G. t. 8, col. 1023-1026), diserte humanitatem commendat veteris legis ex praecepto non fenerandi fratri. Haec enim habet: « De elargitione autem et communicatione cum multa dici possint, sufficit hoc dicere, quod lex prohibet fratri fenerari... non aequum censens ut ex pecuniis usuras legamus, sed laxis manibus et animis gratificemur egentibus. Deus enim instituit hanc caritatis rationem (Θεὸς γὰρ ὁ κτίστης τοιᾶσδε χάριτος); et jam vir liberalis sufficientes accipit usuras, ea quae sunt apud homines pretiosissima, dulcissima et utilissima, nempe, magnificentiam, laudem et gloriam. Annon tibi videtur esse praeceptum humanitatis? sicut illud : Mercedem pauperis ipso die reddere.... »

c) Tertullianus (160 ad III s.), *Adversus Marcionem*, l. 4, c. 17. (Migne, P. L., t. 2, col. 598, 599). Ibi generale versat argumentum convenientiae inter Vetus et Novum Testamentum (quae Marcion ad duos diversos referebat auctores). Comparando locum Ezechielis (c. 18, ỳ. 8) cum Lucae c. 6, existimat prohibitionem usurarum in V. T. praeparasse legem perfectiorem quae juberet et sorti renuntiare (sicque rite accipit verba Evangelii « nihil inde sperantes »): « Prius igitur fuit ut fructum fenoris eradicaret, quo facilius assuefaceret hominem ipsi quoque fenori, si forte, perdendo, cujus fructum didicisset amittere. »

d) S. Cyprianus, († 258) α) In opusculo *De lapsis*, c. 6, (Migne, P. L. t. 4, col. 470, 471;) describit corruptos Christianorum mores, qui igne persecutionis fuerant purgandi. « Episcopi plurimi, sic pergit,... divina procuratione contempta, procuratores regum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes negotiationis quaestuosae nundinas aucupari, esurientibus in ecclesia fratribus habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fenus augere. » Haec episcoporum reprehensio, quia a pauperibus voraces exigebant usuras, nullam profecto continet generalem rei vituperationem.

β) In libro *Testimoniorum*, III, 48 (Migne, P. L. t. 4, col. 759), sub titulo : *Non fenerandum*, mere ponit tres locos V. T. quorum alter, Ezechielis, clare agit de usura qua pauper opprimitur.

2. Seculo IV et V, offendimus illum rerum statum in quo fideles, a pristino decedentes fervore, suis moribus suaque avaritia movere SS. Patres ad fere desiderandum

regimen quo bona mansissent communia, ita ut non pauci nobis declarandi fuerint loci quibus alicui communismo videbantur favere. Quod non leve jam est praejudicium scriptores ecclesiasticos tunc magis respexisse ad usuras sui temporis, de quibus poëta Ausonius scribere poterat : *Velox inopes usura trucidat,* quam ad generalem doctrinae definitionem. Nec certe sine justo temperamento accipi valent ipsorum verba. Agedum, praecipua sincere referamus ex quibus dein juste concludere possimus.

A. *Patres graeci.*

a) S. Basilius (331-379), *In partem psalmi XIV et contra feneratores* (Migne, P. G. t. 29, col. 263 sqq.) : « Hoc peccatum, ait n. 1, in plurimis scripturae locis vituperatur. Nam Ezechiel id in maximis malis recenset sumere fenus et superabundantiam [1]. Quin et lex illud luculenter prohibet (col. 266). » — Rationem autem prohibitionis hanc subjicit: « Nam reipsa perquam maxima est inhumanitas, illum quidem qui necessariorum indiget, mutuum ad vitae subsidium quaerere, hunc vero sorte contentum non esse, sed sibi ex pauperis calamitatibus proventus excogitare opesque colligere. » (Ibid.) — Deinde calliditatem et duritiem describit feneratorum, iis utens figuris et comparationibus quas S. Ambrosius imitabitur in libro *De Tobia,* atque omnes, sive pauperes sive locupletes, dissuadet ne mutuam postulent pecuniam : « Audite, pergit n. 5, divites quale pauperibus demus consilium ob vestram inhumanitatem... Morem si Domino gereretis, quid his verbis esset opus? Quodnam autem Domini *consilium* (συμβουλή) est? Mutuum date iis a quibus non speratis restitutionem. Illud vero quomodo dicit mutuum, cui spes redditionis adjuncta non est? Intellige sententiae vim et legislatoris mirabere humanitatem. Ubi Domini gratia pauperi dederis, simul das et feneraris; das quia non speras te aliquid recepturum, feneraris quia Dominus pro inope magnifice retribuet (278). » — In fine denique, directe aggrediens feneratorem : « Facis quaestum ex calamitatibus, ex lacrymis colligis argentum, nudum strangulas, verberas famelicum... Plantas sine terra, sine satione metis (279). »

b) S. Gregorius Nyssenus (frater et aequalis S. Basilii), in oratione *Contra usurarios* (Migne, P. G. t. 46, col. 434 et sqq.), magna vi verborum vituperat ementitam illam speciem beneficii quo pauper interimitur : « Opitulator verteris in hostem : non enim opem fers... sed seris afflicto mala, nudum exuens (col. 435)... Ne

[1] Intelligas usuram quae solvitur fructibus agri. Cfr. *Levit,* c. 25, v. 35-37, et hic, supra, notam 1 ad n. **356**.

vixeris igitur, specie humanitatis, vitam inhumanam, neve sis medicus qui perimat (438).... Ne exigas lucrum sed impende beneficium sine spe quaestus (439). » — Objurgat feneratorem quod velit fructus colligere non seminatos [1], eos quaerens apud pauperem et ex auro et aere « quae parere non sunt solita (442). » — « A paupere exigis reditus et augmentum tuarum divitiarum : similiter facis ac si quis ex agro ferventissimo aestu exsiccato vellet frumenti acervum, aut uvarum multitudinem ex vinea post immissam grandinem, vel liberorum proventum ab infecundo ventro, vel lactis nutrimentum a feminis quae non pepererunt (442). » — Pecuniae feneratoris non alius erat usus : « Dolet (fenerator) ob argentum domi repositum, quod otiosum est et infructuosum (438). » — « Quapropter S. Scriptura, quae nos ad omnem pietatem informat, ubique usuras prohibet (442, 443). » Ibidem tradit nos in Evangelio moneri ne demus mutuum eis a quibus recipere speremus, sed ut ipsum remittamus debitum. — Describit tristissimos effectus requisiti census : « Quam multi ob usuras laqueo sese interemerunt... (447). » — Mutuum existimat esse aliquam donationem : « Altera donationis species est mutuum (451). » — Atque ita minatur feneratori poenas hominis sine misericordia : « Aeque enim obnoxius est poenae qui non dat mutuum et qui dat sub conditione usurae. Illius namque inhumanitas, hujus vero cauponarius quaestus merito condemnatus est (451). »

c) S. Joannes Chrysostomus (347-407) : α) *In Genesim, homil.* 41 (Migne, P. G. t. 53, col. 376, 377), affirmat a Domino prohiberi petere a quovis usuras, dum Judaei a solis fratribus eas postulare vetabantur. — Prohibitionis addit rationem : « Nam debitor quidem inopia atteritur, creditor autem, augens divitias, peccatorum accumulat sibi multitudinem. »

β) *In Matthaeum, homil.* 5, n. 5 fine (M. t. 57, col. 61, 62), invehitur contra sui temporis usuram : « Nihil enim, nihil certe praesenti usura turpius, nihil crudelius. Nam hujusmodi fenerator in aliorum calamitatem negotiatur. » — Rejicit excusationem lucri cessantis : « Sed quid quaeris, inquies; an ut collectam pecuniam, mihi utilem, alteri utendam dem, quin ullam inde mercedem reposcam? Absit : non ita loquor. .. pro auro te caelum in usuram accipere volo. »

γ) *In Matthaeum, homil.* 56 (al. 57), n. 5, 6 (M. t. 57, col. 556-558), curas quas parit usura opponit facilitati misericordiae : « Quid enim est difficilius quam fenerari... misericordiam autem exercere

[1] Juvat elegantem istam exscribere allegoriam (col. 438) : « Vult omnia sibi sine satu et inarata progigni, cui quidem aratrum est calamus; ager, charta; semen, atramentum; pluvia, tempus quod ipsi pecuniae fructus occultis adauget incrementis. Falx est repetitio; area, domus in qua miserorum fortunas ventilat. »

facile est, ab omnique sollicitudine liberat. Ne igitur alienas calamitates negotiemur, ne in lucrum vertamus illa quae ad proximi caritatem (φιλανθρωπία) spectant. » — Damnat pauperum oppressionem per usuram. « Nam gravis, gravis certo et omnino curandus morbus Ecclesiam invasit. Qui prohibentur vel ex justis laboribus pecunias accumulare, imo qui jubentur thesauros suos egenis aperire, ex aliorum paupertate ditescunt, speciosam rapinam excogitantes et bene coloratam avaritiam. » — « Ne mihi, pergit, externas leges objicias: publicanus enim legem illam exteriorem servat et tamen dat poenas. » — Hoc dicit in Vetere Testamento prohibitum: « Non audis illud in veteri etiam Testamento prohiberi? » — Imo damnat injustitiae: « Hoc injustitiae vinculum est: iste laqueus (στραγγαλία) coactarum pactionum. » — Alias suadet artes lucrandi : « Annon multae sunt justae negotiationes? Agrorum, gregum, armentorum, manualium laborum, solersque rei familiaris cura? Quid insanis ut spinas frustra demetas? »

B. *Patres latini.*

a) Lactantius († 340?) *Institutionum*, l. 6, c. 18, (Migne, P. L. t. 6, col. 699), ponit rursus mutuum factum pauperi. Ipse tamen diserte dicit fenus esse usurpationem alieni. « Pecuniam si quam crediderit (justus) non accipiet usuram, ut et beneficium sit incolume, quod succurrit necessitati, et abstineat se prorsus alieno. In hoc enim genere officii debet suo esse contentus quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat; plus autem accipere, quam dederit, injustum est. Quod qui facit, insidiatur quodammodo, ut ex alterius necessitate praedetur. » — Et in *Epitome divinarum institutionum*, c. 56 (Migne, P. L. t. 6, col. 1076): « non furabitur, nec omnino quidquam concupiscet alienum; non dabit in usuram pecuniam (hoc est enim de alienis malis lucra captare), nec tamen negabit, si quem necessitas cogit mutuari. »

b) S. Hilarius (310(?)-366) *In ps. XIV*, n. 15; ad locum : « Qui pecuniam suam non dedit ad usuram » (Migne, P. L. t. 9, col. 307) haec habet. « Quid enim tam intolerabile, quam ut indigenti ita beneficium tribuas, ut magis egeat, et miseriam inopis opem laturus accumules... Si Christianus es, quid otiosam pecuniam tuam in reditum componis, et fratris tui inopiam, pro quo Christus mortuus est, thesaurum tuum efficis? Si Christianus es, non quaero ut largiaris; saltem debitum sic reposce ne spolies: et memento eum, a quo usuram repetis, esse inopem, et pauperem, pro quo Christus inops voluit esse et pauper. » Simul ergo vituperat usuras, quia pseudo-beneficium, quia quaestus ex necessitate fratris, quia hujus spoliatio, quia reditus ex otiosa pecunia. Utrum autem haec intelligat *collective* sumpta, ut aïunt, an etiam de singulis separatim, non constat.

c) S. Ambrosius, (340-397) : α) *De Tobia*, (Migne P. L. t. 14, col. 759 sqq.) in quo libro plurimum utitur S. Basilio, l. c., ut

magistro et exemplari, — Usuras impugnat vere exitiosas quae pertinent ad artes istas spoliandi alios quas reprehendit in libro *De Nabuthe*. Quare pecunia feneratorum ab ipso comparatur cum serpentibus (c. 12), cum fluctibus maris (c. 5). « Quanti, sic ipse c. 7, se propter fenus strangulaverunt...; hic universorum naufragium (c. 13, n. 44)... Quid est fenerare? Hominem, inquit (Cicero), occidere (c. 14, n. 6). » Usurae istae gravitate sunt centesimae (12 p. c. Cfr. c. 9, n. 34, c. 12, n. 42, c. 14, n. 50). Per eas pauper opprimitur : « Fecundus vobis est pauper ad quaestum (c. 3, n. 11); » propter fenus concessum in prodigas dissipationes, divites ad egestatem reducuntur (c. 5, v. gr. n. 19) liberi sub hasta veneunt (c. 8). Exhibet feneratorem simulantem amicitiam (c. 3, n. 10), aucupantem novos heredes, incautos adolescentes (c. 6), vel deditos aleae (c. 7). — Otiosam dicit pecuniam quae tribuitur : « Prosit alii quae tibi otiosa erat (pecunia) » c. 2, n. 8; simul tamen periculum perdendi sortem non negat, sed rejicit hanc excusationem (c. 2, n. 8; c. 3, n. 9; c. 16, n. 54). — Condemnat omnem formam usurae, sive pecunia tribuenda sive alia res : « Et esca usura est et vestis usura est, et quodcumque sorti accedit, usura est (c. 14, n. 49). » — Quibusdam utitur verbis quibus damnatur omne fenus : « Malum est fenus quo quaeruntur usurae (c. 2, n. 7)... Generaliter haec sententia Dei (Levit. XXV, 36 omne sortis exclusit augmentum » (Ita c. 15, n. 52. Ex contexta oratione vult tamen potius a nemine posse peti usuras, quam nullas etiam modicas). — Fenus ponit peti sine usu fructuoso. Namque omnes avertit ab accipiendo mutuo : « Dives es? non sumas mutuum. Pauper es? non sumas mutuum. Dives es? nullam pateris petendi necessitatem. Pauper es? considera solvendi difficultatem (c. 21, n. 82). » — Arguit ex textibus Veteris Testamenti (c. 14 et c. 15), sed contendit etiam universale fuisse praeceptum de non servando pignore (c. 17). — Praeter effectus ruinarum, nullum ipse adjungit argumentum rationis.

β) *Epistola* 19, *ad Vigilium*, c. 4, 5 (Migne, t. 16, col. 983, 984), inter documenta ad bene fungendum munere episcopali, monet ut curam habeat resecandi vitium usurarum, de quibus haec scribit : « Vir christianus, si habet, det pecuniam quasi non recepturus : aut certe sortem quam dedit recepturus... Alioquin decipere istud est, non subvenire... Populi saepe conciderunt fenore, et ea publici exitii causa exstitit. »

d) S. Hieronymus (340?-420), α) *In Ezechielem*, c. 18, ℣ 5 sqq. (Migne, P. L., t. 25, col. 176, 177) : Hunc ostendit in Lege et Evangelio profectum : « Sed vide profectum : in principio Legis, a fratribus tantum fenus tollitur; in propheta (Ezechiele) ab omnibus usura prohibetur... Porro in Evangelio virtutis augmentum est, praecipiente Domino : *Feneramini his a quibus non speratis recipere.* » — Eodem pacto damnat et qui pecuniam et qui aliam

rem pro fenore accipiant : « Putant quidam usuram tantum esse in pecunia. Quod praevidens Scriptura divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti. » — Eis qui objiciebant fructum a debitore ex accepta pecunia perceptum ita respondet : « Respondeat nobis breviter fenerator misericors : utrum habenti dederit an non habenti? Si habenti, utique dare non debuerat, sed dedit quasi non habenti? Ergo quare plus exigit quasi ab habente? » Videtur ergo aliter dicturus fuisse si diviti utilis data fuisset pecunia mutua.

β) *In Amos*, c. 8, ŷ. 4 sqq. (M. t. 25, col. 1080), exponendo prophetam, hunc inducit sic objurgantem divites : « Qui exspectatis kalendas, ut negotiemini et usuras augeatis de usuris. »

e) S. Augustinus (354-430) α) *Epistola* 153, *Ad Macedonium*, n. 25 fine (Migne, t. 33, col. 664, 665), diserte usuram habet pro arte trucidandi pauperem, simili furti quo divites laeduntur, et causa debitae restitutionis. « An crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fenore? Haec... male possidentur, et vellem restituerentur; sed non est quo judice repetantur. »

β) *In Ps.* 36, n. 6 (M. P. L. t. 36, col. 386), damnat omnis rei acceptionem supra summam datam : « Nolo sitis feneratores, et ideo nolo quia Deus non vult.... Si feneraveris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus quam dedisti exspectes accipere : non pecuniam solam, sed aliquid plus quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud ; si plus quam dedisti exspectas accipere, fenerator es, et in hoc improbandus, non laudandus. » — Simul videtur respicere ad mordentem usuram. Sin minus, potuissetne scribere : « Et quam detestabile sit, quam odiosum, quam exsecrandum, puto quia et ipsi feneratores noverunt. »

f) S. Leo Magnus (s. IV exeunte-461) : α) *Sermo* XVII (al. XVI) (Migne, t. 54, col. 181) verbis gravibus invehitur in fenus quo opprimitur pauper illudque injustitiae damnat : « Injusta et impudens avaritia, quae beneficium se dicit praestare, cum decipit.... merito in hoc frequenter incurrit ut ei cupiditas injusti lucri non injusti causa sit damni.... Fugienda prorsus est iniquitas fenoris : et lucrum quod omni caret humanitate vitandum est. »

β) *Epistola* IV ad Episcopos per Campaniam, etc. constitutos (M. t. 54, col. 613), usuras carpit etiam quas laïcus captet : « Quosdam lucri turpis cupiditate captos usurariam exercere pecuniam et fenere velle ditescere... quod nos non dicam in eos qui sunt in clericali officio constituti, sed in laicos cadere qui christianos se dici cupiunt, condolemus. »

g) S. Maximus Taurinensis (floruit in s. V medio), *Homilia contra avaritiam* (Migne, t. 57, col. 476, 477), describit nefarios usurarum quibus pauperes affliguntur effectus : « (Avaritia) eru-

bescit usurae nomen, et lucrum non erubescit usurae. Semper ergo avarus alieno utitur, alieno se pascit damno ; est illi praeda egestas alterius; est illi laetitia fletus alienus, sicut semper factum vidimus. Quot amissa deplorant, super quae invasa plerique gratulantur.... Dic mihi, o Christiane, non compungeris, non constringeris, cum vides in hospitio tuo lacrymas alienas ? »

h) Sidonius Apollinaris (430-490?) *Epistola* 24, *Ad Turnum*, (Migne, P. L., t. 58, col. 528-531), narrat se, ut nomine debitoris morbo et aere alieno afflicti inducias peteret, adivisse creditorem ; quem, clericum factum, benigne concessisse inducias et condonasse usuras. Creditor autem his usus est verbis: « Absit a me ut haec reposcam clericus ab aegro, quae vix petiissem miles a sospite, » et ab ipso Sidonio dicitur « tam famam quam conscientiam amasse », quod « beneficia terrena non venderet ». Inde hortatur Turnum, filium debitoris, ut sine mora solvat debitum. Sin aliter : « Si moram patitur quidquid propter misericordiam concesserat pie, juste reposcit propter injuriam. »

3. De Patribus posterioribus, non est cur multa proferamus testimonia. Jam enim post S. Gregorii Magni aetatem, plures concludendam existimant actatem patristicam. Ipsi praeterea ecclesiastici Scriptores non raro mere repetunt dicta ab antiquioribus, et ex conciliis Episcoporum luculentius apparere nobis potest traditio Ecclesiae. His itaque erimus contenti :

a) S. Gregorius Turonensis (538-593 vel 594), *Historia Francorum*, l. 3 n. 34 (Migne, P. L. t. 71, col. 266, 267), factum narrat Episcopi rogantis regem pecuniam commodandam civibus qui negotium exercebant. Ultroque ipse spopondit : « Pecuniam tuam cum legitimis usuris reddemus. » Cives reapse hac ratione ad meliorem pervenerunt fortunam. Oblatam ab episcopo pecuniam rex liberaliter recusavit. Ratio haec agendi omnis, sine ulla reprehensione, refertur a S. Gregorio.

b) Procopius Gazaeus (465-528), *Commentarii in Leviticum*, ad XXV, 35 (Migne P. G. t. 87 col. 787), « Ex quibus verbis, ait, patefit, fenus et usuram ex impietate exoriri et omnem pellere humanitatem. Non autem imperavit Deus, ut illam benificentiam in exteras exercerent gentes... Nunc vero humanitas et beneficentia ostendenda erga omnes. »

c) S. Gregorius Magnus (540-604) *Epistolarum* lib. 9, epist. 38 *Ad Anthemium* (Migne, t. 77, col. 972, 973): nihil improbans refert contractum quo aliquis alteri a quo accipiebat merces promisit aliquid « lucri causa persolvere pretii. » Quum negotiatio secus cessisset, S. Gregorius vult ut Anthemius adeat venditorem

quem vocat « magnificum filium nostrum » ut is, « sicut christianum decet et nobilem, plus benignus quam rigidus », ex misericordia « recepta sit pretii sorte contentus. » Haec verba indicant quandam usuram ; pactio tamen haberi potest pro aliqua societate potius quam mera feneratione.

d) S. Joannes Damascenus († 750) *Sacra Parallela,* tit. IX (Migne, P. G., t. 95, col. 1363-1366), mere congerit textus utriusque Testamenti de usuris, dein compendio exhibet homiliam S. Basilii, supra indicatam, adversus feneratores, cujus sic tacite probat doctrinam.

e) Rabanus Maurus († 856) archiepiscopus moguntinus, *Comment. in Ecclesiasticum,* l. 7, c. 10 (Migne, P. L., t. 109, col. 973, 974), loquendo de fenore (mutuum intelligit), vult ex misericordia, spreto periculo pecuniae amittendae, indigenti proximo praestari fenus, et quidem ita ut non affligatur acceptione pignoris, simulque reddendam jubet acceptam pecuniam. De usuris, nihil.

Idem ante, *Expositiones in Leviticum,* l. 7, c. 7 (M. P. L. t. 108, col. 543) retulerat locum ex Hesychio, ubi is : « Litera (Levitici) pauperis exigit subventionem. »

f) S. Ivo, († 1117) Carnotensis, in Gallia episcopus, in *Decreti* p. 13ª (Migne, P. L., t. 161, col. 805, 806) colligit canones et leges de usurariis et feneratoribus. Ibi, post capita quibus omni fenore prohibentur *clerici,* ponuntur c. 19 et 20, desumpta ex Codic. et Capitul., quibus omnes vetantur « improbum fenus » exercere et usuras usurarum exigere.

g) S. Bruno Astiensis, qui episcopus fuit signiensis († 1125) α) *In Levit.* c. 25 (Migne, P. L., t. 164, col. 459) deplorat pauperes a christianis « fenore importuno » vexari : « Saepe vidimus, parva pecunia mutuata, totam subito pauperum substantiam devorari. »

β) *In Deuteron* c. 23 (M. t. 164, col. 528) « Non feneraberis fratri tuo ad usuram.... Haec verba pietate et dilectione sunt plena, quibus admonemur ut sine usura iis subveniamus quos ut idem genus nostrum et ejusdem religionis diligere debemus. Unde non minus in novo quam in veteri testamento feneratores damnantur. »

Quibus omnibus accurate perpensis, haec nobis videntur invicte statui posse de vi atque auctoritate Patrum in hac re :

a) Nullus est consensus Patrum quo cogamur in interpretandis locis scripturarum deserere sensum obvium seu qui per se colligitur. Namque : α) *Quod ad V. T.*, alii aliam dant locis vim ; plures (Clemens Alexandrinus, S. Joannes Chrysost., et, quod ad *Levitic.*, S. Hieronymus) prohibitionem circumscriptam fuisse fratribus intelligunt ;

potiusque ad praecepta humanitatis et misericordiae quam justitiae ab ipsis referuntur isti loci, qui sic servant propriam significationem ; β) *Quod ad N. T.*, non pauci jam verba Domini accepere eo modo qui placet modernis interpretibus. Ita Tertullianus, S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, S. Hieronymus.

b) Fenerationem, si unum forte vel alterum excipias, non clare arguunt *injustitiae.*

c) Nec directe umquam considerant casum quo quis modicam peteret usuram. Nam qui loci a quibusdam afferuntur, non quantitatem fenoris spectant, sed *formam* vel apertam (pecunia) vel dissimulatam (mercibus). Cfr. locos citatos S. Ambrosii, S. Augustini, S. Hieronymi.

d) Nec plerique recte locuti essent si intelligendi forent de prohibitione usurae moderatae tanquam injustae. Nemo enim theologorum negat posse, salva justitia, exigi etiam a paupere usuras moderatas ad compensandum periculum amittendae sortis. Excusatio tamen periculi a Patribus rejicitur. Periculum autem amittendae sortis vel ipsi fatentur ; et vix abesse potest ubi agitur de egenis.

e) Sed usurae de quarum reprobatione consentiunt SS. Patres, appellantes Scripturam, et quas quidam, v. gr. Lactantius, S. Joannes Chrysostomus, etiam injustitiae arguunt, sunt *inhumanae* quibus pauperes interimebantur et species beneficii summam obtegebat crudelitatem.

f) Haec falsa species beneficii ipsis est potissimo argumento. Vix aliquis inter ipsos rationem affert universaliorem.

360. De usura in legibus canonicis et apud scholasticos doctores vel classicos juris canonici interpretes.

Res videtur nobis ita praecise proponi posse.

1. USQUE AD SECULUM IX, plurimis conciliorum, maxime particuliarum, decretis, nec raro sub severis sanctionibus, *soli clerici* prohibiti sunt exercere usuras et captare quod vocabatur turpe lucrum. Neque in Ecclesia graeca, disciplina ista evasit severior, ita ut concil. Quinisextum (692)

c. XI mere verba retulerit can. 44, ex apostolicis, statim citandi.

De eorum numero excerpendus est can. 20 C. Eliberitani (in Baetica) qui, a° 305 vel 306, jubet laïcum pertinacem, « qui in ea iniquitate duraverit, ab ecclesia esse projiciendum. » (Mansi II, 9.) Verum Scip. Maffei, op. c. p. 123, suspectam habet hanc lectionem ; et profecto neque Ivo, *Decreti*, XIII, 12 ; *Panormiae*, III, 156 (Migne, P. L. t. 161, col. 805, 1167), neque Gratianus, c. *Si quis*, 5, D. XLVIII, referunt posteriorem illam canonis partem, sed solam priorem quae clericos coercet degradatione.

Itaque, quod ad clericos attinet, jam, inter canones qui dicuntur apostolici, 44^us^ [1] ita statuit : « Episcopus aut diaconus usuras a debitoribus exigens, aut desinat, aut certe damnetur. » Conc. dein Arelatense, quo, a° 314, convenit omnis ecclesia occidentalis, haec habet : « De ministris qui fenerant, placuit eos juxta formam divinitus datam abstineri. » (Mansi, II 472.) Dabimus praeterea can. 17 C. Nicaeni I (325) : « Quoniam multi sub regula constituti avaritiam et turpia lucra sectantur.... mutuum dantes centesimas exigunt : juste censuit sancta et magna synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut aliquam adinventionem vel quolibet modo negotia transigens, aut emiolia, id est sescupla [2] exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, dejiciatur a clero et alienus exsistat a regula. » (Mansi II, 675).

2. In medio aevo, a) Usurae, quas jam conc. Africanum (Carthaginense I, a^i^ 345) can. XII (Mansi III, 149) et Aquisgranense a^i^ 789, can. 32 (Mansi XIII, Append. 165), etiam in laïcis dignas dixerant reprehensione, fuere plane prohibitae.

In actis conc. Calchuttensis (in Anglia, 787, 788) dicunt Episcopi in universum : « Usuras quoque prohibuimus » ; magisque diserte Meldense (845), can. 55, praecipit Episcopis ut « Cunctos christianos ab usuris compescant et quos compescere aliter non potuerint, canonicam in eos sententiam proferant. » (Mansi XIV, 831.)

---

[1] Hefele, *Conciliengeschichte*, I, 788, refert, ex Drey, hunc canonem, ignotae originis, esse inter antiquissimos. In art. tamen *Ueber den Rigorismus* (*Quartalschrift* Tübingen 1841, p. 413) eum S. Cypriano habet recentiorem ; R. D. Funk autem, *Zins und Wucher* (Tüb. *Quartalschrift*, 1875, p. 224) eumdem ad medium s. IV ascribit.

[2] Genus usurae sesquialterius, permissum lege Constantini, quo quis, pro decem, v. gr., modiis frumenti datis in hieme, recipiebat in messe quindecim. Usura ista est a Patribus una cum centesimis (12 p. c.) saepe commemorata.

Res fit manifestior ex *Corpore juris canonici*. α) Haec dicta Gratiani, sub Q. 3 Causae IV, initio : « Quod autem praeter summam emolumenta sectari sit usuras exigere... probatur » et sub c. 4 : « Ecce evidenter ostenditur quod quicquid ultra sortem exigitur usura est », et sub Q. 4 ejusdem Causae, initio : « Quod vero nec clericis nec laicis liceat usuras exigere,... probatur, » ostendunt auctorem *Decreti* sibi persuasum habere omnem usuram in qualibet persona esse illicitam. β) Porro, in *Decretalium* l. 5, t. 19, decretales Alexandri III (1159-1181) et Urbani III (1185-1187) aperte reprobant, quicumque fuerit auctor, usurarum petitionem vel receptionem, tanquam utriusque Testamenti paginis contrariam; imperantque restitutionem illius turpis lucri. Cfr. v. gr. c. 2, 5, 7, 9, 10, 13. Imo, c. *Super eo*, 4, negat Alexander III se posse in hac re dispensare.

b) *Ipsis deinde conciliis generalibus* Lateranensi III (1179) et Lugdunensi II (1274), conflicti sunt usurarii, id est quibus usurarum exactio instar artis est et consuetae vivendi rationis.

« Quoniam, ait C. Lat. III c. 25 (Mansi, XXII, 231), in omnibus fere locis tantum (crimen?) usurarum ita inolevit, ut multi, *aliis negotiis praeterimissis*, quasi licite usuras exerceant, et qualiter utriusque Testamenti pagina condemnentur, non attendant », ideo manifestos usurarios privat communione, sepultura ecclesiastica, vetatque eorum oblationes recipere. — Sanctiones istae confirmatae sunt constitutione 26 Gregorii X, in conc. Lugd. II, ubi Patres, « Usurarum voraginem, quae animas devorat et facultates exhaurit, compescere cupientes, » simul prohibent domos locare alienigenis qui velint eas ad exercendas usuras conducere (Mansi, XXIV, 99).

Grassante nihilominus lue, in conc. Viennensi (1311) opus fuit damnare administrationes locorum quae statutis suis, quandoque juramento firmatis, probabant usurarum exactionem. Ultraque progressus, doctrinalem quandam subjecit declarationem, his verbis : « Sane si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat, exercere usuras [1] non esse peccatum, decernimus eum velut haereticum puniendum. » C. *Ex gravi*, unic., Cl. *De usuris* (V. 5).

c) Necesse simul fuit dolos cohibere et fraudes quae

---

[1] Observes, verba ista non convenire in *singulas* pactiones de fenore solvendo, sed postulare aliquem habitum, nec praeterea definiri utrum jure naturali an positivo, utrum tanquam injusta an contra caritatem esset reprobanda usurarum exercitatio *(la pratique de l'usure)* : ejus autem damnandae tunc multiplex erat causa.

legibus fiebant etiam a clericis, et *palliatas* reprimere usuras. Cfr. v. gr. l. 5 X t. 19, c. 1, 2, 6, et plura apud Gaggia, art. cit.

Notatu digna sunt verba quibus Sixtus V, C. *Detestabilis avaritiae*, damnando certum genus societatum labe usuraria infectarum, describit hanc pestem : « Usurarum voraginem, ait, Deo hominibusque odiosam, sacris canonibus damnatam et *christianae caritati contrariam* » (*Bullar.*, p. 4, t. 4, p. 263).

3. Satis diu Judaeis aliquo modo indultum est ut fenus quaestuosum exercerent.

Haec tamen tolerantia, seu impunitas in foro externo, quae non arguit approbationem [1], ipsis negata est ab Urbano III (1185-1187) c. 12, X *De usuris* (v. 19), et a S. Ludovico rege, n. 23 inter Statuta S. Ludovici relecta in concilio Biterrensi a. 1255 (Mansi, XXIII, 882). Litera C. Lateranensis IV (1215) c. 67, eosdem arcet tantum *gravibus et immoderatis usuris* (Mansi, XXII, 1055, 1056); glossa tamen (ad c. 18, X. V. 19) et juris interpretes noluere ipsis, a sensu contrario, concedere usuras moderatas [2]. Ceterum, an talibus acquieverint dubitare fas est. Utcumque haec lex est interpretanda, non ideo cessarunt Judaei a petendis usuris, et indulta quaedam illo aevo recentiora illis fenus etiam non modicum permiserunt. Fuisse tamen denique tandem etiam lege communi comprehensos Judaeos, affirmat D. Gaggia, art. c. 2 p. p. 45.

4. a) In ipsis legibus canonicis, formalis mentio non habetur feneris alicujus temperati, sicut hodie palam usu venit. Contra, documenta illius temporis et ipse tenor decretorum ostendunt sub oculis versatas tunc esse usuras mordentes quibus pauperes affligebantur.

Tanquam minima usura haberi potest centesima singulis mensibus solvenda (12 p. c. Cfr. Hefele, *Conciliengeschichte*, I, p. 406). D. Gaggia, p. 527, memorat, in sec. XIV, fenus 23, 25, 37, 40 p. c. Graves produnt usuras decreta allata C. Nicaeni, Lat. III, IV, Lugdunensis II.

Nec aperte declarant istae leges omnem usuram adversari justitiae. Vix etiam alicujus tituli extrinseci habetur indicium, ut v. gr. c. 19 X t. 17. l. 5 [3].

---

[1] Cfr. Schmalzgrueber, l. c. n. 17, 18.

[2] D. Gaggia, art. c. p. 536 nota, memorat eorum usuras fuisse, pro regionibus, 40-90 p. c., 86 p. c., 100-180 p. c. Sc. Maffei p. 140 refert breve Gregorii XIII (1572-1575) definientis ipsis summam exactionem ad 18 p. c.

[3] Genuina lectio videtur postulare ut prima sententia hujus capitis ponatur negans potius quam affirmans. Sin minus, solutio est difficilis et vix cohaeret cum sequentibus.

b) Verum *Theologi scholastici et Canonistae* has rationes perfecerunt; atque inquirentes de motivis et modis, mox communi ore tradiderunt: α) Per se naturae mutui repugnare ut causa sit fenoris exigendi; β) Quare *hoc titulo* quamlibet usuram adversari justitiae; γ) Esse tamen titulos, mutuo extrinsecos, ob quos liceret plus stipulari quam quod datum esset; δ) Praetereaque alios esse contractus, *census* dico et *societatis*, quibus ex sua pecunia justum aliquis lucrum facere posset:

Jam apud S. Thomam damnatur injustitiae omnis ratio usurarum quae ob ipsum mutuum postularentur, idque sine negotio eruit ex principiis servandae aequalitatis. Nec dissentit Doctor subtilis, ita ut habeamus utriusque scholae consensum. His astipulantur deinceps classici Societatis Jesu theologi, ut Molina, Lessius, C. de Lugo, ll. cc. Is tamen, n. 9, fatetur rem obnoxiam esse difficultatibus nec clare ex Scripturis colligi.

Inter canonistas, res non minus convenit. Sed dum jam apud S. Raymundum, *Summa*, l. 2, t. 7, ea occurrit definitio usurae quae omne complectitur fenus [1], non ita statim repererunt argumentum ejus inhonestatis. Sic Innocentius IV († 1254), *Apparatus in 5 libros Decretalium*, ad l. 5, t. 19, *Expositio ad rubricam*, postquam usuras dixit utroque Testamento damnatas, arguit ex infinitis malis quae afferret licentia fenerandi; subdit vero: « Dicunt etiam quidam usuram prohibitam magis quia esset contra caritatem et pietatem qua teneor subvenire proximo, quam propter mala quae sequuntur. » Henricus Hostiensis († 1271), in *Summa aurea*, eodem titulo, pressius etiam quam S. Raymundus definit usuram: « Quodcumque solutioni rei mutuatae accedit ipsius rei usus gratia, pactione interposita, vel hac intentione habita in contractu, vel exactione habita ex post-facto. » Rationes autem cur sit illicita has profert, quod mutuum contineat translationem dominii, et rei nullus sit usus ab absumptione distinctus. Abbas Panormitanus († 1453), *Lectura in Decretales*, sub ejusdem tituli rubrica, relata ratione Innocentii IV, melius existimat se arguere eo quod fenus sit contra naturam rerum. Similibus itaque, quibus theologi, rationibus uti coepere juris interpretes. Cfr. Pirhing, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, ll. cc.

c) Istam scholae doctrinam probavit Benedictus XIV in celebri Encyclica *Vix pervenit* (1 nov. 1745), qua, coacto

[1] « Usura est lucrum ex mutuo pacto debitum vel exactum. » Ipse dicit usuras prohibitas jure naturali.

prius Theologorum coetu, summa cura exposuit et definivit puncta in hac re tenenda. Occasio autem scribendi fuere controversiae exortae ob contractum mutui cum stipulatione fenoris 4 p. c. initum, circa annum 1740, a civitate Veronensi; et nominatim, ut videtur, lucubratio Scipionis Maffei, quam is, pro vinculo amicitiae quo erat junctus Pontifici, huic dicaverat. Nullum tamen declarat S. Pontifex se damnare contractum particularem, neminemque reprobat, sed dogmatice res proponit. Observes tamen literas istas missas fuisse ad solos Italiae episcopos. Diu post quidem, 29 jul. 1836, S. Officium, approbante Gregorio XVI, obiter declarasse videtur literas istas respiçere Ecclesiam universalem (1). Non ideo tamen potuere hae literae evadere infallibilis definitio. Quare gravissimam quidem, non tamen summam, existimamus ipsis inesse auctoritatem.

Doctrina autem continetur quinque punctis. « I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem duntaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit quam est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est.

« II. Neque vero ad istam labem purgandam, ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo quod id lucrum non excedens et nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo quod is a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non

---

1 Memorata apud Lehmkuchl, I, 1093, nota, declaratio ista reperitur in editione hispanica 2ª *Theologiae moralis* Gury-Ballerini, I, 849 nota, estque hujusmodi: « Feria IV, die 29 Julii 1836, in congr. gen. S. R. et U. I. habita in conventu S. Mariae super Minervam coram EE. et RR. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Gen. Inquis. proposito dubio, iidem EE. et RR. DD. d xerunt: « Orator se gerat juxta doctrinam contentam in Encycl. Benedicti XIV *Vix pervenit*, quae respicit universalem Ecclesiam. » Verum, praeterquam quod postrema sententia aequaliter referri per se potest ad *doctrinam contentam* atque ad Encyclicam, non nimiam vim tribuendam esse huic rescripto jam eo constat, quod omissa est in Instructione qua, a° 1873, S. C. Prop. Fidei voluit omnes Sacrarum Congregationum resolutiones circa lucrum ex mutuo, una cum Enc. *Vix pervenit* colligere ad usum Episcoporum, Vicariorum et Praefectorum apostolicorum. Cfr. *Collectanea Prop. Fid.* n. 2140.

pauper, sed dives exsistat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis praediis vel quaestuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quae necessario in dati atque redditi aequalitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem aequalitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per aequale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione justitiae quam commutativam appellant, et cujus est, in humanis contractibus aequalitatem cujusque propriam et sancte servare et non servatam exacte reparare. »

III et IV. In his numeris conceditur juste peti posse compensationes tituli alicujus extrinseci, aliosque *multoties* praesto esse modos justos fructuose impendendi pecuniam contractibus diversae prorsus naturae a mutuo. Quare doctrinam catholicam nullatenus obesse prosperitati commerciorum.

V. Ibi negatur hujusmodi occasionem justi lucri faciendi ex pecunia semper praesto esse, ita ut semper liceret practice moderatum recipere auctarium. « Ita si quis senserit, non modo divinis documentis et catholicae Ecclesiae de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui ac naturali rationi procul dubio adversabitur. » Adduntur rationes, tum quia saepe tenemur simplici mutuo succurrere proximo; tum quia saepe « praeter unum mutuum, alteri nulli vero justoque contractui locus esse possit. »

Referendae simul sunt propositiones damnatae quae huc pertinent.

I. Alexander VII, 18 mart. 1666, inter propositiones *damnatas* et *prohibitas* ut minimum tanquam *scandalosas*, hanc profert n. 42 : « Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. »

II. Innocentius XI, inter 65 propositiones quae similiter « ut minimum tanquam *scandalosae* et *in praxi perniciosae* » ab ipso 2 mart. 1679 reprobantur et damnantur, binas habet de nostra re :

a) n. 41 : « Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam praesentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari ; »

b) n. 42 : « Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum. »

5. MITIOR DISCIPLINA, a) *Praeparata fuit* α) *Institutione Montium Pietatis* [1], qui seculo XV orti sunt in Italia ad

[1] Zech, *Rigor moderatus* etc., in P. II, multa de hoc argumento scripsit quae scire juvat. *Montes* existimat dictos ex cumulo pecuniae vel annonae

opitulandum pauperibus, Judaeorum exactione oppressis, per pecuniam mutuam dandam contra pignus acceptum. Mox coepere modicum aliquod petere fenus ad compensandam operam et ceteras expensas, deinde etiam *(Montes mixti)* ad facilius colligendam pecuniam quae pauperibus credi deinde posset.

Haec petitio fenoris origo fuit acris controversiae etiam inter Ordines religiosos. Religiosi S. Francisci, praesertim ii qui tunc dicebantur ab Observantia, agmen duxere defensorum, qui vicerunt causam, ita ut C. *Inter multiplices*, C. Lateranensis V (1512-1517), Montes ubi mere exigebatur compensatio impensarum sollemniter fuerint approbati. Iste quidem titulus exigendi auctarium alienus erat a fenore presse tali, simul tamen dabat imaginem moderati fenoris. Magis, ut patet, disputatum de *Montibus mixtis*, quos alii reprobabant, alii varia ratione conabantur excusare, praesertim quum usus communis invaluisset in Italia ita fructuose deponendi pecuniam in Montibus. (Cfr. Zech n. 339 et sqq.)

β) *Variis census emptionibus*, quae prima specie videbantur fenerationis similes usumque fructuosum pecuniae faciebant frequentiorem.

γ) *Statutis civilibus* vel consuetudinibus, quae in variis locis indulsere omnibus moderati fenoris exigentiam.

Sic in Germania jam sec. XVI agnoscitur consuetudo [1] tolerandi

---

in pauperum usum ibi collectae, eosque definit: « Summa pecuniae vel aliarum rerum usu consumptibilium, in pauperum opem collata ut istis sub pignore credatur » (§ 260, 261), recteque notat usum colligendi massas a priscis temporibus esse repetendum. De Montibus praecise dicit Hefele-Hergenröther, *Conciliengeschichte*, t. 8, p. 645.

[1] De ista consuetudine et conjunctis controversiis non parum juvat legere recentem lucubrationem R. P. Duhr e S. J. quam inseruit in periodico Oenipontana *Zeitschrift für katholische Theologie*, 1900, p. 209-248, sub titulo *Die deutschen Jesuiten im Fünfpercent-Streit des 16 Jahrhunderts*. Ipse conjungit primordia usus fenerandi 5 p. c. cum incrementis negotiorum quorum occasio fuit detecta America, atque erudite exponit, simul cum anxietatibus Confessariorum, — qui quasi coacti coepere mitius respondere, dum severior disciplina retinebatur in scholis, — quaesitas poenitentum excusationes, factas interrogationes, ambiguas responsiones, brevi, omnem rerum transeuntium solitam confusionem et perturbationem. In ipsa tertia congregatione generali Societatis Jesu, habita 1573, speciale factum est examen istius moralis quaestionis, et ex quarta, ai 1581, prodiit *Tractatus circa contractum quinque pro centum ex communi consensu Patrum ad id deputatorum confectus mense aprili 1581*. Fructum istarum controversiarum fuisse dicit R. P. Duhr expositionem de mutuo et contractibus suspectis factam a Greg. de Valentia in 3 t. suae *Theologiae scholasticae*.

petitionem 5 p. c. (Zech, § 248.) Profecto de ejus vi et efficacia non omnes consentiebant. Zech, § 252, ita eam declarat, quod usurae istae deberentur tantum post moram et ex praesumptione tituli extrinseci. Sed jam universalius Pichler S. J. (1670-1750) qui in jure canonico interpretando summam sibi adeptus est laudem, hanc vim tribuerat legi vel consuetudini, ut ex *publica causa* posset licitam facere moderatam fenerationem. Namque : « Usura lucratoria est prohibita jure naturali et divino conditionate et quando fraus vel avaritia aut crudelitas intervenit, item quando usura est excessiva, vel mordens, ut vocatur, seu nimium gravans cum pressura proximi... non vero absolute et quando fraus, avaritia, pressura proximi et laesio caritatis abest, atque usura moderata exigitur secundum statuta et consuetudines locorum. » Ita ipse *In l.* 5 *Decr.* t. 19, n. 11. Ipsumque anteiverat Pasqualigus († 1664) Ordinis Theatinorum, qui in *Decis. Moral.* 183, similem facultatem concesserat S. Pontifici.

ɔ) *Ipsis incrementis negotiationum et commerciorum.*

Jam Lessius, c. 20 n. 123-127, permittebat cuivis mercatori, etiam cui nullum lucrum inde cessaret, exigere pretium ob obligationem carendi pecunia certo tempore. Inter mercatores enim onus istud esse per se pretio aestimabile.

b) *Formaliter continetur pluribus declarationibus, tum S. Paenitentiariae, tum, probante S. Pontifice, S. Officii,* quae prodiere ab anno 1830. In his, *sine respectu specialis tituli extrinseci, vel etiam legis civilis,* declarantur fideles, etiam *ecclesiastici et religiosi,* non esse inquietandi qui pecuniam moderato darent fenori, dummodo parati essent stare mandatis S. Sedis. Hujus vero justam quantitatem noluit S. Sedes in universum definire.

Responsa illa habentur sive in *Collectione Lacensi,* T. 6. Append. ad Synod. Pudicher. col. 677; sive in *Collectan. Prop. Fid.* n. 2140 sqq. vel in *Enchiridio* R. P. Bucceroni. Observes, v. gr., resp. *S. Off.* ad Episcop. Rhedonensem, 18 aug. 1830, una cum resp. *S. Off.* ad Ep. Vivariensem qui mirabatur in superiore descripto non fuisse factam mentionem de titulo legis civilis (Resp. istud, 31 aug. 1831, reperitur apud Gury-Ballerini, I, 878, vel Lehmkuhl, I, 1103, not. 1); tum resp. *S. Paenit.* 11 febr. 1832 et *S. Off.* 17 jan. 1838, 26 mart. 1840, 28 febr. 1871.

361. De Usura in legibus civilibus. 1. *Leges graecae et romanae* usuras permittebant.

De gravitate usurarum apud Graecos, cfr. v. gr. Maffei, p. 76 sqq. Apud Romanos (cfr. Maffei, p. 91 sqq.), lex XII Tabularum sanxit : « ne quis unciario fenore amplius exerceret », et pluribus

legibus taxa legitima statuta. Per plebiscitum, omne fenus sublatum; postea restitutum, et in jure rom. usque ad Justinianum (qui majorem modum imposuit) permissae usurae centesimae (sanguinolentae dicebantur, nam = 12 %). Mutuum tamen, in jure romano sua natura non admittebat mercedem, sed adjecta stipulatione contrahebatur fenus.

2. *Leges christianae* ad normas canonicas diu sunt accommodatae. Vidimus tamen in Germania jamdiu ab antiqua severitate esse recessum et vel infinite vel intra certos limites toleratas esse seu etiam permissas usuras. In Gallia contra, severius quam in ipsa Italia est actum, feneratioque lege est inhibita usque ad decretum 3-12 oct. 1789.

3. *In nostris legibus*, mutuum adhuc per se censetur gratuitum, ita ut requiratur stipulatio positiva fenoris.

Hac vero diu (ex lege gall. 3 sept. 1807) non poterant partes excedere taxam legalem, seu 5 % in rebus « civilibus », 6 % in mercatoriis. Sed in Gallia, ex l. 13 jan. 1886, sublatae sunt restrictiones in causis mercatoriis; dum in Belgio, ex l. 5 maii 1865, libere possunt convenire partes (quaecumque fuerit causa) de usuris ultra taxam legalem, quae l. 20 dec. 1890 est 4 1/2 % in materia civili, 5 1/2 % in commerciali. Articulo tamen 494 *codicis paenalis* Belgii punitur prava consuetudo abutendi, in exigendo fenore, passionibus et imbecillitate mutuatarii.

Secundum recentem Germaniae codicem : a) Retinetur gratuitas mutui, quatenus usurae non debentur nisi ex addita stipulatione (art. 608); b) Fenus legitimum est per se 4 p. c.; c) Si stipulatio fuerit fenoris majoris quam 6 p. c., integrum est debitori, elapsis sex mensibus, insinuare restitutionem sortis post sex menses; nec facultas illa se hoc modo liberandi solvendis tantis usuris tolli potest contraria pactione. Regula tamen ista non respicit debita anonyma *(au porteur)*. d) Exceptis quibusdam institutis nummulariis, irrita est pactio, in antecessum facta, fenoris renovati *(anatocisme)*. Cfr. art. 246-248.

Verum hodie de ipsa utilitate legum quae maximum definiunt fenus et de modo compescendi nimias usuras, in varias partes disputatur. Cfr. v. gr. V. Brants, *L'usure dans la législation contemporaine*. (*Bulletins de l'Acad. roy. de Belgique*, 3e série, t. 30, n. 12, 1895.)

362. De usura secundum sententias doctorum. 1. *Antiqui sapientes* parum probarunt usuras.

Sic Plato *(De legibus*, V. 742), Aristoteles (Pol. I, c. 10, 11) qui, animo aversus ab omni quaestuosa pecuniae permutatione, usurarum lucrum infimo certe loco posuit, maximeque habuit a natura alienum ; Aristophanes *(Nubes*, v. 1283 sq.), Cato, quem Cicero *De officiis*, II, c. 25 refert aequiparasse fenerationem cum occisione, Seneca, *De beneficiis*, l. 7, c. 10 ; Plutarchus, *De vitando aere alieno*. Istos tamen Grotius censet « non tam respicere quod intrinsecum mutuo est, quam quod plerumque ei adest, eamque (usuram ?) consequitur. » *(De jure belli et pacis*, l. 2, c. 12, § 20, n. 2).

2. De consensu *doctorum scholasticorum et canonistarum* jam diximus n° superiore.

3. *Graeci schismatici*, saltem a s. XVI, eas non habuerunt pro intrinsece illicitis. (Devoti, *Inst. canon*, d. 4, t. 16, § 4).

4. Doctrinam catholicam in hac re nondum deseruere omnes novatores sec. XVI, fenusque damnarunt Lutherus, Melanchton, Zwinglius. Contra, Calvinus permisit ut a divite exigerentur usurae. Calvini doctrinam in systema redegit ejus discipulus Salmasius, in duplici tractatu *De usuris*, et *De trapezitico fenore*. Notissima etiam est lucubratio Caroli Molinaei *De usuris*.

5. Deinceps factum est ut ipsi catholici viri visi sint vel de vi quarumdam rationum vel de ipsa doctrinae hactenus receptae veritate dubitare.

Indicavimus jam quid senserit Pichler. Alius canonista O. S. B. Engel, († 1674) in l. 5, t. 19, § 1, n. 8, fatetur rationes communiter ad demonstrandam repugnantiam usurarum cum natura allatas, esse subtiles, ita ut libentius argueret ex malis quae pariunt egenis et ex impietate convertendi « actum caritatis et societatis humanae, qui in mutui datione consistit, ad proprium lucrum et alterius damnum ».

In Belgio est in sec. XVIII magna de usuris controversia excitata a Jansenistis; et pastor catholicus quidem Delphensis, nomine Broedersen, in tractatu *De usuris licitis et illicitis* accessit ad sententiam Calvini. Similem etiam professus est doctrinam egregius vir catholicus Scipio Maffei, *Dell' impiego del danaro*.

Viros catholicos qui in nova concedebant placita graviter carpit Benedictus XIV, in opere *De synodo*, l. 10, c. 4, n. 2, ubi haec habet : « Omne lucrum ex mutuo, praecise ratione mutui, ... usurarium atque omni jure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico, illicitum esse, perpetua fuit et est catholicae Ecclesiae doc-

trina, omnium conciliorum, Patrum et theologorum unanimi consensione firmata. » Lessius c. 20, n. 23 sq.; C. de Lugo, d. 25, n. 8; Schmalzgrueber in l. V, t. 19, n. 6, ut alios omittam, tenent plane *de fide* esse quod usura sit illicita, saltem ex jure positivo; eam vero prohiberi jure naturali et divino positivo, minime dubium habent. Ejusdemque sententiae est Molina d. 304 (ad quem male provocat C. d'Annibale); Bossuet, op. cit. in 5 sua propositione, asseverat de fide tenendum esse, usuras sub Nova Lege omnibus prohiberi; Zech vero, 1. Diss. n. 93 etiam concludit, « pravitatem usurariam inter revelatas divinitus veritates numerandam esse, et, Ecclesiae sententia, illiceitatem usurarum pertinere ad dogmata fidei. »

Quare non possumus non mirari quomodo C. d'Annibale, II, 533 scripserit: « Nullo igitur manifesto, seu naturali seu divino jure constat usuras per se illicitas, aut alias vitiatas esse. Quin potius ex ratione agendi Ecclesiae catholicae contrarium conjicitur. »

§ 2. *Notiones doctrinales*

363. De Mutuo. 1. *Describi* potest: *Contractus realis quo res fungibilis ea lege datur ut post certum tempus eadem reddatur in genere*, seu brevius: Concessio ad tempus rei primo usu consumptibilis.

Priorem definitionem fere mutuati sumus a Zech, op. c. Diss. 1, § 30, cui consentiunt interpretes juris romani et doctores scholastici. Quum enim nusquam definiatur in legibus canonicis, opus fuit veram ejus rationem eruere ex usu vulgari et jure romano.

Tria itaque *continentur* ejus *essentia*: a) *Res fungibilis*, id est quae in genere *fungitur*, seu cujus minus attenditur corpus proprium quam genus, v. gr. frumentum, pecunia. Pressius dixeris: primo usu consumptibilis, seu qua uti nequeas nisi eam absumendo vel *naturaliter*, ut si esca vescaris, vel *civiliter*, ut si pecuniam solvas. Haec tunc, non in se quidem, sed tibi perit.

b) *Traditio* illius rei alteri cui jus sit eam absumendi. Quare pecunia, bellaria commodata pompae causa, seu ut mere exornent mensam vel tabernae frontem, non sunt mutui objectum. Res autem ista potest esse oleum, vinum, etc..., saepissime est pecunia: de mutuo pecuniae potissimum fit quaestio nunc.

c) *Obligatio restituendi genus post aliquod tempus. Restituendi genus*, i. e. eamdem rei, qualitate seu bonitate similis, quantitatem, non ipsum corpus receptum ; *post aliquod tempus*, nam, de se, qui mutuam concedit pecuniam it in creditum, seu non potest rem suam ante certam diem repetere.

Haec visa est nonnullis obligatio creditoris, ob quam mutuum ascribendum foret ad bilaterales contractus. Ita R. P. Pesch, l. c. p. 57. Quia tamen est potius effectus necessarius translati juris et mere huc spectat ut illud jus non violetur, melius retinetur usus habendi mutuum pro unilaterali pactione.

2. *Mutuaticiae pecuniae dominium pertinet ad mutuatarium :* si quidem reapse jus habet re utendi et abutendi.

Antiquis hoc ita constabat, ut inde ficticiam collegerint vocis etymologiam : « Appellata est mutui datio, ab eo quod de meo tuum fit [1]. » Recentiores vero nonnulli de hoc dubitare coeperunt. Sed quum acute volunt distinguere *esse ideale, valorem* rei et *esse* ejus *physicum;* vel quum arguunt eo quod pecunia illa dicatur *aes alienum*, etc. non aliud agunt nisi quod fictione obscurant veritatem planam, quae huc redit : mutuatarium *obligari* ad solvendum ; *creditori* ergo competere non jus in re sed *jus ad rem.* Cui juri, quum insit aliquod pondus dignum aestimatione, prout plus vel minus certa videtur promissa solutio, ideo computatur inter bona patrimonii et *valoris* nomine designari potest. Verum pari ratione ipsum pretium alicujus rei venditae, jam, pro spe solutionis, censetur venditoris augere patrimonium. Num ideo dixeris ipsos nummos, pactione facta de pretio, jam dominum mutasse? Ceterum satis nobis est, quod ambigi nequit, posse mutuatarium *physice* de re disponere, ut cogere valeamus id quod volumus de mutui indole gratuita. Cfr. RR. PP. H. Pesch, l. c. p. 44, 45, 55, 56, et Lehmkuhl I, 1091, et, ex adversa parte R. D. Funk, *Tüb. Quartalschrift*, 1879, p. 25-27 et Ballerini, *Opus morale*, t. III, p. 593, 594, 652-656.

3. Quod consectarium proxime sequuntur haec alia duo *corollaria :*

a) In mutuo, *periculum* rei sustinet mutuatarius. Istud etiam hac alia ratione probatur, quod genus numquam perit ;

---

[1] L. 2, § 2, D. *De rebus creditis* (XII, 1). Quam explicationem lepide, sed non verius perficit Donellus, *De j. civ.*, l. 14, c. 1, n. 6 : « Inest in hoc verbo reciprocatio mei et tui, id est, haec vis ut meum tuum fiat et retro tuum meum. »

b) *Fructus* rei, si qui dicantur esse, acquirit mutuatarius, cum res fructificet domino.

364. De Usura. 1. *Generali* acceptione significat *quicquid ultra sortem est a mutuatario solvendum vi formalis vel tacitae pactionis.* Quicquid, inquam, sive pecunia fuerit, sive alia res quaelibet [1] pretio aestimabilis, sive multum fuerit, sive parum.

Hac ratione, exsulat per se a mutuo in jure romano, ut jam eruitur ex uno vocabulo *usura,* τόκος, quo apud Romanos et Graecos designabatur quodlibet fenus, dum linguis hodiernis distinguitur *l'intérêt et l'usure, Zins und Wucher, interest and usury, interesse ed usura.* Hac etiam ratione, *vi ipsius mutui* usuras exigere vetabat Ecclesia.

2. Acceptione *magis particulari,* in quibusdam legibus superioris aetatis, christianae tamen, *usura* designabat « lucrum *ex mutuo* pacto debitum vel exactum [2] » i. e. ex usu rei consumptibilis : hac ratione usura simpliciter damnata est Ecclesiae canonibus.

Huc quadrat descriptio quam in Constitutione *Inter multiplices* probata a C. Lateranensi V, s. 10, Leo X obiter intexuit tanquam argumentum adversariorum Montium Pietatis [3] : « Ea est propria usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo, lucrum fetusque conquiri studetur. »

Usura sic intellecta dicitur interdum *lucratoria* et discernitur ab usura *moratoria seu punitoria*, quae exigebatur in poenam morae solvendi, et ab usura *compensatoria* sive *restauratoria*, quod rependebatur pro *interesse* creditoris, v. gr. ex damno emergente, lucro cessante, periculo amittendae sortis. Cfr. Schmalzgrueber, l. c., n. 91, 92.

Immerito itaque existimant nonnulli C. Trevirense a[1] 1310 (Mansi, XXV, 289) fenus presse tale designasse verbis *moderatum interesse,* quae mere accipienda sunt de usura compensatoria.

---

[1] Hoc pacto dicebent SS. Patres, v. gr. Ambrosius, De Tobia, c. 14 « usuram esse quicquid sorti accidat. »

[2] S. Raymundus, *Summa*, l. 2, t. 7.

[3] Harduin, X, 1773. Cave ergo ne haec accipias pro definitione ipsius Concilii; in quem errorem incidit Schmalzgrueber, in l. 5, t. 19, n. 8, dum pro decisione Concilii habet haec alia verba quae, in eadem praefatione, pertinent etiam ad adversarios: « Christus Dominus, Luca Evangelista attestante, aperto nos praecepto obstrinxit ne ex dato mutuo aliquid ultra sortem sperare debeamus. »

3. *Peccatum usurae* committi potest, vel exigendo ut reddatur major summa (sors, *capital*) quam quae tradita fuit; vel annectendo onera, iniquos modos obligationi reddendi; vel proprie exigendo fenus sine titulo vel ultra titulum. Hic magis stricte habetur usura.

4. Usuram *lucratoriam distinguunt:*

a) *Realem* et *mentalem*, fere ut in simonia: ita ut mentalis sit illius qui sine formali exteriore pactione intendit, ex mutuo quod concedit, alterum obligare ex justitia ad solvendas usuras.

b) *Formalem* seu apertam, et *palliatam* quae veluti pallio alius contractus honesti obducitur. Inde controversiae, olim ferventes, utrum necne hic vel ille contractus, v. gr. census redimibilis, dissimularet usuram.

Talis usura saepe latebat in emptione-venditione, ex variis pactis retrovenditionis. Historice tantum commemoranda est famosa *Mohatra*, seu *Baratra*, quae in hoc constabat, ut quis credito venderet *summo* pretio merces ementi Titio non necessarias, quas Titius ipsi *statim pretio infimo* sed *numerata pecunia* revenderet. Adveniente die, prior vendens a Titio summum illud pretium recipiebat. V. gr. Titius emit horologium 150 fr. post annum solvendis, et statim, vendito horologio ipsi venditori, ab hoc obtinet 120. Elapso anno, Titius venditori restituere debet 150. — Ut patet, haec retrovenditio, si fit ex pacto, usuram palliatam continet (Prop. 40 inter damnatas ab Innoc. XI); et ob maximum abusus periculum, etiam sine pacto, saepe vetita fuit. C. de Lugo, d. 26, n. 204-208.

c) *Sortis* seu *perpetuum fenus (intérêts simples)*, et *usuram usurarum, (intérêts composés, intérêts des intérêts)*, quam Cicero etiam appellat *renovatum fenus, anatocismum* (gallice etiam: *anatocisme*).

d) Ex quantitate dicebantur *unciariae*, *centesimae*, etc.

Maximae usurae, quae in jure rom. stipulatione exigi poterant, erant centesimae [1] (in singulos menses, quare = 12 %). Constituebant itaque quasi usurarium assem (12 unciis constantem), seu

[1] Statim tamen atque usurarum summa debita adaequabat sortem, ut post centenos menses usurae centesimae, usurae finiebantur, ita ut supra duplum usurae peti non possent. Cfr. l. 26, § 1, D. *De Condictione indebiti* (XII, 6) et l. 4, § 1, D. *De nautico fenore* (XXII, 2).

unitatem, ad quam leviores referebantur. Inde appellationes [1] fenus *ex deunce* seu usurae *deunces* ($^{11}/_{12}$) = 11 %; *ex dextante* ($^{10}/_{12}$) = 10 %; *ex dodrante* ($^{9}/_{12}$) = 9 %; *ex bessale* ($^{8}/_{12}$) = 8 %; *ex septunce* ($^{7}/_{12}$) = 7 %; *ex semisse* ($^{6}/_{12}$) = 6 %; *ex quincunce* ($^{5}/_{12}$) = 5 %; *ex triente* ($^{4}/_{12} = {}^{1}/_{3}$) = 4 %; *ex quadrante* ($^{3}/_{12} = {}^{1}/_{4}$) = 3 %; *ex sextante* ($^{2}/_{12} = {}^{1}/_{6}$) = 2 %; *ex uncia* seu *unciariae* ($^{1}/_{12}$) = 1 %.

365. De sterilitate pecuniae. 1. Plane sterilis dicitur res seu infructuosa, quae nullos fert fructus vel *proprie* tales, sicut poma arboris, lana, fetus ovium, vel *late* tales, quae respondent utilitati distinctae ab ejus destructione sive absumptione : ita domus habitatio, sectio cultelli. Rei sterilis usus dicitur in abusu consistere, quia usus est ejus consumptio. (II. II, q. 78, art. 1 c.)

Res istae dicuntur *primo usu consumptibiles ;* et, quia fere sunt res *fungibiles,* saepe ambo nomina permiscentur.

2. Ipsa vero destructio, absumptio hujusmodi rei, vel vim habere potest ad gignendas alias res sive similes sive etiam majoris valoris, vel immediate minuit patrimonium. Quare ipsa absumptio distinguitur *fructuosa,* qualis est carbonis in officina, qua generatur vis movendi ; et *sterilis*, qualis est carbonis quo quis calefacit cubiculum [2].

3. Metallum quidem, ex quo confecta est pecunia, licet non ferat fructus, unde effatum : *Pecunia pecuniam non parit,* habet usum distinctum ab absumptione. Sed is non est *formalis* usus pecuniae. Similiter est « *secundarius* usus pecuniae..... si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem »..... (qui usus licite vendi potest) ; « usus autem *principalis* pecuniae argenteae, est distractio pecuniae in commutationes [3], » « δαπάνη καὶ δόσις », ut ait Aristo-

---

[1] Saepe perperam intellectae, v. gr. a S. Raymundo qui, in *Summa,* l. 2, t. 7, centesimas aequiparavit fenori 100 p. c. ; et a Concina, *De usuris* p. 382 et, post ipsum, a Devoti, *Inst. can.* l. 5. Tit. 16, n. 2 ; ita ut unciarias, quae minimae erant, sanguinolentis seu centesimis permiscerent.

[2] Caveas tamen ne ex absumptione quaestuosa unice aestimes oeconomice res. Quum enim circulus foret vitiosus, hominem, ad quem referuntur res inferiores ut ad finem, ad eas rursus referre ut medium, res mediate vel immediate ad usum non oeconomicum ordinantur, et tandem aliquando aestimabiles sunt quatenus homini sunt utiles. (Rursus contra Bastiat.)

[3] S. Th. II. II, q. 78, art. 1 ad 6.

teles, *Ethic.* IV, 7. Quo usu physice quidem non interit, perit tamen possidenti.

Unde *in se* est sterilis pecunia ; sed *commutatione* fit omnia in quae convertitur. Quare, *ex rebus quae pro pecunia obtinentur* vel obtineri possunt, sive in casu speciali sive communiter, judicandus est oeconomicus valor sive ipsius pecuniae sive ejus usûs. Quo pacto jam sapienter praemonuerat S. Th., *In* V. *Ethic.* lect. 9, fine : « Nihil tamen differt utrum dentur quinque lecti, vel tantum quod valent quinque lecti. »

Notentur, in hac re, praeclara verba Philosophi, V. *Ethic.* quae laudat S. Th. 3 D. 37, q. 1, art. 6 : « Pecuniae usus non habet mensuram utilitatis ex ipsa pecunia, sed ex rebus quae per pecuniam mensurantur. »

366. De titulis extrinsecis. *Titulus extrinsecus* presse vocatur causa accedens essentiali rationi mutui, et praeterea cohaerens cum *peculiari* conditione creditoris vel debitoris, ob quam juste in mutuo modicum fenus exigi potest. Causa ergo ob quam *per accidens ab omnibus* pecuniae creditoribus auctarium postulari possit, etsi ab extrinseco adveniens mutuo, non tamen proprie dicetur titulus extrinsecus.

Quare, ut ob hunc titulum juste exigas fenus, oportet ut *vere* tibi suffragetur, et ut debitor, *rei conscius,* consenserit in hanc solutionem.

Tituli isti, ab existimato eorum auctore, Paulo de Castro, dicuntur quandoque *requisita Castrensia.* Sunt vero potissimum :

1. *Periculum sortis,* quando metuenda sunt vel amissio sortis, vel difficultates, expensae in ea recuperanda. Et quia tale onus subire est pretio aestimabile, moderatum fenus percipi potest etiam si postea reddita fuerit sors, ita ut plane immerito quidam, quos adhuc sequitur R. P. Weiss, op. cit. p. 692, 693, 708 fine, illud fenus habeant pro quadam cautione quae reddenda esset statim ac, restituta pecunia, periculum abiisset.

Pro qualitate periculi major vel minor usura erit licita.

2. *Paena conventionalis,* proportionata morae *culpabili* debitoris : namque non agitur de paena quae compenset damnum praevisum vel probabile quod quaevis mora afferre possit creditori.

3. *Damnum emergens,* et *lucrum cessans.* Quando verisimile

est fore ut creditor, ex carentia pecuniae, patiatur damnum in rebus suis (v. gr. refecisset domum quae nunc corruit), potest stipulatione vel convenire ut compensetur postea totum damnum secutum, vel etiam, secundum *aleae aestimationem*, certum fenus statui quod singulis annis solvatur. Similiter, qui *velit negotiari*, et ad negotiandum indiget pecunia quam dat mutuam, potest stipulari ut secundum *aestimationem spei et periculi*, et *deductis expensis*, ipsi moderatum fenus solvatur.

Non omnibus constat hunc titulum fuisse a S. Thoma admissum. Cfr. S. Th. opusc. 21 *De usuris* (an genuinum?) ; II, II, q. 78, art. 2, ad 1 ; q. 62, art. 4.

4. Vix ab his titulis formaliter differt causa, quam S. Alph. probabiliter justam habet, et quae repetitur *ex longo tempore* ad quod mutuum est datum.

5. *De titulo legis civilis*, multum disputatum est, cum alii negarent per legem civilem honestum fieri posse lucrum in se iniquum ; alii evocarent jus alti dominii, ex quo Principi facultas est transferendi dominii, ob justam causam ad bonum commune pertinentem ; alii demum factum ipsum rejicerent, et non concederent legislatorem voluisse supplere titulum non existentem, sed mere ex praesumptione veri tituli permisisse usuras.

Nihil in hac re definitum est ab Ecclesia. Nobis quidem non videtur negari posse Principis facultas concedendi aliquod fenus, si revera ob commune bonum hoc veluti praemio foveri debeat voluntas mutuandi : verum haec necessitas vix orietur nisi in istis adjunctis in quibus jam universe licitum mox efficiemus pecuniam sub fenore credere. — Sic fere R. P. Lehmkuhl I, 1102, quem adeas de omnibus istis titulis. De istis etiam late disputat Ballerini-Palmieri, III, p. 606-624.

367. Quaestionis definitio. 1. NON EST NOBIS AGENDUM : a) *De titulis extrinsecis*, seu de usura moratoria et compensatoria, cum egregie in ea versati sint classici doctores et ipso sapientum consensu sublata controversia ;

b) *De obligatione caritatis*, cujus principia facile innotescunt, sed de necessitate justitiae ;

c) *De specificatione peccati usurae*. Haec namque res est satis expedita, cum constet offendi *misericordiam* si pauper vexetur ; injuriam autem, si qua fuerit, esse *furti* vel etiam *rapinae* prout mere ablata fuerit res domini rationabiliter inviti, vel ipsi etiam personae vis illata.

2. VERUM QUAERITUR : a) *Utrum necne exigere usuras lucratorias sit injustum*, i. e. contra aequalitatem debitam

in pactione qua res fungibilis creditur, sicut aequalitati servandae in venditione repugnat postulatio nimii pretii.

b) *Quomodo Ecclesiae disciplina sit interpretanda et vindicanda a calumniis.* Ejus enim leges de usuris in varias incurrere videntur reprehensiones ac, prima specie, inter se aliquatenus pugnare.

§ 3. *Revincuntur plures explicationes catholicorum*

N. B. De binis istis quaestionibus diversae nec paucae numero prodiere sententiae catholicorum, quas, saltem indirecte, ipsa conclusione redarguere conabimur. Ne tamen demonstrationem faciant impeditiorem, operae pretium est de ipsis praecise hic dicere, quo spectent et quibus peculiaribus laborent vitiis vel incommodis.

Sententias quas directe aggredimur, hic itaque non memoramus, sed reservamus in proximum articulum.

368. Sententia severior. In Gallia, nonnulli adhuc sunt qui simpliciter reprobant hodiernum morem fenerandi. Hunc nequaquam probatum existimant Ecclesiae, quippe quae, perspecta cordium duritia, mere, ad majora mala declinanda, prudenter conniveret atque invita toleraret quod impedire non valeret. Ita R. D. Julius Morel, in opere *Du prêt à intérêt;* ita D. Modeste, *Le prêt a intérêt, dernière forme de l'esclavage.* Idem videtur placuisse Ill° Episcopo Basileensi, Lachat. —

Verum, ut ex argumento conclusionis fiet manifestum, talis est stylus curiae romanae qui arguat probabilem saltem rationem quae hodie honestam faciat fenerationem.

369. Explicatio ex intentione, seu systema duplicis contractus. Hunc, etsi non invenit, tuetur et fuse exponit Ballerini, *Opus theologicum,* t. III, p. 3, c. 2 *De Contr. in specie,* n. 280-348, pluresque ipsum imitantur. Ut hi opinantur, bifariam credi potest pecunia: vel *animo liberali,* quo casu haberetur mutuum, quod proinde foret *essentialiter* gratuitum; vel, mutata causa, *quasi-locando pecuniam,* quo casu fenus foret justum locationis pretium. Olim frequentabatur mutuum, cujus essentialem gratuitatem merito propugnavit Ecclesia. Non ideo tamen improbavit pecuniae locationem quae hodie usu venit. —

Si mere componenda foret cum Scripturis et SS. Patrum testimoniis, doctrina ista forsan « ab extrinseco » non repugnaret. Revera enim, ut vidimus, praecepta sacrarum literarum sunt praecepta humanitatis, nihilque magis SS. Patres objiciunt feneratoribus quam quod beneficii specie pauperes et afflictos in summum detruderent luctum. Sed ratio habenda est etiam universalis prohibitionis Ecclesiae, et doctrinae quae, per tria, quatuor secula, invaluit in omnibus theologiae disciplinis. Jam vero :

a) Explicatio ista aperte *adversatur catholicae* isti *doctrinae*. Pretium enim a conductore solvendum, quid est formaliter nisi pretium usus rei conductae ? Qui ergo concedit locationem pecuniae, agnoscit pretium usus pecuniae. Atqui usum pecuniae, distinctum ab absumptione, esse in pretio, hoc praecipue negabant doctores et jurisperiti, ideoque statuebant mutuum esse natura sua gratuitum.

b) Probatur praeterea contraria *menti Ecclesiae*. In jure enim romano mutuum non erat essentialiter gratuitum. Namque licebat conjungere cum mutuo stipulationem fenoris. Traditam itaque a se mutui rationem, alienam a jure romano fateri cogitur ipse Ballerini (l. c. n. 281). Quam parum autem verisimile est, ab Ecclesia, quae nusquam definivit mutuum estque in imperio romano orta et propagata, eamdem mutui vocem aliena ab hoc jure significatione fuisse usurpatam.

c) Praeterea explicatio ista *stare non potest cum decretis* quae reprobant etiam *palliatam* usuram, in qua certo nec intentio beneficentiae fingi potest et ne nomen quidem habetur contractus qui ex intentione foret necessario gratuitus ; nec cum capite 10 *Consuluit, De usuris,* ubi haec ipsa intentio lucri habetur pro prava ; nec cum Encycl. *Vix pervenit,* quae, in 5ª Prop., diserte negat praesto semper esse, praeter mutuum, alios contractus justos, quorum praesidio quis posset auctarium licite petere. Quorsum ad illos contractus census, etc., confugiendum, si satis fuisset velle locare pecuniam ?

d) Explicatio ista *non servat honorem Ecclesiae*. Nam qui in mutuo exigebant usuras, satis eo ipso manifestabant se non duci intentione liberalitatis. Tantum (si mutuum ex hac intentione essentialiter esset gratuitum) erronee dixissent *mutuum* pro *locatione* pecuniae. Ergo tot decretis, minis, paenis, ut optime advertit R. P. Palmieri, in nota ad B. P. III, p. 663, saeviisset in lapsum linguae. Atque ignorasset Ecclesia, quod tamen frequentissimum est, contractum, retento nomine illius cujus speciem praefert, v. gr. venditionis, ex mutata conditione vel intentione, in aliud negotii genus, v. gr. donationis, transire. Sic commodatum, mercede statuta, desinere in locationem ; « mandatum, nisi

gratuitum sit, in aliam formam negotii cadere. » (§ 13 *Institutionum, De Mand.* III, 27) [1].

e) Quare merito Bossuet, Prop. 6, jam rejicit omnem pecuniae locationem ; Ben. XIV, *De Syn.* l. c. n. 2, asserit hanc rationem excusandae usurae, a Salmasio allegatam, refelli a plerisque haereticis qui tamen usuras licitas esse contendunt ; et Zech, *Diss.* 1, n. 196, jam his gravissimis verbis (minime tamen hujusmodi mentem supponimus catholicis viris ut Ballerini) premit patronos similis sententiae : « Sufficit.... (pro refutatione) rem de se planam, per hujus doctrinae patronos variis involvi phrasibus, ut evincant, numquam committi usuram..... quaestionem igitur de usuris esse de solo nomine, et proin vana, inania et deridiculo habenda esse omnia quae in sacris literis, Conciliorum decretis, SS. Patrum [2] voluminibus contra usuras statuuntur. »

370. Explicatio ex fine mutuationis. Sunt enim qui existiment gratuitum quidem esse per se mutuum pecuniae quae absumetur, non autem pecuniae quae quaestuose vel utiliter impendetur *(Prêt à la consommation, prêt à la production)*. Quare hodiernam fenerationem excusant, partim quia, si sterilis mutuatio, creditori prodesse solet titulus extrinsecus ; partim quia plerumque hodie mutuatio est quaestuosa [3]. —

Explicatio ista ad dicta Patrum satis commode aptari potest ; imo pauca quaedam fortasse possint ex uno vel duobus Patribus afferri quae ei videantur positive favere. Praeterea, ejus usus non videtur periculosus. Ubi enim diviti vel negotiatori mutua conceditur pecunia, vix abest occasio alterius pactionis (census, societatis) quae honestum ex pecunia parit lucrum. Denique destinatio illa fructuosa pecuniae mutuaticiae referenda est in adjunctis quae veram, ut videbimus, fulciunt solutionem.

Nihilominus in eam concedere non possumus. *Formaliter* enim *contraria* est Enc. *Vix pervenit,* his verbis : « Neque vero ad istam labem (usurarum) purgandam ullum arcessiri subsidium poterit.... ex eo quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper sed dives exsistat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas,

---

[1] Quare jam scite observabat Engel, in l. 5 t. 19, n. 36, nos debere esse parum sollicitos de verbo *mutui* quod forsan adhibeant indocti, si modo velint eo meliore modo quo fas sit pactionem facere, et occasio habeatur alterius contractus quaestuosi. Additque hanc planam rationem, « cum non intentio verbis sed verba intentioni deservire debeant. » Ac jam ante idem docuit Gregorius De Valentia, *Commentariorum theologicorum*, t. 3, d. 5, q. 25, p. 2

[2] Ex dictis patet hanc tamen objurgationem esse aliquanto nimiam.

[3] Hoc placet Cl. Jannet, op. cit. c. 3, II et III ; nec repugnat R. D. Funk, qui formalem peccati usurae rationem reponit in abusu praevalentis vis ad extorquendum consensum. Quare, secundum cl. professorem, aeque in aliis pactionibus atque in mutuo locus foret huic peccato.

vel novis coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. » Repugnat praeterea principio quod, cum communi placito scholae catholicae in thesi superiore demonstravimus, commodum proprium acquirentis, i. e. hic mutuatarii, non posse computari in rei cessione [1].

371. Explicatio ex praesumptione justi tituli extrinseci. Hodie, cum hinc facilis sit usus fructuosus pecuniae, multisque illinc sint obnoxia vicibus tot negotia saepe leviter tentata, favet creditori praesumptio tituli extrinseci qui moderato fenore compensari valet. Ita R. P. Weiss, O. Pr. op. cit. p. 691-694, nec repugnat R. P. Castelein, *Institutiones philosophiae moralis*, p. 404-408. —

Potius quam falsa, explicatio ista nobis videtur *insufficiens*.

Namque : a) Lucrum quod percipitur formaliter ob titulum extrinsecum, innititur adjunctis peculiaribus illius qui mutuo dat cum tali damno, lucro cessante, periculo, etc., et proin postulat singulorum casuum veram aestimationem et prudentem usurae compensatoriae, alius in alia causa, definitionem. Quod si probetur nullum adesse titulum extrinsecum, praesumptio cedit veritati, ut adverterant jam Reiffenstuel h. t. n. 52; Schmalzgrueber n. 145. Nec raro futurum esse ut cederet hodie contrariae veritati, luculenter ostendit cl. Pesch l. c. p. 50-52 qui egregie manifestat defectus illius theoriae.

b) Nec explicat haec opinio quomodo, in respondendo, Ecclesia non fuerit sollicita de veritate tituli, potuerit omittere quaestionem de titulo legis civilis ; et quomodo admittat taxam quamdam uniformem, non vero accommodandam ad conditiones uniuscujusque mutui proprias.

372. Explicatio ex lege civili. Quod si, cum aliis quibus astipulari videtur Gury, *Theol. mor.* I. 863, 864, perfeceris posteriorem explicationem evocato titulo legis civilis quae, ob bonum commune, quo facilius mutuum concederetur, permitteret certum fenus, ostendemus ipsa probatione nulla nos premi hujusmodi effugii necessitate. Praeterea, non satis constat legislatorem voluisse ob bonum commune supplere defectum justi tituli, cum ipsa licentia legum intelligi possit de licentia civili, seu immunitate in foro externo, facta ob justi tituli praesumptionem, et qua suae quisque conscientiae arbitrio permitteretur. Cfr. Reiffenstuel, Schmalzgrueber, l. c. Et quid probat hodiernos legislatores magis hac motos fuisse consideratione, quam antiquos? Ex lege tamen romana nulla quaerebatur excusatio conscientiae.

---

[1] R. D. Funk ingenue fatetur sententiam suam adversari Encyclicae *Vix pervenit* et doctrinae quae in medio aevo tradita est Ecclesiae decretis et documentis scholarum catholicarum. Cfr. *Maffei und das Zinsverbot, Quartalschrift von Tübingen*, 1875, p. 42, 43.

ARTICULUS II. **Formula et argumenta conclusionis**

THESIS XXVI

Injustum est omne lucrum ex mutuo reduplicative accepto quaesitum.

Pro certa tamen conditione civitatis, per se omnibus fas esse potest credere pecuniam sub moderato fenore.

Pristina Ecclesiae severitas et hodierna ejus indulgentia ab omni crimine sunt immunes.

373. I. **Status Quaestionis.** 1. INTENTIO THESIS. Tria hac thesi praestamus. *Prima parte* demonstramus intrinsecam malitiam peccati usurae secundum ejus genuinum conceptum. *Deinde* vindicamus in praesentibus adjunctis universalem liceitatem moderatae fenerationis. In *tertia* demum *parte,* avertere satagimus crimina quae in hac re s. matri Ecclesiae objici consueverunt.

2. SENTENTIAE. *Prima pars* ponitur :

a) Contra Molinaeum [1] et *haereticos* Calvini aetate inferiores, qui censent tum demum prohiberi usuram cum repugnat caritati ;

b) Contra *nonnullos* nostrae aetatis *catholicos :* α) Alii satis *directe* negant usuras ex mutuo esse per se illicitas; atque his aperte favet C. d'Annibale, quum, *Summula* II, 533, contendat nullo jure constare de illa inhonestate ; β) Alii *minus directe* similem profitentur conclusionem, mutata prius ratione vel ipsius mutui, ut hi qui sentiunt cum Ballerini, vel peccati usurae, ut auctor est cl. prof. Funk.

Secundae parti adversantur :

Socialistae, qui omne fenus habent pro injusto negantque pecuniam posse fructuose impendi nisi ab eo qui simul conferat operas ;

Catholici nonnulli, qui adhuc vigere autumant prohibitiones canonicas.

Tertia pars non offendit, ut patet, nisi *acatholicos,* et

---

1 *Tractatus De Usuris*, n. 10.

rationalistas qui, placitis liberalibus adhaerentes, reprehendunt Ecclesiam quod olim impediverit artium aut negotiorum incrementa. Nam qui catholico nomine gloriantur varia ratione laborant ut defendant Ecclesiam.

3. EXPONUNTUR VOCES.

Injustum est, neque uni caritati contrarium, vel positiva lege prohibitum,

Omne lucrum, nec solum immoderatae seu mordentes usurae. Patet etiam non referre quo genere praestationis, utrum pecuniae an alterius rei, quaeratur illud lucrum, ita ut complectamur omne id cui respondet in debitore onus aliquod ex justitia sustinendum.

Ex mutuo, id est vi eorum quae mutui ratione continentur, id est vi *concessionis ad tempus rei primo usu consumptibilis.* Cfr. 363. In his negamus esse titulum lucri faciendi. Non autem contendimus in contractu mutui aliquid positive repugnare lucro faciendo, modo accedat ratio sufficiens.

Reduplicative accepto: non ergo vi eorum quae mutuo accidere possunt sive in casu speciali, sive universe pro aliqua civitatis conditione; nec vi affectus grati animi illius cui mutuum profuit. Dicimus itaque *vi mutui qua talis,* non autem, *vi talis mutui.*

Pro certa tamen conditione civitatis. Etiam nos ergo, cum fere omnibus catholicis, respicimus ad adjuncta societatis. Quae ratio, genere mutui non contenta, indicat aliquid adventitium et contingens, quod attinet ad rationem mutui qua talis.

Per se: interdum enim prohiberi possunt caritate, ubi urgeat praeceptum opitulandi proximo.

Omnibus, ita ut non solum deponere possint sollicitudinem de quaerendo aliquo titulo extrinseco apud se consistente, sed etiam si constiterit nullum sibi prodesse, adhuc licite percipiant usuras.

Fas esse potest h. e. lege divina concessum. Nam praeterea attendendum est ad legem humanam.

Credere pecuniam. His verbis minus definitis utimur, ut

nunc illud omittamus, utrum necne pactio illa retinere possit nomen mutui. Gallice dixeris : *La concession de crédit, le prêt d'argent.*

Pecuniam, inquam : per se quidem non repugnat ut simili modo credatur alia res ; *semper* tamen eamdem esse hodie causam aliarum rerum fungibilium non arbitramur. Fiunt enim, ruri v. gr., ad modicum tempus, quaedam mutua farinae, lactis, quae ex usu et communi aestimatione non censentur cum quadam usura rependenda.

Sub moderato fenore. Est enim semper justum servandum pretium, quod excedendo, commiseris usurae peccatum.

Pristina Ecclesiae severitas, qua in universum inhibebat fenoris exactiones,

Et hodierna ejus indulgentia, qua in universum feneratiionem permittere videtur,

Ab omni crimine sunt immunes : sive *erroris,* sive *inconstantiae,* sive *repugnantiae* contrariae temporali societatis felicitati. Huc enim recidunt omnia capita querelarum.

4. NOTA THESIS. a) Nobis videtur *theologice certa,* non tantum qua parte leges Ecclesiae immunes dicit ab errore, sed etiam quatenus arguit *injustitiae* lucrum ex mutuo petitum. Id tamen concedimus auctoritati scriptorum nostrae aetatis qui, bono certe ducti consilio, hanc veritatem obscurarunt, ut abstineamus inurenda nota sententiis primae nostrae conclusioni contrariis.

b) Cetera pro *simpliciter certis* habemus. Imo nostram hodierni usus explicationem non damus nisi tanquam probabiliorem.

II. Probatio.

374. A. PRIMAE PARTIS. ***Injustum est omne lucrum ex mutuo reduplicative accepto quaesitum.***

Arg. 1. Ex documentis ecclesiasticis. a) Ecclesia legibus universalibus — quae nihil contra fidem vel mores statuere valent, — prohibuit omne lucrum ex mutuo, ita ut S. Pontifex non posset in hac causa dispensare.

A. Talis prohibitio arguit lucrum istud esse ex rei natura njustum.

E. Ex documentis infallibilibus Ecclesiae eruimus injustitiam omnis lucri ex mutuo reduplicative accepto.

Ad maj. Observes imprimis *authenticas* esse collectiones decretalium Gregorii IX, Libri sexti, et Clementinarum, ita ut singulae leges his collectionibus contentae, quaecumque fuerit prima earum origo vel significatio, ex promulgatione facta ipsarum collectionum [1] vim sortiantur legum universalium Ecclesiae, sintque interpretandae ut reperiuntur in Corpore juris insertae. Porro, leges universales Ecclesiae hac ratione esse infallibiles, ut nihil statuere possint contra fidem vel mores, est certa theologorum doctrina.

Agedum : *Omne lucrum ex mutuo prohiberi,* habemus ex c. *Praeterea,* 7, *De usuris,* quod, post praeceptum : « Praeterea parochianis tuis usuras recipere interdicas » paenas indicit et clericis et laïcis ; clariusque ex c. *Consuluit,* 10, eodem tit., ubi S. Pontifex, interrogatus quid juris de eo « qui, non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut, licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat [2] », vel qui « non aliter parabolam [3] juramenti concedit donec, quamvis sine exactione, emolumentum aliquod inde percipiat », ita rem definit : « Hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent,... judicandi sunt male agere, et ad ea, quae taliter sunt accepta, *restituenda,* in animarum judicio efficaciter inducendi. » Idem praeterea jam omnino constat diuturno consensu theologorum et canonistarum, qui per plura secula hanc vim tribuere canonicis de usura sanctionibus.

Prohiberi porro *ita ut S. Pontifex non posset dispensare,*

---

[1] Prima collectio promulgata est C. *Rex Pacificus*, 5 sept. 1234 ; altera, C. *Sacrosanctae*, 3 martii 1298 ; tertia, C. *Quoniam nulla*, 25 oct. 1317.

[2] His notis agnoscas usuram mentalem.

[3] *Parabola*, idem hic sonat ac *verbum, sermo* (Du Cange, *Glossarium*). Gallice dixeris : *Parole jurée.*

traditur in c. *Super eo*, 4, eod. tit. « Super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus. » Agebatur autem de usura quae admitteretur ad redimendos captivos.

, *Ad minorem.* Prohibitio hujusmodi arguit jus *divinum* et quidem *naturale. Divinum,* sin minus, S. Pontifex, dispensare posset ; *naturale :* namque, in lege nova, est canon generalis nos non obstringi praecepto positivo divino nisi circa fidem et sacramenta (Cfr. Suarez, *De Religione,* tr. 2, l. 2, n. 8). **A.** Prohibitio universalis juris naturalis nequit in hac re explicari sine laesione justitiae. In causa enim divitis, desinit obligatio misericordiae. Praeterea obligatio restitutionis quae frequenter inculcatur vix aliter declarari potest.

b) Accedit gravissima saltem *confirmatio* ex Encyclica *Vix pervenit,* quae primo quidem directa ad solius Italiae Episcopos, missa deinceps fuit et ab ipso Benedicto XIV et a Congregationibus romanis ad alias regiones, ita ut, ferme per seculum, constans fuerit norma decidendi causas in Ecclesia [1], et in qua praeterea Pontifex testatur se rem dirimere, diligenter discussa causa et ex unanimi suffragio coetus virorum praestantissimorum ad id coacti.

C. d'Annibale, II, 532, 533, se liberat hac molestia dicendo « de genuino ejus sensu ultro citroque disputatum » sed haec leviter sunt posita. Nam nihil clarius ipsa litera documenti, ut fatetur R. D. Funk [2] ; et legenti dubia proposita Congregationibus romanis, patet hoc unum in controversiam venisse utrum intelligenda foret Encyclica secluso vel etiam posito titulo legis civilis. Cfr. in *Collect. Prop. Fidei,* n. 2140.

Jam vero dicta Encycl. ad literam continet nostram positionem :

« Peccati genus quod usura vocatur...., ait in 1. Prop., in eo est repositum, quod quis ex ipso mutuo (quod suapte natura tantumdem duntaxat reddi postulat, quantum receptum est), plus sibi reddi velit quam est receptum, ideoque ultra sortem lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. »

---

1 Cfr. v. gr. *Instr. S. Officii* 4 febr. 1827, *Resp. S. Off.* 29 nov. 1854. *Collect. Prop. Fid.* n. 2133, 2136.

2 In cit. art. 1875 (*Tüb. Quartalschrift*) p. 42, 43.

Et sub n. II : « Contra mutui siquidem legem, quae necessario in dati atque redditi aequalitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem aequalitate semel posita, plus aliquid a quolibet vi mutui ipsius (cui per aequale jam satis est factum) exigere adhuc non veretur. »

Arg. 2. Ex ratione. Contra justitiae aequalitatem est petere pretium usus qui non exsistit.

A. Istud facit qui vi mutui intendit lucrari.

E. Qui vi mutui intendit lucrari violat justitiae aequalitatem.

Probatur min. Concessio enim rei principalis compensatur restitutione rei similis qualitate et quantitate, sicut, in locato-conducto, pro equo redditur equus. Periculum autem amittendi rem, per se non fit majus quam antea ; vel potius minuitur, cum mutuatarius praestet etiam casum fortuitum. Imo haec securitas compensare valet incommodum per se minimum quod alter sustinet ex amissa per aliquod tempus facultate absumendi rem. Namque ista privatio saepe non est onerosa, ut si, ex brevi intervallo vel copia qua res est praesto creditori, is nullo pacto ea parte quam mutuam dederit opus sit habiturus. Atque hujus asserti praeclaram hodie dat confirmationem usus invalescens pretio conducendi, in magnis argentariis, arcam aliquam ubi pecunia tuto servetur.

Quod si contigerit creditum fieri onerosum ex conjuncto periculo vel privatione, haec *compensatoria* usura juste quidem sed non vi mutui petetur.

Restat ergo, ut usura vi mutui petita sit *formaliter* pretium usus rei per aliquod tempus communicatae, sicut fit quum locatur-conducitur equus. Sed res quae agitur, ex his est quarum usus in abusu consistit. **E.** Qui quaerit lucrari ex mutuo, seu ultra sortem quid accipere titulo strictae justitiae, petit pretium usus qui non exsistit. Ut ait S. Th. II, II, q. 78, art. 1, similis est venditoris vini, qui vellet seorsum vendere vinum et usum vini. — Neve dicas ipsam absumptionem posse esse fructuosam. Mutuum enim, in sua ratione, non continet de se definite neque hoc

genus absumptionis neque ejus communem copiam, quae possit esse in pretio. Ergo neque haec est ratio lucrandi vi mutui.

Confirmatur 1) Auctoritate scholae catholicae.

Confirmatur 2) Placitis eorum qui hodie in rebus pecuniariis sunt maxime versati et qui fatentur non repugnare ut fenus evadat nullum [1].

375. B. SECUNDAE PARTIS. ***Pro certa tamen conditione civitatis, per se omnibus fas esse potest credere pecuniam sub moderato fenore.***

Arg. 1. Ex praxi Ecclesiae, qualis esse apparet in responsis SS. Congr. quae supra, in notionibus historicis appellavimus. Namque, non semel sed pluries, tum per *S. Paenitentiariam* tum per *S. Officium approbante S. Pontifice, interrogata* positive de liceitate, *omnes,* tam ecclesiasticos quam laïcos viros [2], *sine respectu tituli* [3], *neque bonae fidei,* quod attinet ad obligationem justitiae [4], censuit Ecclesia *non inquietandos* ob fenerationem, dummodo parati essent stare mandatis Ecclesiae. Jam, quum haec formula, teste S. Alphonso IV, 765 « non meram tolerantiam, sed positivam permissionem significet » ; quum *communiter* theologi catholici, C. d'Annibale, Pesch, Lehmkuhl, Ballerini-Palmieri, etc., responsa haec interpretentur ut vere permissiva ; et agatur materia morum in qua, si fuerit interrogata, Ecclesia non dissimulat, certissime iste stylus curiae arguit saltem rationem *probabilem,* quae in universum honestam faciat hodie fenerationem.

Quod vero Ecclesia non ediderit sollemnem de hac re definitionem, jam satis explicatur eo quod non appareat

---

[1] « Le taux de l'intérêt de l'argent tend à baisser : c'est là un fait brutal. Il ne paraît pas probable qu'il s'annule, mais enfin cela n'est pas mathématiquement impossible, et l'on peut même concevoir qu'il devienne négatif, les banquiers réclamant une prime pour conserver des capitaux et en assurer la sécurité. » *Théorie et pratique des assurances sur la vie* (p. 115) par H. Laurent, Examinateur d'admission à l'École polytechnique, Membre de l'Institut des actuaires français.

[2] *S. Off.* 31 aug. 1831.

[3] *S. Off.* 17 jan. 1838.

[4] *S. Paen.* 17 jan. 1836.

cur sit necessaria ; et honestas pendeat, ut ait R. P. Lehmkuhl, I, 1106, ex conditione non quasi naturali sed adventitia pecuniae proindeque per se mutabili.

Arg. 2. Ex ratione. Haec est hodie rerum conditio, ut non tantum bona mobilia, verum etiam immobilia saepissime dominum mutent, et pecunia comparari possint. Maximis etiam auctibus creverunt negotiationes et artes quae ad lucrativas operationes referuntur ; ususque increbuit eas gerendi etiam pecuniis alienis, ita ut volenti pecunias quaestuose collocare *(négocier, capitaliser)* plerumque praesto sint plures occasiones. Licet itaque non raro res susceptae secus cedant, communis tamen est facilitas, ope pecuniae, vel acquirendi res frugiferas, vel partem habendi in negotiationibus de se quaestuosis. Denique ipsa possessio pecuniae conciliat fidem *(crédit)* cujus summa est utilitas ordinis oeconomici.

Unde sic :

Qui aliquam rem possidet eam aestimare solet ex utilitate non tantum quam in propria specie sed etiam quam in aliena specie ipsi est allatura. Quod in res etiam fungibiles transferri posse non ambigitur. Quare nemo dubitat quin pecuniae possessio, quo magis copiam praestiterit comparandi fertiles terras, vel lucrosa exercendi artificia, eo pluris sit futura apud virum qui ditescere vel negotiari cogitet. Itaque, in absumptione fructuosa rei fungibilis vel conversione in res frugiferas, inest aliquod pondus per se aestimatione dignum. Quamdiu tamen occasiones istae sunt rarae, vel infrequens est earum usus, haec est singularis aestimatio paucorum, quae rerum valorem non afficit nec proinde computari potest nisi ab iis paucis qui revera se tali facultate privant. Inde tituli qui dicebantur extrinseci. Fac autem ut occasiones istae sint quasi continuo oblatae, ut simul et notitia et voluntas vulgetur eas arripiendi : *possessio pecuniae* jam *communiter* aestimabitur ex illa oeconomica utilitate. Et, ut liquet ex thesi superiore, communi aestimatione gignetur valor qui, possessioni

pecuniae apud *quemlibet* cohaerens, *simul* cum ipsa ad tempus vel in perpetuum cedetur, et annuo pretio seu fenore compensari juste poterit. Imo, ipsa forma hujus pretii, qua ponitur in annua vel menstrua praestatione, bene congruit rerum naturae. Namque commoda quae communiter ex possessa pecunia sperantur constant incrementis quae post stata intervalla ex rebus frugiferis vel artibus exercitis obtineri sunt solita.

Quod *in forma* ita paucis reddi potest :

Ut, pro certa conditione civitatis, juste ab omnibus credi possit pecunia sub moderato fenore, satis est ut communiter aestimetur pecunia ex spe fructuosae absumptionis vel fide quam conciliat. Tunc enim ex illa spe haurit pecuniae possessio *valorem*, quo creditor ad tempus privatur et cujus merito exigit compensationem per fenus.

A. Tales esse potest conditio civitatis, ut constat ex factis hodiernis. *E.*

Confirmatur 1. Ex S. Thoma l. 5 *Ethic.* lect. 9ª, fine : « Nihil differt utrum dentur quinque lecti, vel tantum quod valent quinque lecti. »

2. Et praeclarius ex Lessio, qui jam suo tempore hoc eodem argumento passim mercatoribus permittebat fenerationem. Cfr. c. 20, n. 123-127. « Potest pretium imponi.... etiam oneri carendi sua pecunia tanto vel tanto tempore. Cum enim pecunia sit instrumentum negotiandi, et privare se instrumento suae artis sit pecunia aestimabile ; cur non etiam mercatores poterunt carentiae pecuniae pretium aliquod communi consensu imponere.... Porro hoc pretium videtur posse exigere quivis mercator, etiam si nullum ei lucrum cesset. Primo, quia est justum pretium carentiae pecuniae inter mercatores ;..... secundo, quando alicui rei vel obligationi, ob justas causas, quae communiter adsint, est pretium impositum, possum illud exigere, etiam si mihi talis obligatio non sit oneri, imo etiam sit commodo, eo quod communiter tanti aestimetur. » Sic etiam C. de Lugo, d. 25, n. 18, permittit ut etiam ille qui reapse non culturus esset agrum, pretium exigat pro obligatione eum non colendi.

376. C. Tertiae Partis. *Pristina Ecclesiae severitas et hodierna ejus indulgentia ab omni crimine sunt immunes.*

Triplex fingi potest hujusmodi crimen : *Error. Inconstantia, Importuna vexatio negotiorum et artium.*

1. *Error non fuit*, neque in commendanda caritate, neque in prohibenda usura lucratoria vi mutui : id patet ex prima parte. Summum dici potest theologos fortasse aliquanto serius animadvertisse mutata adjuncta oeconomica et strictius quam par erat judicasse causas nonnullas ex principiis veris sed facto minus accurate considerato. Iste autem privatus error, cui non defuere laeti fructus, ut videbimus, refundi nequit in Ecclesiam, praesertim quum non fuerit diuturnus, ac vix vitari possit aliqua confusio in istis temporum rationibus quae continent aliquam et nondum perfectam morum mutationem [1].

2. *Nulla objici potest inconstantia,* cum ipsa rerum indoles postulet aliam in aliis adjunctis quaestionis solutionem. Id ex secunda parte luculenter apparet.

3. *Nec minus facile diluitur tertium crimen.* Namque :

a) *Occasio* severitatis fuit crudelis oppressio pauperum et afflictorum. Id testantur ipsa argumenta decretorum. Num nocuit Ecclesia temporali prosperitati, dum summae ruinae eripuit innumerabiles homines infimi ordinis ? Cl. Jannet [2] dicere non dubitat, leges istas fuisse plane ad populi salutem necessarias, sine ipsis actum fuisse de emancipatione servorum et libertate colonum. Et, re quidem vera, nonne jam S. Basilium, S. Ambrosium (cfr. locos supra allatos) pie vidimus sollicitos de exiguis patrimoniis et de ipsa hominum libertate ?

b) Hoc *unum vetuit* Ecclesia, ne, extra omnem societatem, extra omnem census emptionem, ex simplici mutuo quis, sine labore, sine periculo, otiosae pecuniae quaereret incrementum.

Quum nulla ratione obstaret Ecclesia quin aliquis in

---

1 Gallice dicimus : *époques de transition*.

2 « Son application rigoureuse (de la discipline de l'Église sur l'usure) était d'ailleurs dans les siècles précédents une mesure de salut public indispensable.... Tous les fruits de l'émancipation des serfs eussent été perdus; les grands propriétaires auraient détruit toute indépendance dans les populations vivant autour d'eux, comme à Rome et dans la Grèce ancienne. » *Le Capital, la Spéculation et la Finance*, c. 3 p. 80.

vera negotiatione lucrum ope pecuniae quaereret, emendo, ut hodie diceremus, *actiones,* fovit negotia vere quaestuosa, provocavit hominum sollertiam ad inveniendos alios contractus qui justum lucro praeberent titulum. Inde exortae sunt variae formae utiliores contractuum quibus labor et pecunia conjungerentur societate. Inde, teste Claudio Jannet [1], fere excogitati contractus cambii et assecurationis. Quare jure ac merito affirmabat Ben. XIV. Encycl. *Vix pervenit,* Prop. IV: « Dubitandum non est quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus et ratio suppetat, humana commercia, et fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi [2]. » Non ergo voluntatem lucrandi compressit Ecclesia; sed coegit possessorem pecuniae, ut conlata opera et vera negotiatione quaereret lucrum, quod sine labore proprio, saepe opprimendo indigentem, captasset, si licuisset ex mutuo percipere fenus. Quare, etiamsi theologi in facti consideratione erraverint et nimia severitate adhibuerint veram doctrinam, id per accidens potius laetos habuit fructus.

c) Juvat etiam bene observare quid, in tuenda veritate et justitia, intersit inter potestatem ecclesiasticam et secularem. Haec respicit ad finem temporalem et ordinem exteriorem, ac, ne graviora oriantur mala, saepe quaedam peccata tolerare debet. Quare scholae *liberalis* asseclae fortasse [3] noxias ostendent quasdam sanctiones civiles latas contra usuras, sed minime hac ratione efficient non e re publica fuisse, ut notiones aequi et justi efficaciter promoverentur ab Ecclesia pro suo munere docendi omnem veritatem.

---

1 In nota ad p. 296 operis : *Les lois économiques*, par de Metz-Noblat.

2 Utilitatem horum contractuum bene exponit Zech op. cit. Diss. 3, in 1 sect. et Cl. Jannet, *Le capital*, etc. p. 85, 86.

3 A qua quaestione abstinemus. Hoc tantum notabimus, etiam leges quae indiscriminatim tolerarent usuras, debuisse abrogari intuitu boni communis. Cfr. edict. imper. Josephi II, 2 Dec. 1803. Quid, quod jam hodie non desunt inter recentiores scriptores qui doleant suppressas esse prohibitiones legales.

d) Ex quo tot odia, tot pericula, in praesenti societate, genuit immoderata cupiditas lucri et divitiarum, inepte omnino liberales isti oeconomistae crimini Ecclesiae verterint quod vindicaverit aequitatem et justitiam, quod protexerit miseros et compescuerit « geminas vitae pestes, rerum appetentiam nimiam et voluptatum sitim. » (Encycl. *Rerum novarum.*)

377. III. **Difficultates.**

A. CONTRA PRIMAM PARTEM [1].

1. VI MUTUI LUCRARI LICET. Nam :

a) Mutuum continet *operam alteri* praestitam. *A.* Nemo tenetur gratis alteri prodesse.

R. Conc. vel *trsm. antec. D. min.* Nemo tenetur h. e. potest sine injuria detrectare operam, *C.;* h. e. si praestare eam velit, potest exigere pretium, *subdist.* si pretio fuerit aestimabilis, *C.* secus, *N.*

Inst. Opera illa est *beneficium. A.* Beneficium mercedem naturali jure recipere potest. *E.* (C. d'Annibale, II, 533.)

R. C. vel *trsm. maj. Ad min. Dist.* Beneficium mercedem recipere potest ex gratitudine, *C.* ex stricta justitia debitam, *subdist.* si simul est onerosum vel praestat aliquid pretio aestimabile, *C.* secus, *N. Dist. pariter conseq.* [2].

b) *(Sive nova Inst.) A.* Est onerosum. Copia pecuniae praesto alicui non est sine praevia abnegatione qua quis ea expendenda abstinuit. *A.* Haec abnegatio est privatio quaedam quae in fenore accipit justum praemium seu compensationem. — Sic plures hodie, ut Bastiat *Harm.* VII. *Le Capital.*

R. D. maj..... sine praevia abnegatione formaliter accepta et in bonum debitoris facta, *nego;* sine materiali quadam, plerumque proprio privatoque, v. gr. ditescendi, studio imperata, *C. Cdt. min.*

---

[1] Cfr. Molinam, d. 304; C. de Lugo d. 25, s. 2 et 3; Ballerini, l. c.

[2] Optime Cl. Jannet, *Le Capital*, etc. p. 83. « L'idée de Bentham, de Hume, de Turgot, de Bastiat, que le *service rendu* est la cause de la perception de l'intérêt, amènerait à justifier toutes les spéculations sur les passions ou la position embarrassée de tel ou tel emprunteur. »

Objectio ista offendit sensum communem, et merito a socialistis irridetur. Cfr. Pesch l. c. p. 41, 42; Weiss l. c. p. 673; Antoine l. c. p. 503, n. 4. Summum concedi possit, per legem positivam, quatenus conferat ad bonum commune acui studia parsimoniae, hac de causa opportune permitti moderatam fenerationem.

c) In mutuo semper juste compensatur *tempus* per quod debitor differre possit solutionem. Exinde enim pecunia credita fit bonum praesens mutuatario, futurum vero creditori. *A.* Pluris fit bonum praesens bono futuro. *E.* Sic Böhm von Bawerk, *Kapital und Kapitalzins*, t. 2, p. 300.

R. Nego assert. et *ad arg. Divido maj.* Fit praesens mutuario, *C.* futurum creditori, *dist.* et simul incertum vel cum damno aut lucro cessante, *subdist.*; semper, *N.* aliquando, *C.* — *Ad min.* Pluris fit bonum praesens quia magis certum, vel sine expensis non acquiritur, et interea quis privatur utilitate, *C.* secus, *nego* [1].

Loquimur de iis quae habentur per se, et in omni conditione societatis. Insuper si per intervallum fit bonum futurum, in momento solutionis pecunia fit iterum bonum praesens.

d) Neganda est *sterilitas* pecuniae. Non major enim sterilitas est pecuniae quam cultri vel agri, qui, sine hominis opera, neque utilitatem neque fructus praebent. Adhibita vero hominis industria, ut v. gr. in negotiatione, etiam pecunia dicitur et est fertilis. Cfr. *Tüb. Quart.* 1879, p. 25.

R. Negatur paritas.

Namque usus primarius cultri vel agri, et is objectivus, servat substantiam apud utentem, et vel utilitatem vel fructus affert; dum pecunia per se perit utenti, et ejus absumptio non est de se (semper) fructuosa. In casibus vero particularibus, considerandum, secundum thesim superiorem, utrum utilitas sit propria cedentis usum, an utentis. Ponimus autem non agi contractum societatis. Cfr. dicenda in thesi proxime sequenti.

e) Mutuum continet *obligationem non repetendi* pecuniam ante certum tempus. *A.* Haec est semper pretio digna. *E.*

[1] « Si un *tiens* vaux mieux que deux *tu l'auras*, le bons sens dit assez que c'est à cause des risques. » Cauwès, *Cours d'économie politique*, n. 886, ubi egregie redarguit opinionem istam. Imo, addit evenire ut bonum futurum majoris fiat quam praesens, et exemplum affert nominorum publicorum *(fonds publics)* quae praesumuntur valoris esse crescentis.

Probatur min. ex paritate cum obligatione dandi mutuo, quae aestimabilis est pretio. Sin minus, improbari non potuisset, tanquam usuraria, stipulatio qua creditor obligaret mutuatarium ut deinceps referret vicem altera mutui datione. Sic. Ball. III, p. 615, n. 255 et p. 650 n. 323.

R. Trsm. maj. nego min. et *ad prob. nego paritatem.* Nam, praeterquam quod obligatio contrahendi mutuum, ex minus determinatis adjunctis illius futuri mutui, facilius evadit per se onerosa, haec infert alienationem libertatis, qua quis non tenebatur. Obligatio vero non repetendi ante certum tempus, non est presse dicta obligatio seu vinculum personale : est mere observatio concessi juris realis. *A.* receptum est non posse pretium exigi ad satisfaciendum obligationi ex justitia jam susceptae, seu ad observandum jus alterius. Sic inepte donator exegerit pretium pro obligatione numquam repetendi rem donatam. Sic qui loquitur, jam tenetur ex justitia ad veritatem non damnose laedendam : poterit pacto oneroso obligari ad loquendum, non vero ad non proferenda verba injuriosa. Similiter, actio ostendendi viam non est pretio aestimabilis ; sed quid prohibet quin quis pro pretio se obliget ex justitia ad hoc officium praestandum ? Et, ut Mol. d. 304 observat, pro pretio possis te obligare ad vendendum ; sed, in ipsa venditione, praeter rei pretium, non posses aliquid exigere ob necessitatem carendi deinceps illa re. Quare obligatio non repetendi pecuniam creditam, non est *formaliter* ut *obligatio* pretio aestimabilis ; sed solum aliunde, ut explicatum est in probatione. Quod si dicas privationi pecuniae de se inesse aliquod incommodum, hoc satis securitate majore quam obtinet creditor compensatur. Ponimus enim certam esse restitutionem pecuniae. Cfr. ipsam probat. Hanc difficultatem late versat C. de Lugo d. 25, s. 3, nec probamus ejus responsum n. 24 ; magis nobis placet n. 25.

2. NEQUIT PECCARI USURA NISI HABEATUR ABUSUS ALIENAE NECESSITATIS. Illi enim qui nulla necessitate compulsus mutuum petit, quippe « scienti et volenti » non fit injuria. *Tüb. Quart.* 1869, p. 409-411.

R. Nego assert. et rationem.

Aeque enim ac necessitate, aliquis passione, cupiditate subjectiva compelli potest ad mutuum faciendum, et proin aeque invitus solvere usuras illicitas vel immoderatas. Cfr. S. Th. *De Malo*, q. 13, art. 5 ; Mol. d. 304, n. 11 et Zech. Dissert. 1, n. 154. Praeterea abusus alienae necessitatis interdum mere caritati adversari potest, ut si, dum pauperi indigenti erat opitulandum, non tribuas pecuniam nisi sub fenore per se moderato.

B. CONTRA SECUNDAM PARTEM.

1. EX IPSA PECUNIAE STERILITATE arguunt socialistae contra hodiernam liceitatem fenerationis.

R. Pecuniam esse sterilem in se, non semper in aequivalenti vel ut instrumentum negotiationis. Quod posterius cum rursus negent, id in sequentibus demonstrabitur.

2. PRO EXPLIC. PER CONSUMPTIONEM FRUCTUOSAM. Statim atque habetur consumptio fructuosa apud mutuatarium, fenus peti potest. Nam concedunt pecuniam jam tunc non esse sterilem. Fit ergo quasi-locatio pecuniae. *Tüb. Quart.* 1875, p. 220.

R. Neg. antec. Nam licet pecunia mutuatario non sit sterilis, non sequitur eam esse creditori vel in se frugifera. Aliter dixeris, si ipse creditor partem habuerit in negotiatione, vi contractus, et suppeditarit pecuniam, ita ut, socius negotii, existimandus sit pecuniam ipse suam utiliter impendisse. Cfr. Molinam, d. 304, n. 12.

ARTICULUS III. **Supplementa doctrinae**

I. *COROLLARIA.*

378. Qua mente hodie exigatur fenus. Probata nostra explicatione, sincere fateri licet, quod veritati videtur consentaneum, plures ex iis qui hodie fenerantur nolle vel negotiari vel censum aliquem emere, sed simpliciter habere voluntatem eundi in creditum pecuniae, et ex hoc contractu obtinendi lucrum. Cfr. Pesch, l. c. p. 46-48.

Quod ipsis licet, quia pecuniae inest hodie ex communi aestimatione ratio « *capitalis* » cujus concessio etiam temporalis habet valorem [1].

379. Mutuum est propria sedes peccati usurae. Ex thesi consequitur per usurae peccatum violari aequalitatem propriam contractus mutui, qui proinde illius peccati

---

1 Illud praeteriit Cauwès, rationes quibus, 886, 978, ostendere conatur honestatem fenerationis non semper obtinuisse. Non semper pecunia possessa communiter habita est pro *capitali* seu fonte lucrandi.

erit sedes propria. Mutuum autem intelligendum est tum *formale* tum *virtuale* quo saepe altera miscetur pactio, v. gr. venditionis dilata pretii solutione *(vente à crédit)*.

Atque ita semper fuisse intellectam rem ut usura conjungeretur cum credito rei fungibilis, facile constat legenti SS. Patres et antiquitatem. Nescimus quo jure cl. prof. Funk istud fingat inventum medii aevi [1]. Usuram collocari in mutuo testati deinde sunt uno ore jurisperiti [2] et theologi; sollemniter denique declaravit Benedictus XIV, Enc. *Vix pervenit.* Cfr. supra, n. 360, p. 458.

380. Feneris taxatio non raro dicitur fieri collatis inter se probabili lucro et probabili damno quae utenti pecunia communiter obtingerent in tali loco et tali aetate. Inadaequata tamen est ista consideratio, cum negligat hanc non spernendam utilitatem pecuniae possessae qua conciliat fidem *(donne crédit)*. Quare maluerimus dicere, *justum* per se *fenus haerere paulo infra communem spem emolumentorum possessae pecuniae.* Ipsa spe paulo inferius fenus statuimus, quia usus pecuniae ad negotiandum variis periculis est obnoxium, ita ut computanda sit praestatio securitatis quae promittitur a mutuatario *(prime d'assurance)*.

Porro fenus communi aestimatione taxatum augeri nequit nisi ob extraordinarium titulum extrinsecum. Communia enim adjuncta in pretio vulgari jam computantur, ut diximus supra, n. 343, 366.

II. ***SCHOLIA.***

381. Usurae modernae nomine intelligunt nonnulli omnes artes injustae lucrandi quibus scatent hodierna negotia [3]. Per nos quidem licet, sed quum existimant has

---

[1] *Tüb. Quartalschrift*, 1869, p. 404, 405.

[2] Cfr. jam Henricum C. Hostiensem, *Summa aurea* Tit. *De Usura.*

[3] Ita v. gr. R. D. Dehon, *L'Usure au temps présent*, p. 4, p. 29, 30; qui existimat hanc rationem jam contineri glossario Littré, v° *usurier* : « Ce mot s'applique aussi à celui qui profite des malheurs ou des nécessités d'autrui pour étendre sa fortune. » Haec tamen descriptio magis quadrat in rationem usurae datam a R. D. Funk : abusum alienae necessitatis ex praevalente conditione.

denunciari fraudes et nequitias per verba Enc. *Rerum Novarum* (initio) : « Malum auxit usura vorax, quae non semel Ecclesiae judicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem, » ipsos autumamus a vero aberrare. Mirum enim foret a S. Pontifice affingi significationem peregrinam vocabulo cujus vis tot ecclesiasticis documentis est definita ; usura, praeterea, quae Ecclesiae judicio est damnata, dicta est sedem propriam habere in mutuo ; *species* autem *nova* facile intelligitur nova aliqua ratio usurae palliatae, ut quae non raro exercetur dum, per causam juvandi solutionem, mentibus certas res hae partes pretii statuuntur ordine in singula intervalla solvendae, quae simul sumptae nimis superent valorem *(payements par acomptes)*. Et plura alia afferri possent exempla [1].

382. Peccatum contrarium usurae, id est indebita negatio feneris, non ita raro hodie a divitibus committitur, quum, ultra quam usu fas est, differunt solutionem eorum quae debent exiguis mercatoribus, sexcenta ipsis afferunt incommoda et detrimenta, quae, ne moderato quidem fenore, aliquatenus compensare cogitant [2]. Iniquam dilationem jam vituperat S. Antoninus, *Summa,* p. 2, t. 1, c. 17, § 7.

383. Nostrae sententiae patronos recensere plures possumus theologos vel oeconomistas, RR. PP. Lehmkuhl, Pesch, Antoine, e S. J., opp. cc., quorum explicatio nostrae est valde similis [3].

Existimamus tamen, contra atque opinatur R. P. Lehmkuhl, eum qui hodie credit pecuniam adhuc vere mutuum facere. Fit enim mutuum eo quod conceditur, non quidem res *sterilis,* sed res *fungibilis,* qualis est et manet pecunia. Non ideo tamen permittimus fenus vi mutui, cum arguamus ex aestimatione communi quae innititur in ratione non omni mutuo contenta

---

1 Multas esse hujusmodi formas testantur investigationes de quibus publice relatum est in Parlamentis. Cfr. v. gr. Brants, *L'usure dans la législation contemporaine*, p. 10.

2 Pressius de hoc argumento scribere conati sumus in *Bien Public*, 9, 10, 11 febr. 1900, sub titulo, *Les dettes criardes*.

3 Imo ab hac ratione non videtur alienus D. Gide, ob ea quae habet in opere *Principes d'économie politique*, l. 4, c. 4, § 4, p. 576, 577.

sed adventitia ex praesentibus adjunctis. — Pariter, cum negemus a creditore suscipi presse dictam obligationem, minus probamus formalem illam explicationem, qua R. P. Pesch dicit fenus esse pretium istius obligationis, et mutuum esse pactionem bilateralem; etsi ipsi damus carentiam pecuniae esse hodie pretio aestimabilem.

384. A quo tempore universaliter fas fuerit fenerari? Aegre quispiam, ut in similibus fere contingit, possit subducere tempus quo vicissitudines rerum tales evaserint ut tribuerint valorem objectivum facto credendi pecuniam. Profecto in medio aevo, quum latae sunt leges ecclesiasticae, tales nondum erant conditiones, neque tales jam esse agnovit Ben. XIV, licet fortasse in quibusdam urbibus, non item in pagis tunc obtinerent. Nostro vero seculo, postquam effrenatae cupiditati omnes habenae laxatae sunt, et ob commeatuum copiam inducta est maxima ubique similitudo conditionum vitae, celerrime ad istum statum, non undequaque felicem, est perventum. Cfr. Pesch, p. 71 in nota.

385. De Censibus et Trino contractu. Perspecta bene ratione cur in mutuo de se non admittendum sit fenus, sat facile apparet non committi usuram ab eo qui ope pecuniae comparat sibi jus percipiendi fructuum partem ex re frugifera, vel qui, vi contractus, conjungit pecuniam cum negotiatione. Et hac ratione plures theologi defendebant emptionem censuum et trinum contractum. De his brevissime.

1. *Census* designat annuum redditum ex re frugifera. Porro frugiferae sunt cum *natura* tum *humana industria*. Inde census *realis*, qui respicit definitam rem frugiferam alterius, utputa agrum, pratum ; et *personalis* qui respicit alterius operas, infinite. Censum emit qui jus acquirit obtinendi quotannis, ex re vel operis alterius, certum lucrum vel pretium ; et vocatur *censualista ;* dum qui solvere debet, dicitur *censuarius*. Acquiri illud jus potest vel *solutione certae summae,* vel *traditione* ipsius *agri,* prati, rei frugiferae, *reservato* tradenti *jure* in partem fructuum. Quare is dicitur *reservativus*, dum prior est *designativus*, in quo mere designatur res frugifera affecta illa quasi-servitute.

Census est *redimibilis* ex altera parte vel ex utraque, si, volente alterutro, solutione unius summae longe majoris finem habeat obligatio solutionis annuae. Secus est *irredimibilis*.

Census *realis* contractus sollemniter est approbatus a Martino V; et a Calixto III, C. *Reginini universalis Ecclesiae.* De censu *personali*, praesertim redimibili, magis dubitatum, imo ob periculum abusuum prohibitus fuit per const. *Cum onus* S. Pii V; quae prohibitio obtinuit tantum in Italia.

Facile intentione usuraria hunc infici posse contractum, vel reapse, si nimius census sit solvendus, usuras exigi, non est negandum; sed de se contractus immunis est ab illa labe, dummodo: α) Census revera fundetur in re frugifera. Propterea « certissimum apud omnes » asserit Sporer, requiri personam industriam et lucrari potentem; β) Summa annua sit moderata; et, si emens in nullam eat aleam vel resolvere possit contractum, justa proportione ob has causas minuatur.

Quam liceitatem egregie probat Sporer *Tract. VI, In Decal.* c. 6, n. 16-24.

2. *Trinus contractus.* Erat contractus societatis quo, ad certum negotium in spe lucrativum, alter conferebat operas, pecuniam alter; is vero simul duplici assecuratione vitabat duplicem aleam in quam vi prioris contractus ire debebat. Nam pro lucro incerto spondebatur ipsi lucrum minus, sed certum; et ipsius sortis periculum, imminuto magis lucro, refundebatur in alterum contrahentem. Disputabant auctores, num cum uno eodemque liceret triplicem seu trinum illum contractum inire; et, ob magnum periculum abusus, haec pactionis ratio damnata est a Sixto V constit. : *Detestabilis avaritiae,* 1586. In se tamen, dummodo ad justam normam exigatur lucrum fixum, nihil videtur continere quod juri naturae adversetur.

His et similibus contractibus, poterat quis olim pecuniam utiliter et juste impendere. Neve existimes sic ad vanas subtilitates recidere res. Nam isti contractus fieri non poterant nisi quum in promptu erant res frugifera vel negotium lucrativum; et aliquis, qui vel jus ad percipiendos fructus agri aut industriae suae cedere, vel socium admittere vellet in negotiatione.

Errant ergo nec satis perspexere veram rationem inhonestatis lucri quaesiti ex mutuo, qui existimant theologos quasi necessitate fuisse coactos, ut excusarent contractus qui per se ipsorum severitatibus repugnassent.

QUAESTIO DECIMA

DE LOCATO-CONDUCTO OPERARUM

CONSPECTUS QUAESTIONIS

386. Ordinatio quaestionis. Praecipua illa quaestio hodierna, qua definiendae sunt mutuae operariorum et magistrorum rationes, videtur nobis *tres* potissimum *partes* complecti in quibus per totidem capita versabimur. Ordine itaque dicemus :

1. *De forma contractus* quo promittuntur operae ;

2. *De ejus justitia,* nominatim de *justo salario* ;

3. *De consequente habitudine* seu de mutuis officiis magistrorum negotii et operariorum ; cui capiti

4. Subjiciemus quaestiunculam *de pactis* et conventis quibus, ut dicitur Enc. *Rerum Novarum,* artifices « opere se solvunt ex composito » et quampiam plebis secessionem imitantur. Haec a nobis, uno vocabulo, dicentur *operistitia.*

387. Qua ratione dicamus de forma contractus. Ne videamur ab initio, ex perperam intellecta intentione, in aliquam incurrere vituperationem, juvat accurate explicare, quid, in prima parte, appellemus *formam contractus.* Forma enim contractus potest designare quicquid contractum vel constituit vel consequitur, vel, si mavis, cum ipso consensu, quicquid juris et officii ex consensu vel per occasionem consensus nascitur ; aut potest pressius sumi de ipso genere stipulationis ac de prima veluti ejus essentia. Tunc non considerantur nisi objectum mutui consensus et effectus quorum consensus est imme-

diata causa. Ita depositum et conductio rei inferunt aliquam rei curam, quae tamen ad formam seu essentiam presse sumptam non pertineat sed consequitur utrumque genus stipulationum.

Jam vero hoc posteriore et restricto modo sumimus formam in prima parte. Adaequata enim contractus ratio [1] in fine tantum quaestionis proponi poterit.

CAPUT I

DE FORMA STIPULATIONIS OPERARUM

Liberatore, *Principii di economia politica*, p. 1, c. 3, art. 6. et p 2, c. 5, art. 2; ***Antoine***, *Cours d'economie sociale*, c. 11; ***Lehmkuhl***, *Arbeitersvertrag und Strike*, gallice redditum a D. Fritsch, sub titulo: *Le contrat entre patrons et ouvriers et les grèves*; ***De Gryse***, *De Contractu conductionis*. Et, ex parte adversa, ***K. Marx***, *Das Kapital*, t. 1, c. 1 fine et c. 5 (editionis gallicae, c. 1 et c. 7).

ARTICULUS I. Notiones anteceptae

388. De genesi valoris, variae sententiae. Non minus de genesi quam de natura valoris disputatum est et multipliciter erratum. Paucis hic recensemus varia quae in hac re, cum tradenda conclusione valde connexa, placuerunt.

Diu, praesertim sec. XVI et XVII, hoc errore, qui magis factis quam theoriis erupit, decepti sunt reipublicae periti, ut in *abundantia pecuniae* (cujus valor variat pro copia rerum quae per ipsam obtinere possunt, ita ut aliarum mercium communem habeat indolem) reponerent divitias gentis. Quare, ubi deessent aurifodinae vel argentariae, favendum esse commercio et iis artibus quibus pretium rerum augeatur; et id per leges, nominatim per portoria curandum, ut summa rerum venditarum superaret emptiones. Quae opinio plurimum Hispaniae nocuit; et quum in Gallia eam persuasam habuerit Colbert, minister regis Ludovici XIV, dicta est gallice: *Colbertisme*. Appellatur etiam *Système mercantile*.

Ex adversa veluti parte, Quesnay, medicus Ludovici XV, uni

[1] Sic latius solent gallice disputare du *contrat de travail*.

naturae tribuebat vim augendi valorem, cum artes nihil adderent copiae rerum jam exsistentium. Quare maxime favendum dicebat agriculturae et excitandis pascuis. Quod systema vocatur *agrarium*, ejus vero patroni *Physiocratae* vel etiam *Oeconomistae*, quia tum primum istis rebus coepta est adhiberi scientifica methodus.

Hanc theoriam excepit doctrina Adami Smith, qui docuit labente sec. XVIII, et pater habetur scholae oeconomicae quam *classicam* vocant, vel etiam *liberalem*, quia omnimodam coeperunt praedicare libertatem laboris, commercii, etc., ex qua, studio quaestus et lucri impellente animos, summam sperabant populis temporalem felicitatem. Celebris est eorum formula: *Laissez faire, laissez passer*. Qui hodie ad hanc familiam pertinent, quandoque vocantur *orthodoxi*. Agedum Smith, in comparandis divitiis ita potissimas partes tribuit *labori* et *industriae hominis*, ut postea fuerint qui omnem valorem novum labori ut uni causae ascriberent. Systema scholae liberalis, cui plures adhuc adhaerent, etiam nomine *Industrialismi* insignitur.

Omnem porro vim gignendi valorem referendam esse ad unam industriam humanam ut adaequatam causam non parum acceptum esse debuit *socialistis*, qui praeterea contendunt tantumdem operariis eripi fructuum, per se ad ipsos pertinentium, quantum ex quaestuosa negotiatione redundet eis qui pecunias contulerint. Cfr. n. **176**, p. 193; et n. **343**. 2.

389. De Divitiis et Capitali. 1. Verbum *Divitiae* latius patet apud oeconomistas quam apud vulgus. Dum enim, communi populi usu, ii tantum divites dicuntur qui opibus abundant, singulae res quae pretio sint aestimabiles ab oeconomiae peritis divitiarum nomine insigniuntur.

2. Ipsi verbo *Capitalis* bina genera rerum subjici consueverunt, prout *proprie* vel *metaphorice* usurpatur.

a) *Proprie*. Ne tunc quidem est unus vocis intellectus. Sed:

α) *Latiore acceptione*, dicuntur *capitalia*, quaelibet res pretio aestimabiles, seu quaelibet divitiae, quae usui quaestuoso destinantur. Sic intelliguntur bona et vires datae a natura [1] *(agents naturels)* praeter ea quae comparata

[1] Quia tamen naturae vires non solent separatim quid efficere, et quaelibet fere divitiae conjunctas simul postulant operas hominum et naturae, ideo divitiae dicuntur aliae *naturales*, *artificiales* aliae, non quia aliae fetus sint solius naturae, aliae artis; sed quia aliae utilitatem praebent in specie sua naturali: aurum, animalia; aliae, qua mutatae arte: variae machinae, vestes.

sunt alio hominum conatu, opponiturque capitale uni labori seu hominum industriae. Atque hanc in praesenti re sumimus vim verbi.

β) Sensu *magis stricto* designat rem, superiore partam labore et generandis divitiis iterum addictam. Hoc modo ager, v. gr. non est capitale ut naturaliter est fertilis, sed tantum quatenus hominis industria majorem acquisivit fecunditatem. Unde jam tunc distinguunt in negotio quaestuoso, *naturam, (les agents naturels), laborem, capitale (richesse épargnée en vue de la production).*

Istud porro capitale distinguunt *fixum* seu *permanens* vel immobile, continens aedificia, instrumenta tum inanima tum animalia, fertilitatem (acquisitam) terrae; et quicquid in ipsa valoris genesi non consumitur ; et *mobile* seu *transiens (circulant),* quod absumitur negotio : materiam convertendam *(matière première),* res effectas nondum venditas, atque in antecessum comparata alimenta et cetera quae sufficiant victui et obviis impensis. Posteriora haec saepe pecunia repraesentantur et constituunt *le fonds de roulement.* Aliquando specialius haec pecunia nomen retinet *capitalis.*

b) *Metaphorice,* usu plane diverso, hodie non raro capitale significat pecuniae summas, nomina, titulos, *(titres de rente, créances, actions)* quae emuntur, venduntur, commutantur, quatenus illorum possessori annuum redditum conferunt.

Priore modo *Capitalista* ille est qui possidet fundum, instrumenta industriae; altero, est ille qui certa jura activa vel nomina possidet.

Et vocabulum *Capitalismi,* ad utrumque sensum accommodatum, significat vel praevalentem usum machinarum in gignendis rebus ; vel maximum momentum quod hodie habent hujusmodi syngraphae, quas quidam callide nec semper honestis artibus magna vi congregant et dein divendunt, quo, sine labore, divitiis affluant, et plurimum valeant in societate.

390. De Societate. Contractus iste *huc spectat, ut duo vel plures rem vel operam conferant in communionem usus vel praecipue lucri.* Continet itaque aliquam *communitatem rei* vel *negotii,* proindeque *periculi* et *lucri.*

Varia tamen ratione societas iniri potest. Vel enim viget inter socios perfecta communio periculi ; vel, ex quadam *assecuratione,* periculum, sive adaequate sive inadaequate, refunditur in nonnullos, quibus haec alea diversis commodis compensetur. Itaque, quod operarius recipiat stipendium statum ac certum, id non obstat quin pro socio admittatur. Erit enim statum stipendium, si officinator, v. gr., praestet operario duplicem securitatem : dum, solvendo ipsi summam statutam, eripit eum periculo amittendi quasi sortem suam *(capital-travail),* et dum, pro lucro incerto, minus sed certum ipsi spondet. De his autem et socio caveri potest, ineundo contractum quem *trinum* vocant. Cfr. supra, n. 385. Si vero qui magister est in societate inadaequate tantum in aleam istam eat, operario, praeter partem praestitutam mercedis, altera cedet quae ex lucro variabit.

Significabitur ergo *societas,* si ea quae cuique competunt definiuntur non ex communi pretio rei vel operae quae confertur, ratione universali, sed ex *rationibus propriis negotii quod agitur,* sive aestimentur in antecessum ex spe, sive ex eventu, finito negotio.

391. De Locato-Conducto. Hac pactione *alter (locator) pro certo pretio promittit alteri (conductori) per certum tempus utilitatem rei vel personae.* Quare a locatione *rerum* distinguitur locatio *operarum,* quae versatur in operis personae humanae. In hoc ergo contractu operarius alienus manet a negotii dominio et fructu, ita ut justo pretio locatarum operarum circumscribantur ea quae, ex presse dicta justitia, sibi per negotium acquirere valet.

A locato-conducto *operarum* stricte intellecto, fac distinguas locationem *operis,* i. e. pactionem ubi operarius non tam operas promittit quam opus sua industria vel labore efficiendum. Tunc potius ipse operarius *conducit,* illud suscipiendo, certum opus

quod alter ipsi committit faciendum et veluti *locat*. Quare, si attendamus ad vim propriam verborum, *operarius* dicitur *conductor, redemptor operis,* et ille *qui pretium promittit, locator.*

Jam solent in officinis ad hanc contractus rationem accedere [1], quum non ex tempore *(travail au temps)* quam copia rerum effectarum *(travail à la pièce)* definitur merces.

392. Fructus oeconomicus, industrialis, civilis. *Oeconomicus* dicitur fructus lucrum temporale factum labore vel capitale ; estque *industrialis* si collectus est a socio negotii, *civilis* autem si est pretium utilitatis alteri concessae, i. e. locatae rei vel industriae.

Ipsa rei *fruitio* superat ordinem oeconomicum.

ARTICULUS II. Formula et argumenta conclusionis

THESIS XXVII

Lucrum ex negotio faciendum per se pro rata pertinet et ad eum qui confert laborem et ad eum qui Capitale sumministrat.

Forma tamen cujuspiam societatis inter rei magistrum et operarios, etsi per se perfectior et magis ad aequalem personae humanae dignitatem conveniens, non sola est justa forma contractus, sed in se honesta etiam est vera locatio operarum.

393. I. Status Quaestionis. 1. INTENTIO THESIS haec est, ut in priore parte statuamus inter quosnam, seclusa omni pactione, dividendum sit lucrum humana industria comparatum ; in altera vero, quae species conventionum probentur vel etiam a natura in se praeferantur. *In se* inquam. Pluribus enim difficultatibus impediri potest forma per se melior. Quare praeterimus hanc alteram quaestionem de usu formae melioris, utrum necne ejus inducendae habeatur opportunitas vel etiam universalis copia.

2. EXPONUNTUR VOCES.

Lucrum ex negotio faciendum, seu fructus oeconomicus in quem comparandum homo operam suam aliquo modo impendere debet. Quod, moraliter loquendo, semper

[1] Accedere, inquam : plerumque enim non est nisi ratio *indirecta* taxandi operas, quo operariorum sollicitetur diligentia.

exigitur, cum nulla proprietas acquiratur saltem sine *occupatione*. Vox *negotio* itaque late sumitur. Nullatenus circumscribimus thesim fructibus qui stricte dicuntur *industriales*, eo quod in iis gignendis operae hominum praecipuam partem habent.

Lucri porro nomine intelligimus incrementum valoris, *la plus value*, *le produit net*. Non solum ergo ambo genera personarum repetere possunt tantumdem (quod nemo negat), sed, si res prospere cesserit, plus quam contulerint.

Per se. Tum enim justa conventio, tum socialis ordinatio haec mutare possunt. Sic legitime inducta servitus servum privat dominio operarum suarum, ac proin omni lucri portione.

Pro rata, quae ex quantitate, qualitate, virtute, secundum communem aestimationem; et, quatenus deest, secundum libere factam pactionem est definienda. Quod dicere possumus *pro rata meriti*.

Ad eum qui confert laborem. Laborem intelligimus et qui corpore exercetur, et qui ad intellectum pertinet, seu quo negotium excogitatur, ordinatur, etc.

Et ad eum qui Capitale sumministrat : Capitale sumas proprie, non tamen stricte. Cfr. n. 389.

Forma tamen cujuspiam societatis : varias rationes dedimus n. 390.

Inter rei magistrum : eum accipias qui quaerit subsidium operae alienae, potissimum ad gerendum negotium in spe lucrativum, cujus curam habet principalem *(Le Patron)*.

Et operarios : quos intelligimus hic potissimum eos qui tanquam *famuli* vel *opifices* suas operas praebent.

Etsi per se perfectior : gallice dixeris : *répondant mieux à l'idéal*. Nihil ergo pronunciamus de rei opportunitate. Imo satis constat, hodie saltem, eam non posse in universum induci.

Et magis ad aequalem personae humanae dignitatem conveniens, vi cujus homines non sunt subordinati, sed coordinati ad eumdem finem.

Non sola est justa forma contractus : justitiam intelligimus *commutativam.*

Sed in se honesta etiam est, quatenus nullis malis artibus procuretur.

Verum locatum-conductum operarum. Cfr. n. 391.

3. SENTENTIAE. *Utrique parti* thesis refragantur *socialistae*, cum injuste putent lucri partem cedere Capitali et respuant alienationem operarum qualem ponit contractus locationis.

Nec *priorem partem*, nec generalem et temperatum assertum quo altera pars exorditur negabunt *catholici*, nisi quod, pro variis studiis quibus feruntur, in partiendo fructu, alii magis Capitali, vel administrationi, alii magis labori opificum favebunt ; et alii aliis facilius suadebunt formam societatis. *Posterius* autem *assertum*, de honestate verae locationis operarum, videtur minus placere etiam *catholicis quibusdam* viris. Etenim, in conventu de re sociali, quem, mense junio 1882, catholici e variis nationibus habuerunt in Bohemiae castello Haid, censuerunt contractum inter operarios et negotii magistros esse necessario contractum cujusdam societatis [1] ; justitiam vero *simul* exigere, ne haereret stipendium infra summam quae satis esset ad victum operarii ejusque familiae, et ut ratio haberetur lucri ex negotiatione percepti. Ambo haec vix inter se non pugnare, ex dicendis facile patebit.

II. **Probatio.**

394. A. QUOD AD PRIOREM PARTEM. ***Lucrum ex negotio faciendum, per se, pro rata pertinet ad eum qui confert laborem et ad eum qui Capitale sumministrat.***

Laudes, praemia et emolumenta ex re quadam percepta communiter ad eos per se pertinent qui rei moralis sunt causa. Ex aequalitate autem personali hominum consequitur distributionem esse faciendum pro rata meriti.

A. Qui deliberate, et hac ductus intentione conferendi

---

1 « *Contrat social* », qui nomen habet *contrat de Haid.*

ad generandum valorem, praestant sive laborem sive Capitale, causa moralis sunt valoris novi effecti.

E. Pro rata meriti, utrisque cedit lucrum.

Ad maj. Moralis enim causa, in praesenti argumento, ea est quae per actum humanum aliquid procurat quod vel valeat in effectum, vel saltem requiratur ut effectus haberi possit. Ipsi propterea imputatur effectus [1]. Imputatio autem dicit meritum laudis, dignitatem praemii, acquisitionem, per occupationem, rei quae propria fieri potest. Quare, cui ejusmodi rei ascribitur efficientia moralis, eidem a nemine negatur ipsa rei proprietas. Quod adeo verum est, ut nonnulli in labore posuerint factum primigenium quo res fiunt propriae. Cfr. n. 213.

Ad min. Qui praebet laborem, id praestat quod habet genus efficientiae principalis in novum valorem. Etenim quia valor non est tam res in se quam res actu utilis, gignere valorem, illud non est tantum augere copiam rerum, sed etiam rebus exsistentibus novam utilitatem actu conferre. Jam vero hoc facit et *physicus labor* humanae industriae, sive quum res terris abditas extrahit *(industrie extractive),* sive quum, adhibitis naturae viribus, res utiliter immutat, v. gr. ex filo telam texit *(industrie manufacturière),* sive quum res advehit illi qui re usurus est *(industrie commerciale);* et *intellectualis labor,* sive quum partes praecipuas exercet dirigendi prudenter physicas operationes, sive quum secundaria cooperatione amanuensium continetur.

Est autem *principalis causalitas,* quia homo se ipse movet et accingit ad opus.

Qui praestat Capitale, pro variis ejus elementis, vel praebet *instrumentum* [2] operandi, quod, licet movens motum, possidet distinctam virtutem; vel *materiam ex qua,* cui

---

[1] Cfr. Schiffini, *Princ. phil.* n. 613.

[2] Instrumenta illa recte dicuntur *frugifera,* tum quum juvant ad ipsas res procreandas vel ad hominum usus aptandas, tum quum per ea res advehuntur. Ita fere R. P. Lehmkuhl, *Theol. mor.* I, 1091.

competit quaedam materialis causalitas ; vel *subsidium quodpiam positivum,* sive alimentorum quibus disponuntur agentes, ita ut dici possit : *causa causae est causa causati,* sive loci ubi exerceatur industria, etc.

Indirecte idem patet, *quod ad Capitale,* eo quod, subtracto Capitali, in immensum veluti deminuitur efficacia industriae humanae. Quotidiano experimento id confirmatur, ita ut nunc dicant v. gr. agriculturam nulla alia magis premi necessitate quam Capitalis crediti *(le crédit).*

395. B. QUOD AD ALTERAM PARTEM. 1. ***Forma cujusdam societatis inter rei magistrum et operarios est de se perfectior et magis ad aequalem personae humanae dignitatem conveniens.***

Hac enim inducta, homo *immediate* in proprium bonum adhibet vires proprias, nec quod ad *usum* personae suae alteri subjicitur.

A. Per se,

a) Hoc magis congruit cum conditione naturali hominum;

b) Magis fovet industriam et solertiam ;

c) Magis firmat observationem aequalitatis personalis.

E. Per se, forma haec est magis perfecta, etc.

Ad maj. Hac enim forma contractus, unusquisque immediate pro rata colligit fructus quorum causa est partialis ; pro se operam impendit ; dum, in altero contractu, cedit jure quod habet in fructus laboris proprii. Magister et operarii, si societate fuerint conjuncti, ambo ut aequales versantur in eodem negotio.

Ad min. a) Natura suas cujusque proprias fecit facultates et vires, proindeque horum fructus. Qui ordo servatur in contractu societatis.

b) Spes propriae utilitatis stimulos et animos nobis addere solet.

c) Quia propensi sumus ad perverse utendum qualibet praevalentia, profecto certius reverebimur aequalitatem personalem eorum, qui, nulla prius inducta subjectione, ut independentes personae nobiscum procurant idem

negotium eumdemque persequuntur finem, quam eorum qui ipsa pactione nobis fiunt inferiores.

2. ***Non sola est justa forma contractus, sed in se honesta etiam est vera locatio operarum.***

Arg. 1. Directe id evincitur : a) Tum *ex consensu theologorum,* qui inter res locationi obnoxias posuerunt humanas operas. Hoc Molinae d. 489 ; Lessio c. 24, n. 1 ; C. de Lugo d. 29, n. 1, 54 ; Sporer *In Decal*, Tr. 6, c. 7, s. 2, n. 17 ; S. Alphonso d. 314, 857, etc., ita constabat, ut sine ambagibus definirent contractum locationis : contractum quo res vel persona ad usum conceditur. Et, jam sec. 13°, Robertus de Courçon in opere *De contractibus,* titulum inscribebat *De locatione operarum.*

b) Tum *ex ratione.* Concedunt hominem habere dominium utile corporis, virium, facultatum. Porro per se dominium proprietatis vendi, locari potest. Quo medio probaretur exceptio ?

Non eo quod fructus essentialiter cedant pro rata omni qui in eis gignendis partem aliquam habuerit : secus enim nec dominus agri, nec possessor pecuniae ea pro certo pretio utenda concedere possent ; neque eo quod ille contractus inducit relationem subjectionis : namque ipsa natura plures homines necessario aliis voluit esse subditos, utputa filium patri, subditum principi.

Arg. 2. indirectum. 1. Si adversarii vera dicerent :

a) Contra receptam doctrinam, omnis servitus esset essentialiter mala. Namque haec continet non tantum locationem, sed alienationem operarum.

b) Vix explicari possent loci Veteris Testamenti ubi de servis et ancillis frequens habetur sermo, dispositio ; nulla vero conditionis reprobatio.

c) Reprobandi forent usus omnium populorum, apud quos numquam praevaluit forma contractus societatis.

d) Statim atque mutuatarius pecuniam impendit lucrative, partem lucri cedere deberet creditori. Quod cum documentis ecclesiasticis omnino non potest conciliari.

2. Praeterea, quando quis aliena opera utitur ad negotia non lucrativa, v. gr. in multis quae praestant famuli, qua forma, nisi alicujus locationis, fieri posset pactio? Et etiam in negotiis de se frugiferis, v. gr., in domo aedificanda, quomodo ratam partem aestimabis quae competat operariis secundariis, qui vectarunt lateres, muratoribus auxilio fuerunt, etc. Cfr. A. Verhaegen, *Le Minimum de salaire,* p. 21.

396. III. **Difficultates.** A. Contra priorem Partem. Fere amputatae sunt.

1. Plerumque continent petitionem principii, ut cum dicunt pecuniosos labore alieno pasci. Nam tacite fingunt valorem signi ab uno labore. Sin aliter, aeque bene dixeris operarios pasci aliena pecunia. Sed ita profecto res a natura sunt constitutae, ut uterque alatur fructu legitimo operationis in qua alter alterum, diversa licet ratione, adjuverit.

Neve reponas magnam certe partem Capitalis, v. gr. materiam primam esse mere « *passivam* » ; namque, hoc omisso quod et ei insint vires naturales, nonne debuit *agere* possessor, tum ut servaret res, tum ut eas opifici utiliter sumministraret?

2. K. Marx sic fere arguit *(Das Kapital,* c. 5). Postquam mysterium dixit esse cur materia prima, post elaborationem, valore cresceret, hanc tradit rei explicationem, quod in eam plus operarum fuit impensum. Sed quum opifex plerumque post sex horas sibi quotidianum victum compararet, et tamen diutius laboraret, pro reliquo labore nullam ei tribui mercedem. Augmentum valoris esse itaque certam quantitatem laboris, cujus pretium non solveretur opifici sed « capitalistae », qui sic « parasitus », esset operarii. Haec rursus jam explosa sunt ex thesi de valore. Cfr. 341, 343. Satis erit in praesentia recolere hac conclusione bina contineri prorsus a vero aliena :

a) Omnis rei valorem aestimari quantitate laboris universe necessarii ad eam procreandam. Cfr. 343, 2.

b) Salarium exigi ad normam necessarii victus opificis.

Ad mysterium vero quod attinet, cum res mutata majoris fiat usus, quid mirum si pluris aestimetur et proin majore sit pretio ?

B. CONTRA ALTERAM PARTEM.

1. Operanti competit necessario jus in ea quae parit, sicut causae addicitur effectus. *E.* Operario jus innatum inest ad ratam fructuum.

R. C. ant. D. cons. Nisi ipsum laborem vendiderit aut locaverit, *C.* Secus, *N.*

Facta illa locatione, operarius non jam percipere debet pro rata fructum industrialem suae cooperationis, sufficit autem per se ut salarium respondeat ei lucro quod communiter talis labor gignere valet (Cfr. thes. seq.). Aliter ergo solvimus difficultatem atque illi qui *ad hominem* probare conantur id effici per ipsum salarium ut operarius per se omnem fructum obtineat suae operae. Ita, v. gr. P. Leroy-Beaulieu, in art. inserto in *Dictionnaire d'économie politique* de Say, v. *salaire,* 6°.

2. Haec ipsa alienatio repugnat justitiae.

R. neg. donec probetur.

Multis de causis, aequalitas illa absoluta, qua alter alteri nihil positivum ex justitia debet, immutatur, minime in hoc repugnante justitia.

ARTICULUS III. **Supplementa doctrinae**

I. ***COROLLARIA.***

397. Vera novi valoris origo. Ergo, *novus valor immediate oritur ab industria hominum plerumque ope Capitalis utiliter laborantium in re suppeditata a natura.*

Sicut autem errabat Quesnay, dum confundens *res novas* et *novum valorem,* autumabat unam terram, quia sola gignit res, esse fontem divitiarum, nec fortasse satis attendebat labore humano augeri hanc ipsam soli fecunditatem ; ita errant socialistae, dum maxime considerantes nullum fructum haberi sine labore et industria hominum, omittunt observare quid addatur per Capitale virtuti humanae operae. Decipiuntur etiam quum omnem causalitatem ad solam *immediate* efficientem revocant.

Neque immerito carpit Liberatore, op. cit. n. 39-41, usum quo oeconomistae solent tres numerare causas efficientes divitiarum ; *res naturae (agents naturels), capitale* (sensu strictiore, cfr. **389**) et *operam humanam.* Horum trium enim nec par est *necessitas*

nec similis *causalitas*. Minus absolute requiritur Capitale, sensu stricto, namque, cum fructus sit superioris efficientiae, prima negotia seu opera suscipi debuere sine Capitali; dissimilis est trium causalitas : etenim, dum proprie dicta efficientia ascribenda est viribus naturae et operae humanae, Capitali inest tantum vel materialis aut summum instrumentalis causalitas vel ratio subsidii cujuspiam necessarii. Cfr. **394.** Minime tamen repugnat Liberatore nostrae conclusioni, quam ipse defendit in 2ª parte, c. 5, art. 2.

Denique, non est cur Capitale tam stricte sumamus ut non contineat res naturae, nisi velis rursus in hunc incurrere errorem [1] quo vires naturae dicebantur gratis suppeditari et non fieri propriae.

398. Quo pacto pecunia pertineat ad Capitale. *Pecunia*, ut observat R. P. Weiss, *Sociale Frage* II, p. 700, qua talis non fit Capitale ; sed tantum in *aequivalenti* quod per ipsam obtinetur, et cui competit sive *naturalis* (ut fundo, labori manuali) sive *instrumentalis* (ut machinis) fecunditas.

Hac itaque ratione fructum parit industrialem.

399. Nobis assentitur S. Thomas, I. II. q. 114, art. 1. Quum enim non sit *pretium* rei nisi venditae aut locatae, tacite concedit locationem operarum describendo mercedem : « Quod alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi *quoddam pretium* ejus. »

400. Optio permissa suscipienti negotium. Qui aliquid vult conari et indiget sive pecunia aliena sive aliena opera, non cogitur per se admittere quemquam in socium, sicut neque hi, ex justitia, consentire debent in mutuum, vel locationem operarum. Sed haec erit saepe conditio rerum, ut operarius, qui frustra alio modo sibi provideret, acceptet conditionem inferiorem et locet operas suas.

II. *SCHOLIA.*

401. Mutuae partes rectorum et operariorum. Immerito, dum alii nimis detrectant personam administrantium, quibus procul dubio primae sunt deferendae, alii, errore quodam contrario, fere nullum videntur agnoscere meritum operariorum in re feliciter gesta.

---

[1] Hoc errore decepti sunt Carrey, Bastiat, Henry George. Cfr. n. **181** fine, **200, 201.**

Sicut autem, sine prudenti negotii administratione, parum valeret industria opificum, ita qui in societate est magister indiget idoneis operariis, neque, etiam nunc, parum refert quinam excercendis machinis addicantur. Praeterea, ex divisis inter plures operis partibus, fit ut, suis quisque magis attentus, majorem sibi comparet peritiam. Quamdiu ergo contractus est verae societatis, duplex ratio vetat quominus lucrum quodpiam uni adscribas v. gr. rectori : a) Quia ea quae excogitavit nullos afferent fructus, nisi operarii diligenter eorum curent exsecutionem. (Cfr. Cauwès n. 799) ; b) Quia ars illa melius regendi res, vendendi merces, partim saltem debetur, ut causae mediatae, operationi aliorum. In justa ergo aestimatione haec negligi nequeunt.

402. De Praemiis et parte lucri concessis operariis [1]. Facta vera locatione operarum, dum juste pacta merces solvatur, nihil lucri, etiam immensi, per se ex justitia debetur operariis. Sed aequum erit ut aliquid mediocriter percipiant, praesertim si ultra solitum creverit lucrum.

Haec itaque ratio remunerandi non parum prodest ad fovendam pacem et mutuam variorum ordinum amicitiam. Praeterea stimulos addere solet mercenariis ut naviter laborent. Quare in non paucis officinis constituuntur praemia diligentiae vel fidelitatis quae, vel ex *copia* rerum, vel ex operis *qualitate,* vel ex ipsa *diuturnitate officiorum* ab operariis merentur. Ne occasio fiant querelarum, opus est ut causa et modus aestimationis facile et clare constent.

Valde etiam hodie celebratum est hoc instituti genus, quo ex lucro facto rata pars detrahatur partienda in operariis vel omnibus vel peculiaris meriti. Quod utilissimum esse posse non ambigitur. Plura tamen obstant quominus in more isto repositum existimes universale remedium. Neque enim lucrum semper praesto esse solet ; nec ratio aestimandi quae obtingant operariis vacat difficultate et suspicione ; neque hodie sunt ita animo comparati plerique ut veram istius instituti capiant rationem. Praeterea, in pluribus

[1] Cfr. de istis alterum nostrum opus, *Manuel social,* p. 2, t. 2, § 5, p. 349, sq.

artibus jam solent operarii exigere ut crescente mercium pretio crescat singulorum salarium, atque sic indirecte sibi comparant lucri partem.

Verum, quod maxime nobis, qui de justitia scribimus, observandum est, nisi ad talia praestanda se *ex justitia* obligent rectores, id est, quamdiu retinetur species praemii presse accepti, haec *super justum salarium* sunt tribuenda neque ut justae summae supplementum considerari possunt.

Atque eadem est causa aliorum commodorum quae sine stipulatione, ex quadam humanitate, operariis concedi sunt solita.

CAPUT II

DE JUSTA MERCEDE

S. Thomae, I. II. q. 114, art. 1; **Molina**, d. 506; **Lessius**, c. 24, d. 4; **C. de Lugo**, d. 16, n. 79-81; d. 26, n 9, 180; d. 29, n. 62, 63; **Waffelaert**, *Animadversiones quaedam de justa mercede seu justo salario opificum* [1]; **Lehmkuhl**, *Arbeitersvertrag und Strike*; **Liberatore**, *Principii di economia politica*, p. 2, c. 5, art. 3; **de T'Serclaes**, *Léon XIII*, t. 2, p. 107 sq. et *Epist. ad Bien Public*, 20 jan. 1895; **Cathrein**, *Moralphilosophie*, p. 2, sect. 1, l. 5, art. 3; **Weiss**, *Sociale Frage*, t. II; **Biederlack**, *Die Sociale Frage*, n. 95-100 flandrice conversum ab **A. J. Verhaegen**, O. Praemonst.; **Antoine**, *Cours d'économie sociale*, c. 19; **Brants**, *La lutte pour le pain quotidien, Les théories économiques aux XIII^e et XIV^e siecles*; **A. Verhaegen**, *Le Minimum de salaire* (*Magasin littéraire*, 1892); **Ed. Capelle**, *Le Problème actuel*; **Périn**, *Premiers principes d'économie politique*, c. 5, III; **Cauwès**, *Cours d'économie politique*, p. 2, l. 5, s. 1, c. 3; **E. J. De Gryse**, *De Contractu Conductionis*; **Van Gestel**, *Rechten en plichten van het Kapitaal*; **Bruin**, *Rechtvaardigheid en arbeidsloon*; **Gayraud**, *Questions du jour*, V; **G. Théry**, *Exploiteurs et salariés*, c. 10-20; **Dehon**, *Manuel social chrétien*, c. 1, § 8; **D'Hulst**, *Conférences de Notre-Dame*, 1896, 6^e conf.; **Castelein**, *Institutiones philosophiae moralis et socialis*, thes. 22; **Pottier**, *De jure et justitia*, Diss. 3, c. 3, art. 5.

---

[1] Benigne copia nobis facta est legendi istius praeclarae lucubrationis antequam prodiret in periodico *Collationes Brugeuses*, t. VI, jan. 1901. Quod eo gratius atque acceptius nobis fuit quo magis ibi confirmata vidimus ea quae Marte nostro inveneramus et scripseramus, ita ut in hac dissertatione jam tutissimum praesidium, Ill^mi et doctissimi Episcopi auctoritatem, appellare valeamus.

ARTICULUS I. **De justae mercedis ratione universa et debito**

§ I. *Aditus disputationis*

403. Quam late pateat praesens quaestio. Plerique eorum qui de praesente disputant argumento fere non considerant nisi manuum industriam, quasi de nobilioribus artibus vel operis nullae similis rationis incantur pactiones. Nobis satius visum est omne illud genus verbis complecti. Dum enim ita fatemur non corporis tantum sed etiam animi laborem locari-conduci, atque utriusque communem ostendimus causam pretii [1], nonne jam ab operaria mercede propulsamus invidiam qua despectui habetur et a non paucis describitur humanae dignitati contraria? Re tamen vera, ii omnes qui non ex bonis jam possessis sed praesente sua industria victum vel annuos reditus sibi quaerunt, in tres veluti partes distribui possunt. Alii *vendunt* fructus suae industriae : ita mercatores, negotiatores, pluresque scriptores ; alii opera aliena *conducunt,* ut operum redemptores, medici, notarii, forensium causarum patroni ; alii denique proprias operas *locant,* suntque omnes quotquot certo pretio se obligant ad quaedam per aliquod tempus facienda in alterius gratiam, non raro sub alterius ductu vel rectione : ita operarii, famuli, atque etiam officiales, vel quorum munus honorificum existimatur, utputa scientiarum magistri, imo ipsi judices.

404. Capitis divisio. Plenior ista rei informatio non sinit nos statim, ut fere faciunt, dicere de eo quod in justo salario est minimum. In hoc ceterum non est posita omnis controversia de condigna operae retributione. Nec parum juvat binas mercedis justae et mercedis infimae separatim tractare quaestiones. Etenim :

1. *Formaliter* alia est ratio utriusque investigationis. Namque : a) Non est in aperto, considerationem minimi

[1] Simile aliquid monet Cauwès, n. 811, de salario oeconomice requisito quod vocant *salaire normal.*

modi mercedis pertinere ad omne operarum genus, dum de justa retributione manifesto solliciti sunt omnes qui, alieni a societate, certo stipendio, ingenii vel corporis praestant industriam ; b) Omnium rerum quae commutantur justa facienda est taxatio, atque, ut videbimus, iisdem quibus aliae fiunt aestimationes, obnoxia est regulis justa stipendii definitio ; dum, contra, inquisitio de infimo salario est propria hujus argumenti, neque ita constat undenam sit eruenda ; c) Quare, esse justam mercedem, nemo ambigit ; esse vero infimam, in controversiam vocatur ; d) In generali justae mercedis indagatione negliguntur per se specialia adjuncta negotii cui operae serviunt ; haec omitti posse, ubi de infima retributione agatur, longe minus liquet.

2. Praeterea, dum alimentis sive operarii solius sive familiae definiunt infimum praemium illudque videntur semper pronunciare justum, quid aliud scriptores isti, quam propugnant *aeneam* quandam salarii *legem* [1] : quod certe inventum a socialista Lasalle ab eorum studiis et propensa in tenues homines mente maxime est alienum ? Quo tamen pacto concedi possit eam quae absolute infima statuitur mercedem esse plerumque simul justam, suo loco erit nobis inquirendum, verum non oportuit in adversariorum placita quibus impugnant ordinem praesentem ita ab initio et veluti a priori incaute pedibus ire.

405. De lucro mero. In negotiis quaestuosis, *lucrum*, latius sumptum complectitur omnes fructus collectos *(produit brut)* ; proprie vero, id quod superest, deductis

---

1 Ni fallimur, in ipso *documento romano*, de quo infra, nonnulla locum dant hujusmodi intellectui. Quum enim in explanatione ad 1^mi^ contendit criterium quo statuitur aequalitas rei inter opus manuale operarii et solvendam mercedem « petendum esse.... ex victu et vestitu ad convenienter vitam sustendandam », et additur infra quod « firma manente exigentia ex ratione finis, victus nempe ac vestitus convenientis, mercedi operarii ex communi aestimatione fit, aut saltem fieri potest, salva justitia, modica additio vel diminutio », nonne injicitur reapse cogitatio cujuspiam legis vi cujus ad congrua alimenta constanter finiretur salarium ?

impensis : *lucrum merum (bénéfice net)*. Porro, in numero sumptuum habentur :

α) Pensio annua solvenda pecuniae mutuaticiae, et summa reservanda quotannis, quo paulatim paretur restitutio capitalis vel renovatio *(intérêt et amortissement du capital emprunté)* ;

β) Salaria opificum ;

γ) Pretium materiae convertendae *(le prix de la matière première)* ; et cetera impendia : servandi aedificii, vehendarum mercium, etc. *(frais généraux)* quotannis necessaria.

Saepe non computantur retributio pecuniae et operae ab eo vel ab eis qui suscipiunt negotium impensae vel conlatae, et merito quidem, cum negotio proprio tribuant suam pecuniam aut laborem, et nemo sibi aliquid solvat [1]. Nos vero, in praesente quaestione, ista in sumptibus annumeramus, ita ut valde stricte accipiamus lucrum merum [2].

Nullo tamen pacto impendiis accensemus summam destinatam amplificando negotio.

§ 2. *Formula et argumenta conclusionis*

THESIS XXVIII

Justa merces est verum operae secundum se spectatae pretium, ex pactione et aestimatione communi definiendum.

Sic constituta merces non est, ex justitia, neque imminuenda neque augenda, pro varia negotii fortuna.

Negotii tamen magistro fas est cum operariis pacisci praemium justo minus, ut sibi caveat de moderata Capitalis et propriae industriae retributione, non autem ut quaerat sibi merum lucrum.

406. I. Status quaestionis. 1. INTENTIO THESIS apparet esse triplex : quaenam sit objectiva ratio justae mercedis ejusque mensura ; quo rigore justitia sinat stari justis conventis et varias negligere rerum vices : ob quam causam excusari possit minoris mercedis stipulatio. Paucis,

---

[1] Cfr. Cauwès, op. cit. n. 800 ; Ott, *Traité d'économie sociale*, II, p. 170, 171.

[2] « Cette part du profit net qui constitue un revenu libre. » Cauwès l. c.

agemus ordine de *justae mercedis stipulatione*, de *ejus vi*, de *promissione mercedis minoris*.

2. SENTENTIAE. Tres istae conclusiones, cum facile eruantur ex thesibus de justo rerum pretio et de forma stipulationis operarum, per se placere deberent iis omnibus qui nobiscum tuentur ea quae hactenus in hac re sunt tradita. Nihilominus,

a) *Quod ad primam partem*, sunt qui, agnoscentes operarum locationem, abhorrent tamen vocabulum *pretii operae:* ita Liberatore, cui salarium videtur esse non quidem pretium sed *retributio* [1], vel volunt perpetuum esse operarii, quamvis conducti, jus in fructum suae industriae, ita ut salarium deberet huic fructui aequiparari, deducto tamen pretio duplicis assecurationis (390) [2] et justo fenore (*escompte*) anticipatae solutionis [3]. Hanc potissimum opinionem in praesentia redarguimus, quae defenditur a R. P. Weiss [4], et a R. D. Keesen proposita est, Leodii, 1890, in 3° catholicorum congressu [5]. Imo ab ea non videtur plane alienus D. Périn, *Principes d'économie politique, appendice,* p. 404 (2 ed.). Idem, p. 307 nota, negat laboris pretium ad unum ejus valorem esse exigendum.

---

1 « Non prezzo ma retributione. » Op. cit. n. 89.

2 Ibi descripsimus hanc duplicem securitatem, qua officinator, solvendo definitam summam operariis, hos liberat periculo amittendi quasi-sortem, spondetque ipsis lucrum minus sed certum. Res tunc recidit ad genus quoddam trini contractus (385, 2).

3 Acute R. D. Gayraud, *Science catholique*, 1894, p. 989, ita ponit statum quaestionis : « Le salaire est-il le prix de la location du travail, ou bien le prix de la renonciation de l'ouvrier au produit du travail ? » Prius nos contendimus, alterum adversarii. His non immerito objicit D. Cauwès, n. 803, eorum placitum non esse dissimile alicujus dogmatis socialistarum : « Le prétendu rapport entre le salaire et le profit espéré a une évidente affinité avec une théorie socialiste. Selon cette théorie, l'ouvrier a droit à la valeur du produit. La théorie que nous critiquons donne de même à l'ouvrier, non la valeur intégrale, mais une quote-part de la valeur du produit. » Cfr. etiam n. 793, ubi bene exponit sententiam quam nobiscum rejicit.

4 *Sociale Frage*, II, p. 663, 664, 698. Ecce ejus formulam : « .... dessen (stati stipendii) Höhe zwar nach dem Produkte oder dem Ertrage des von Kapital und Arbeit gemeinsam geführten Geschäftes berechnet werden muss. So enstand aus dem Lohne die Löhnung. »

5 *Terminologie sociale*, p. 93, 95.

Plures denique ex oeconomistis ambigue dicunt, se ex fertilitate (*productivité*) laboris aestimare salarium. Fertilitatem enim quamnam intelligunt ? Eam quam habuit labor in ipso negotio ad quod conductus est ? Tunc errore falluntur et confusione contractuum. An eam quae communiter inest alicui generi laboris ? Non quidem repugnamus quatenus ex ea petitur hujusmodi laboris communis aestimatio. Verum quomodo hanc regulam transferas ad operas famulorum presse talium et quotquot usum habent non quaestuosum ?

Utraque objectatio ambiguitatis nimisque angustae utilitatis cadere etiam videntur in hanc formulam R. P. Castelein, quae ceterum potius respicit summam salariorum quam singulas mercedes : « Duplex agnoscenda est *justi salarii* norma, nimirum norma proxima, stricta et absoluta, quae definienda est valor laboris juxta aequum rei productae pretium, deducta parte capitalis et directionis secundum proportionem sui meriti ; et norma suprema, generalis et conditionalis, quae vocari potest salarium familiale collectivum. » *Instit. phil. mor. et socialis* p. 376. Praeterea, cum *directio* sit quoddam genus laboris, quo pacto, quamdiu ignoras laboris valorem, possis hunc indagare considerando quae pars obtingat directioni ? Nec minus nos fugit quomodo norma quae dicitur conditionalis possit tanquam superior comparari cum norma inferiore quae praedicatur absoluta. Quid, quod dum norma proxima dirigit justitiam commutativam, haec, p. 383, negatur affici norma suprema, ita ut verba *justi salarii* sint, in dicta formula, ambigue posita. Denique, hoc suo modo dicendi, quo labori ascribitur id quod superest, deducta parte capitalis et directionis, videtur his duobus, prae labore, concedere aliquam juris prioritatem. Hoc profecto a mente clarissimi scriptoris est alienum. Operae tamen pretium est omnem invidiae ansam amputare. Atque ita, studio veri, candide aperuimus mentem nostram, salva omni viri atque amici existimatione nihilque detrahendo de multis laudibus quas praeclaris sui facilis ingenii fructibus jure ac merito est adeptus.

b) *Quod ad secundum partem*, quotquot stipulationem operarum interpretantur instar trini contractus, debent, si consequenter sentiant, extraordinarium lucrum vel damnum quod praesentiri potuit habere pro causa necessaria augendi vel imminuendi consuetam mercedis summam. Sin minus, inique aestimaretur alea quam in se suscipit societatis magister.

Formaliter autem nobis adversantur qui, cum socialistis, vindicant operario jus quoddam necessarium ad ratam partem fructuum.

Sed si plures sunt qui jus profitentur operarii participandi fructus, non videntur esse qui, saltem conceptis verbis, obligationem (correlativam tamen) agnoscant sustinendi partem damnorum. Quod jam facit indirecte pro nostra thesi.

c) *Quod ad tertiam partem,* sunt inter catholicos qui tunc tantum excusant solutionem mercedis minoris quam quae per se sit justa, quum negotia alicujus regionis sunt communiter in angusto, putant autem injustum per se facere qui susciperet negotium cujus felix exitus non praevidetur nisi depressis salariis infra pretium consuetum regionis. Ita Génicot, *Theol. mor. Institutiones,* I. 648.

D. Périn, etsi p. 298, non respicit nisi ad generalia adjuncta quae obstent generaliter ne solvatur merces per se congrua, nobiscum tamen dicere videtur p. 311 (*Premiers principes,* 1 édit. p. 323, 2 éd.). Atque idem, nisi quid nos fallit, tuetur D. A. Verhaegen, opusc. cit. n. III.

3. EXPONUNTUR VOCES.

Justa, seu quae *per se* debetur ex justitia *commutativa,*

Merces, seu stipendium cujuslibet operae conductae, etiam quae nobilissimi sit generis,

Est verum operae pretium, i. e. ad pecuniam exactus valor commutativus operae. *Operam* dicimus et non *opus,* ne confundamus hanc operae conductionem cum locatione operis (n. 391).

Operae secundum se spectatae, i. e. non *terminative* seu in ejus fructu, sed prout dicit *usum virium hominis* alteri promissum ; praestationem facti humani : fere sicut annua conductae domus merces est pretium usus alicujus domus.

Ex pactione et aestimatione communi. Quamvis haec duo ponamus, mere huc transferimus generalem conclusionem thesis XXV, de justo rerum pretio. Intra enim hujus

fines, aestimatione communi positos, ipse consensus partium solet pretium pressius designare.

Cave autem ne statim pretium in certo loco consuetum *(prix courant)* arbitreris definitum communi aestimatione. Haec enim dicit tum populi tum magistrorum commune judicium de justitia cujuspiam taxationis. Fit autem, ut quod alicubi solvitur a praepotente societatis magistro, vulgo existimetur nimis parum. Cfr. Gayraud, *Questions du jour*, V. p. 166.

Sic constituta merces. Sic, i. e. secundum istas regulas, *Non est ex justitia,* alia saepe erit causa aequitatis.

Neque imminuenda neque augenda pro varii negotii fortuna: Sive in immensum creverit lucrum, sive ingens acceptum sit detrimentum, debitum his vicibus non afficitur. Hic ergo ad unam quaestuosam industriam necessario contrahitur sermo.

Negotii tamen magistro, seu, in universum, ei qui conducit operarios.

Fas est cum operariis pacisci. Eorum itaque consensus requiritur, et talis quidem qui nulla fraude vel vi sit vitiatus. Non obstat tamen ipsos quadantenus reluctantes et necessitate compulsos annuere.

Praemium justo minus. Quamvis enim absit tunc injustitiae reatus, praemium dicendum est justo minus, quatenus haeret infra meritum seu valorem laboris. Cfr. quod veluti ex adverso dicebamus de pretio majore n. 349.

Ut sibi caveat. Finem postulamus serium, ita ut, altera via moraliter interclusa, ad hanc ineundam sit ipse adactus.

De moderata Capitalis et propriae industriae retributione. Si ergo experientia negotii quod secus cessit, vel ex nimia adversariorum aemulatione *(concurrence)* vile factum mercium pretium, demonstrant sperari non posse ut ex lucri summa tum sibi tum aliis congruam acquirat retributionem, concedimus dominum ex justitia non teneri ad perseverandum in coeptis; quod si porro pergere

voluerit, ipsum eadem justitia non prohiberi, quominus offerat, sine vi vel fraude, stipendium, quod in aliis adjunctis justo minus foret, operariis qui, sibi consulentes, admittent vel rejicient propositas conditiones (Cfr. A. Verhaegen, *Le minimum de salaire,* p. 24, 25).

Non autem ut quaerat sibi merum lucrum, stricte acceptum (405), seu emolumentum illud majus sed incertum cujus spe moventur ii qui negotium suscipiunt vel ei tanquam socii adhaerent. Permittimus ergo ut in pactione facienda conentur primas habere, donec agitur de fructu consueto pecuniae quae fenori data esset vel operae locatae in re aliena ; jubemus autem ipsos solvere justam mercedem antequam cogitent colligere fructum qui proprius est sociorum seu negotii magistrorum.

II. **Probatio.**

407. A. PRIMAE PARTIS. 1. ***Justa merces est verum operae secundum se spectatae pretium.***

Arg. 1, directum. Compensatio pecuniaria usus virium humanarum concessi per aliquod tempus est verum operae secundum se spectatae pretium.

A. Justa merces est hujusmodi compensatio.

E. Justa merces est verum operae secundum se spectatae pretium.

Ad maj. Compensatio pecuniaria rei ad tempus utendae est verum pretium istius usus. Aliunde, ex ipsis notionibus, habemus, operam secundum se spectatam esse aliquem usum virium humanarum. **E.** Compensatio pecuniaria istius usus erit verum pretium operae secundum se spectatae.

Ad min. Justa merces est pecunia juste promissa in vera conductione operae. **A.** Pecunia quae promittitur in vera conductione est compensatio usus alicujus rei. Opera autem est secundum se usus virium humanarum. **E.** Justa merces est compensatio usus virium humanarum per aliquod tempus concessi.

Et re quidem vera, quum operae sint ipsa operositas

qua vires in aliquem finem intenduntur, ille qui ipsas operas ad certum tempus vere locat, cedit per istud tempus facultate quam habet exercendi suas vires in proprium commodum; hoc est, se privat usu hujusmodi virium per illud tempus. **E.** In contractu oneroso, ut observetur aequalitas dati et accepti, compensandus est iste usus acquipollenti praestatione: quod fit per salarium: « Quod locatur, ait R. D. De Gryse, op cit. p. 30, est usus vis operativae humanae, nihil praeterea ; statuitur deinde merces. »

Arg. 2, indirectum. Ceterae sententiae, si demas dictum a Liberatore, a) Nec servant genericam rationem contractus locati-conducti ; b) Nec distinguunt sive inter societatem et locationem, sive inter operis et operarum locationem ; c) Nec in omnem speciem mercedum convenire possunt. — Ipse autem Liberatore minus re quam verbis videtur a nobis dissentire, et, vana perculsus formidine, vocabulum elegisse ambiguum.

E. Sunt rejiciendae, — nec probandus est modus dicendi Liberatore.

Ad antecedens. Huc enim redeunt, ut velint ipsi operario tribui fructus proprii laboris et salarium aestimari ex praesumpto *(estimé à forfait)* merito laboris in definito negotio ad quod est conductus. Sic autem : a) Perit locatum-conductum : is enim qui rem locat alienat ad tempus rei usum, cujus proin fructus nequit jam facere suos. Praeterea, b) Haec impugnata dicendi ratio perfecte quadrat ad contractum trinum, qui species est verae societatis. Insuper quatenus ex merito laboris in determinato negotio aestimari vult salarium, reapse ad *opus* factum exigit taxam. Meritum enim laboris terminative hic inspicitur, aestimatur in efficientia sua, aliis verbis *ex opere* quatenus labori est adscribendum. Taxatio autem ex opere pertinet ad locationem operis. c) Quid, quum operae exiguntur nullatenus fructuosae, vel quum dominus jubet operarium otiari ? Quis locus tunc est impugnatae rationi ?

Quod ad dictum Liberatore, *retributio* est verbum incertum, quod re idem sonare potest ac pretium. In praesentia autem nequit esse operae retributio quatenus opera dicit quodpiam officium et voluntatem operarii : sic enim, nisi incidas in errorem Bastiat, res est gratiae, non justitiae. Restat itaque ut opera intelligatur soluta hujus voluntatis consideratione : hoc autem modo, quid in ea superest compensandum praeter occonomicam functionem seu valorem, cujus pecuniaria retributio est formalissime pretium ?

Audiatur ceterum haec *confirmatio* ex S. Thoma, I. II, q. 114, art. 1. « Id enim merces dicitur quod alicui recompensatur pro retributione operis quasi quoddam pretium ejus. »

Neque ideo, ut timet Liberatore, aliquid de ingenita humanae industriae nobilitate detrahitur, quum alios esse ejus respectus minime negemus, atque hoc unum contendamus, operam illam, ut formaliter conducitur, compensari pretio presse tali. « Licet opus operarii, observat eleganter auctor *documenti romani*, nobilius quid sit merce, totam tamen retinet rationem mercis ex qua parte dicit ordinem ad pretium. » Cfr. ceterum difficultates et scholia.

2. *Ex pactione et aestimatione communi definiendum.*

Assertum istud proxime consequitur probatam pretii rationem. Universalis enim est vis thesis de justo pretio. Quare, donec luculenter effecerint aliud hic esse tenendum, pluribus supersedere valemus. Quae ceterum formalis ratio definiendi justi salarii jam proponitur a S. Antonino, *Summa theologica*, p. 2, t. 1, c. 17, § 8, estque apertis verbis expressa a Molina, d. 506, n. 4, Lessio, c. 24, n. 23, et C. de Lugo, d. 29, n. 62.

408. B. SECUNDAE PARTIS. *Sic constituta merces non est, ex justitia, neque imminuenda neque augenda pro varia negotii fortuna.*

Negotii alieni vices nemini prosunt vel nocent ex justitia commutativa.

A. Ex supra demonstratis, negotium ad quod conducitur pro salario stricte sumpto operarius, est huic formaliter alienum.

E. Huic nec prosunt nec nocent ex justitia commuta-

tiva negotii vices, ac proin intactam linquunt debitam salarii quantitatem.

Confirmatur eo quod variae determinati negotii vices non afficiunt auctarium solvendum pro mutuata pecunia. Par autem est formalis ad negotium relatio locatae pecuniae et operae.

N. B. Observes, non esse, ut quidam faciunt nostrae sententiae patroni, confugiendum ad causalitatem efficientem insperati lucri. Argumentum istud, quaesitum extra contractus naturam, ansam praebet controversiarum et dubietatum. Cfr. supra n. **401.**

409. C. TERTIAE PARTIS. *Negotii tamen magistro fas est cum operariis pacisci praemium justo minus, ut sibi caveat de moderata Capitalis et propriae industriae retributione, non autem ut quaerat sibi merum lucrum.*

Quo melius perspiciatur vis argumenti, fac observes nos, in hac parte, non agere de incerta fortuna negotii jam suscepti, cujus alea compensatur spe lucri et tota pertinet ad eum cui ipsum cedet lucrum merum, sed de negotio quod in adjunctis in quibus est suscipiendum tantam non promittit fructuum copiam quanta opus foret ut, ea statuta operarum mercede quae aestimatione communi definitur justa, habeatur nihilominus congrua retributio proprii laboris et Capitalis, vel etiam aliquod lucrum merum. Ad hoc porro negotium si velis operarios conducere, fasne tibi fuerit stipulari mercedem minorem ? Integrum profecto est operariis talem conditionem respuere. Possisne autem eam, in his adjunctis, ipsis imponere, quatenus neges te alia conditione conducturum esse eorum operas ?

Agedum illud licite a te fieri in priore hypothesi non autem in altera, sic efficimus :

Arg. a) Stando stricta justitia, intra limites servandae aequalitatis, potest in pactione facienda juste sibi quisque prospicere et procurare optimas conditiones ; ac proin, mediis honestis, seu sine vi vel fraude, uti praevalente conditione ad efficiendum ut prius sibi quam alteri, licet fortasse magis indigenti, illud quod per se justum est rependatur.

b) Vetat autem commutativa justitia ne hac ratione

ditescas ex alieno ut formaliter vel virtualiter tibi ut fructum colligas illud quod est alterius bonum.

A. Ille qui in contractu stipulando minorem paciscitur mercedem ut congruam habeat proprii laboris et Capitalis mercedem mere sibi priore prospicit ratione; ditescit vero ex alieno qui altera conatur niti excusatione. *E.*

Ad cujus rei evidentiam, a) Fac observes *congruam retributionem* operae vel pecuniae esse, ex ipsa notione, acquivalentem ejus compensationem, vel, si malis, ejus sub alia forma restitutionem. Porro, statim apparet omnes qui aliquid suum libere conferant ad finem aliquem procurandum, vel bonum aliquod suum collocent in aliquo negotio, jus habere ut suum recuperent, h. e. ut congruam accipiant pecuniae vel operae suae retributionem. Quo jure tamen decedere possunt, sive ultronea abdicatione, ex animo liberali, sive vi necessitatis, etiam quadantenus inviti, quando, sine alicujus culpa vel damni sponsione, res ex toto vel parte periit, i. e. quando summa fructuum impar est solvendo omnibus suum. Unicuique tunc fas est se, in simili causa, praeferre alteri, id est sibi imprimis cavere. Quare, si inciderit debitorem aliquem non esse solvendo, licet creditoribus, omissa aliorum consideratione, inter se certare diligentia et, artibus honestis, id efficere unumquemque ut sibi vel ex toto satisfiat. Pari modo, in praesenti genere, ubi praesentitur minor futura summa collecta, licebit singulis per ipsas pactionis conditiones conari ut se servent indemnes. Per accidens fiet et necessitati invictae est tribuendum hoc a pluribus frustra tentari et solis obtingere fortioribus. Quae tamen fortiorum victoria non repugnabit justitiae, cum nemo, hoc titulo, teneatur de suo jure aliquid remittere [1].

b) Longe aliter autem dicendum est de *lucro mero.* Istud

---

[1] « Il (l'employeur) ait optime D. Périn, ne doit... le juste salaire que lorsqu'il trouve dans le résultat de son opération le moyen de le... payer, en même temps qu'il y trouve le moyen de se payer à lui-même, dans la mesure que comporte la situation, la rémunération de son travail de conception et de direction... *(Note sur le juste salaire,* p. 6).

non est mera compensatio, restitutio, sed incrementum quod fas est negotii domino quaerere ex sua re, si revera illud afferat. Nullum vero affert, quamdiu fructus mere aequivalet congruae omnium retributioni. Quare, qui tunc vellet lucrari, non ex re sua faceret quaestum, sed demendo ex re aliena seu convertendo in lucrum proprium alienum damnum. Neque horum consensus, quem secundum quid inviti darent, auferre valeret notam injuriae. *Cfr.* 146, 344.

Confirmatur ex receptis effatis, quod fructus non intelligitur nisi deductis impensis, nec lucrum nisi deducto aere alieno. Cfr. l. 33. D. *Pro socio.*

Confirmatur iterum eo quod nemo cogitet solvere, ob hanc causam, impar fenus creditoribus pecuniae, ita ut haec ratio agendi vitiaretur etiam labe oppressionis pauperum.

410. III. Difficultates.

1. EX DIGNITATE HUMANAE PERSONAE. Labor humanus non est inter merces reponendus (Cfr. Liberatore n. 89). *E.* Nequeunt huc transferri regulae quibus harum pretium definitur.

R. D. ant. Non est inter merces reponendus sub omni respectu, *C.*, sub respectu quo permutatur in locatione, *N.*

Ut est enim actio humana, profecto totum ordinem oeconomicum excedit; ut autem in illa actione inest causalitas utilitatis oeconomicae, acquirit valorem oeconomicum. Quicquid autem oeconomicum valorem possidet, qua *tale* inter merces reponitur. Sub hoc autem respectu permutatur in locatione. Ceterum, objecta ratio hanc nimiam consecutionem afferret, operas proprie locari non posse. Permutantur enim proprie merces. Statim autem ac veram concedas locationem, concedere debes verum pretium rei locatae, ex principiis generalibus.

Inst. Nequit operarius pro machina haberi. *A.* Laborem ejus inter merces reponendo, habes operarium instar machinae. *E.*

R. C. maj. D. min. Laborem ejus simpliciter merci aequiparando, habetur operarius pro machina, *C.* sub certo respectu, *N.*

Eo enim quod dicimus pretium locatae operae ex valore usus esse aestimandum, non negamus esse alia officia etiam justitiae servanda erga personam operarii, quatenus operae nequeunt ab

illa persona ut praestante operas separari. Sicut autem persona adest concomitanter, ita haec officia concomitanter vel mediate aderunt, non autem immediate vi contractus locationis operarum. Sunt ambo saepe extra et supra hunc contractum.

Varias autem rationes quibus operarii assimulentur machinis, trademus in scholio.

2. Ex pactione libere inita repetenda est omnis ratio justi salarii.

R. D. assertum. Ex pactione libere inita et observatis regulis justi pretii, *C.* Secus, *N.*

Redit sic error liberalium negantium objectivam pretii rationem, vel non considerantium nisi usum qualem fecerit lex oblati et quaesiti. Mirum tamen est qua vi tenuerit plures mentes etiam optimorum. Cfr. v. gr. disputata Leodii in 3° catholicorum congressu a D. Théry, ut contenderet consuetum loci salarium semper esse justum [2].

Nunc tamen non pauci fateri coeperunt se falsa specie fuisse deceptos, et saepe nomine tenus exstitisse liberam illam optionem quae omnem injustitiam excluderet [1].

Fictum illud libertatis genus jam deridebat S. Joannes Chrysostomus in quaestione usurarum : « Ne mihi dixeris illum talem libenter accipere et de fenore gratiam habere. Illud enim per inhumanitatem tuam evenit. Nam et Abraham, cum uxorem barbaris tradidit, acceptu facile sibi fecit eorum malum consilium : non libenter, sed ob metum Pharaonis. Sic etiam pauper... de crudelitate gratias agere cogitur. » *In Matth.* homil. 56 (al. 57) n. 6 (Migne, P. G., t. 57, col. 557).

---

[1] Deuxième section. *Durée légale de la journée du travail*, p. 107 sq. Juvat nonnulla exscribere ex ejus verbis : « Le patron n'est pas plus libre que l'ouvrier ou plutôt tous les deux sont suffisamment libres pour contracter valablement.... Le juste salaire c'est le salaire qui est conforme à l'usage des lieux et quand vous, patron, vous avez payé le salaire qui est conforme à l'usage des lieux, en justice vous êtes quitte ; vous avez fait au point de vue de la justice ce que vous deviez faire. On ne peut rien vous demander de plus. Voilà donc ce qu'est le juste salaire. Ce n'est pas autre chose.

« Mais, me direz-vous, avec le juste salaire on meurt de faim ; c'est possible. »

[2] Ita, v. gr. C. Goblet d'Alviella in oratione habita, a° 1897, ad alumnos Universitatis (liberalis) Bruxellensis : « On ne fait que compromettre la cause de la liberté, quand on invoque celle-ci dans la conclusion du contrat entre le patron qui peut attendre, sous la seule réserve de restreindre ses profits, et l'ouvrier qui en est incapable, pressé qu'il est par sa misère et celle des siens. » V. *Revue de l'Université de Bruxelles*, t. 3, p. 91, 92.

§ 3. *Supplementa doctrinae*

I. *COROLLARIA.*

411. Nullum est sive capitalis sive laboris privilegium, quo justitia jubeat alterutri primas deferri in paciscendo vel in factae pactionis effectu. Aequali jure, si ineatur societas, utrumque genus contrahentium postulat ut lucrum pro merito partiatur ; aequali etiam jure, si negotii dominium ad alterutrum pertineat totum, vel usus agatur non quaestuosus, alterum postulabit justam conductae operae vel pecuniae compensationem secundum valorem. Nec nobis probatur haec quorumdam sententia qui, ex quopiam jure, non quidem necessitatis, sed decentis victus et cultus, pauperi opifici adjudicant privilegium quo, etiam contra pactas leges, ipsi fas foret exigere ut sibi ante alios satisfieret vel adeo ipse sibi occulta compensatione retinere quod videretur aequum operae pretium.

412. Justae causae augendi vel minuendi mercedem communi talis operae aestimatione definitam, quas negamus per se inesse ipsi negotii fortunae, erunt profecto quae ex thesi superiore erui possunt. Obtinebit siquidem hic doctrina titulorum extrinsecorum. Quare et operarius conductus pretium petere poterit lucri specialis cujus facit jacturam vel specialis damni quod sustinet ut operas locet ad talem usum ; ipse autem operae conductor minoris aestimare potest operam, *minus sibi utilem,* ad quam, ex humanitate quapiam, mercenarios obliget ne in tristi hebescant otio.

413. De redemptione operis viliore pretio. Si minoris mercedis stipulationem excusamus ex necessitate cui ipse negotii magister cedere cogitur, haec ratio ostendit aliter judicandum esse cum hujusmodi necessitatis ipse est voluntarius auctor. Factum enim est non ita raro, ut qui opera redimere solent, quo certius illa ipsis addicerentur, ultro pollicerentur iniquas conditiones sibique damnosas nisi fenerarentur operariorum mercedem.

Artes istae arguendae sunt *injustitiae*, nisi constet, ob inolitos usus, non suppetere probabilem spem aequius conducendi opera.

Etenim, qui opera ad hastam conducunt, illud unum honeste intendere queunt, et existimandi sunt fecisse, ut, *intra justi pretii fines*, mites obtineant conditiones. Quare, quasi tacite interrogant operum redemptores, quo minimo pretio *honeste* opus exsequi valeant. *Honeste*, inquam, proindeque solvendo operariis justam mercedem. Qui vero, dum conditiones pollicentur, de hac aliquid detrahere cogitant, de re non sua disponunt, ex alieno parant gratificari conductoribus. Quare hujusmodi pollicitationes, si ad effectum adducantur, ipsos redemptores arguent formalis injuriae ; conductores vero, quibus profuerit, rem detinebunt alienam, partem dico mercedis quae erat supplenda. Quanquam hi bona fide et ignoratione plerumque excusabuntur.

Per se quidem optandum erat ut ad recti et aequi regulas sua sponte componerentur mores, praesertim quum, ubi res ultro bene fiunt, justae exceptionis ratio haberi possit. Namque ipsa operarii infirmitas, imperitia, aequissimae causae sunt solvendi minorem mercedem ; atque expedit ut etiam minus habiles conduci valeant quo sibi aliquod comparent lucrum. Quare, nobis non mirum videtur, fuisse qui in initio repugnarent, ne, publicis operum conductionibus, caveretur de certo stipendio operariorum [1]. Verum, in hoc aemulationum aestu, existimamus satius fuisse ut consuleretur generaliori bono operariorum qui viribus pollent, quam speciali aliquorum utilitati. Calculum itaque adjicimus usui qui abhinc aliquot annis in Belgio increbuit exigendi a redemptoribus operum municipalium ut indicarent quanam minima mercede ipsi operarios conducerent.

---

[1] De hac re, quae gallice dicitur : *Inscription d'un minimum de salaire dans les cahiers des charges*, cfr. disputata in coetu cui nomen : *Conseil supérieur du travail*, 2e session, 1 p.

II. *SCHOLIA.*

414. Rationes quibus deprimitur ingenita humanae operae dignitas, hae fere sunt :

1. Si, ut Varro, *De re rustica*, l. 1, c. 17, refert a pluribus suae aetatis esse solitum, distinguas, in rebus quibus agri colantur, « Tres partes, instrumenti genus vocale, semivocale et mutum : servi, boves, plaustra » ;

2. Si neges, ab heris vel magistris conferendam esse curam ad sanitatem et mores operariorum vel famulorum, ita ut etiam positivum corporis vel animi detrimentum, magistrorum causa acceptum, non ipsi adversaretur justitiae commutativae [1] ;

3. Si alimenta operarii habeas pro impensis quibus obtinetur labor *(coût de production du travail)*, fere ut certa quantitate carbonis obtinetur certa vis vaporis [2] : dum alimenta ad nobiliorem referuntur finem conservandi personam humanam cum omnibus suis facultatibus. Eleganter de hac re scripsere Cauwès, n. 801, vel Pesch, l. c. p. 393.

4. Si, quasi comparandi sint operarii cum jumentis quae ad cultum majorem progressiones facere nesciunt, ipsorum genus a reliquo hominum genere distinguere videaris et perpetuum manuum industriae finxeris servum, ita ut naturale dicas illud stipendium quo stricte ali et prolem facere queant [3].

Quam alieni simus ab hujusmodi placitis et modis dicendi plurium oeconomistarum, vix dicere opus est et magis deinceps apparebit.

---

[1] Cfr. Gayraud, *Science catholique*, 1894, p. 992, 993.

[2] « Au point de vue économique, les travailleurs doivent être considérés comme de véritables machines. Ce sont des machines qui fournissent une certaine quantité de forces productives et qui exigent en retour certains frais d'entretien et de renouvellement pour pouvoir fonctionner d'une manière régulière et continue. Ces frais d'entretien et de renouvellement que le travailleur exige constituent les frais de production du travail... » De Molinari, *Cours d'économie politique*, t. 1, p. 203.

[3] « The natural price of labour is that price which is necessary to enable the labourers, one with another, to subsist and to perpetuate their race, without either increase or diminution. » Ricardo, *Principles of political economy and taxation*, c. V. *On wages*.

415. De fundamento aestimationis communis qua justum innotescit stipendium, dubitari possit utrum, sicut justum fenus « in abstracto » respondet mediae rationi *communis spei lucri*, quod cives, certae regionis, in definito tempore, utentes ipsi sua pecunia percipere possint, ita justum salarium « in abstracto » respondeat *communi spei lucri* quod, tali loco et tempore, certa quaedam peritia et facultas laborandi praebet operario qui eam sibi vel ut socius negotiorum adhibet.

Imperfecta foret illa consideratio. Namque hoc interest inter pecuniam et hominum operas vel famulatum, quod pecunia fere non habet usum fructuosum nisi conversa in res oeconomice quaestuosas [1], dum, contra, hominum ministerium habet secundum se pondus pretio dignum, etiam relicto lucro presse tali. Honorificum v. gr. est pluribus quasi imperare famulis ; commodum est, praesto habere plures qui corpori vel animae serviant.

Haec itaque et alia non pauca elementa sunt aestimationis communis. Imo, prout pluris vel minoris fit persona humana, opificesque adducuntur in majorem illam de se confidentiam quam SS. Leo PP. XIII memorat in initio Enc. *Rerum Novarum*, variabit oeconomicus valor conducendae operae.

416. Alias esse rationes injusti, praeter iniquae mercedis stipulationem, non fugit scholasticos doctores. Quare mentionem faciunt nimiae morae in solvendo, quae hodie etiam pluribus objici potest divitibus ; et, quod fortasse magis mirum videri potest, non sine vi verborum damnant artes istas dandi merces pro pecunia, in quas, hodierno sermone designatas nomine *truck system*, opus fuit modernis legibus animadvertere. De quibus, ut debitum justitiae solvatur, bina haec tenenda sunt :

a) Res seu merces traditae pro pecunia aestimari non

1 Ita jam Philos. l. 5 *Ethic.* laudatus a S. Thoma, 3 D. 37, q. 1, art. 6: « Pecuniae usus non habet mensuram utilitatis ex ipsa pecunia, sed ex rebus quae per pecuniam mensurantur. »

possunt nisi pretio quod habent in se et comparate ad operarios. Quare si, ut usu veniebat, operarii res illas vendere debeant ad pecuniam sibi comparandam, ratio subducenda est pretii quo ipsi operarii eas commutare facile possint ;

b) Tempus insumendum in venditione, et quodlibet annexum onus majore mercede est compensandum. Statim enim atque onus imponitur, aequalitas justitiae vetat ne gratis exigatur.

Cfr. S. Antonini *Summa*, p. 2, t. 1, c. 17, § 7, 8 ; Lessius, c. 20, d. 8 ; C. de Lugo, d. 29, n. 180.

ARTICULUS II. De inferiore limite justi salarii

417. Quo consilio et qua spe fructus de his scribamus. 1. Imprimis juvat hic afferre aurea consilia quae ad Belgii Episcopos misit SS. Leo PP. XIII, epistola 3 aug. 1881 : « Illud insuper in controversiis agitandis cavendum est, ne modus transiliatur quem aequitatis caritatisque leges praescribunt ; » et postea : « in his autem quae sapientum disputationibus libere permittuntur, ita, Vobis suadentibus ac monentibus, ingenia exerceantur, ut sententiarum diversitas animorum unitatem et voluntatum concordiam non abrumpat. » Cfr. d'Hulst, *6e conf. à N. D. de Paris*, 1896, I.

2. Itaque, sine iracundia, studio proponendi veri aperiemus quid in hac re ducamus praeferendum ; et, si disputari nequit sine diversarum opinionum reprehensione, has tamen aequo conabimur animo explicare et judicare, ita ut a nostra argumentatione absit omnis nimia contentio, omnis contemptus.

Imo, neque ipsa illa alterius sententiae reprehensio eo semper progredi poterit ut ejus quod improbamus negemus *legitimum usum*, donec veritas facta sit manifestior.

Neque, dum definimus quid postulet justitia de minima operarum retributione, inquirere nobis in animo est *an*

ei quantum sit in hac re peccatum. Quam rem arduam fore non diffitemur, si veniendum esset ad particulares conclusiones.

3. Quod si ita res se habet, quaerere quispiam possit *quorsus ista doctrina*, quae certas non parit obligationes; *quorsus ipsa documenta pontificia,* quae dubia non sustulerunt ?

Verum enimvero, nec pauca sunt neque exigua de quibus, post istas literas, jam habetur bonorum consensus. Praeterea, his etiam demptis, magnum judicamus fuisse atque esse fructum literarum S. Pontificis, neque ipsam disputationem frustraneam arbitramur. Namque, ut reticeamus cum eversa liberalis disciplinae oeconomica placita, tum excitatos omnium animos atque inductos ad cognoscendas tam praesentes quaestiones vel inveniendas artes consulendi simul et bono proletariorum et civitatis saluti — e quo studio et cura quot nata sunt optima instituta atque utilissimae leges; — ut haec omnia praetereamus, ipsa officii vel debiti suspicio solet viros pios vel honestos facere attentos, ne qua parte incurrant in conscientiae vituperationes. Quare, relicta fortasse, ut incerta, consideratione praeteritorum, in hoc tunc incumbent ut meliore quo possint modo ordinent praesentia et futura [1]. Ipsa dein disputatio, si fiat sine pertinacia, res non ita difficile valet persuadere eamque facere fidem quae, si sit multorum, non tantum est alicui principium recte operandi, sed ipsam civitatis conditionem parat meliorem et feliciorem.

418. Ordo dicendi. Quo ratione et via procedat oratio, in prima aliqua parte, quasi ab extrinseco causam prae-

---

[1] Optime haec persensisse videtur D. Perin, dum, op. cit. (2 éd.) p. 387, haec scribebat : « Pour moi, la véritable portée des décisions de l'Encyclique sur le salaire, c'est d'abord de proscrire toute spéculation sur le nécessaire de l'ouvrier. C'est ensuite de déterminer le patron, par la crainte de la justice commutative, à faire tout ce que comporte l'état de son industrie pour assurer à l'ouvrier un salaire suffisant ; à prendre toutes les mesures qui peuvent directement on indirectement améliorer sa condition et lui assurer le nécessaire. » Cfr. et p. 403-407, 414, 417.

sentem adspiciemus, ut, mente nondum praeoccupata opinionibus, vim et intentionem assequamur tum Encyclicae *Rerum Novarum* 16 maii 1891, tum responsi cujuspiam romani, cujus celebritas a nemine est ignorata. Sequentur tunc tres partes quibus argumenta tractare solemus.

§ 1. *De actis S. Sedis*

419. Interpretatio Encyclicae Rerum Novarum.

I. Proponendus prius videtur praecipuus locus Encyclicae qui attinet ad nostram rem.

« Rem hoc loco attingimus sat magni momenti : quae recte intelligatur necesse est, in alterutram partem ne peccetur. Videlicet salarii definitur libero consensu modus : itaque dominus rei, pacta mercede persoluta liberavisse fidem, nec ultra debere quidquam videatur. Tunc solum fieri injuste, si vel pretium dominus solidum, vel obligatas artifex operas reddere totas recusaret : his caussis rectum esse potestatem politicam intercedere, ut suum cuique jus incolume sit, sed praeterea nullis. — Cui argumentationi aequus rerum judex non facile, neque in totum assentiatur, quia non est absoluta omnibus partibus : momentum quoddam rationis abest maximi ponderis. Hoc est enim operari, exercere se rerum comparandarum causa, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae. « In sudore vultus tui vesceris pane. » Itaque duas velut notas habet in homine labor natura insitas, nimirum ut personalis sit quia vis agens adhaeret personae, atque ejus omnino est propria, a quo exercetur ; et cujus est utilitati nata : deinde ut sit necessarius, ob hanc caussam, quod fructus laborum est homini opus ad vitam tuendam : vitam autem tueri ipsa rerum, cui maxime parendum, natura jubet. Jam vero si ex ea dumtaxat parte spectetur quod personalis est, non est dubium quin integrum opifici sit pactae mercedis angustius finire modum ; quemadmodum enim operas dat ille voluntate, sic et operarum mercede vel tenui vel plane nulla contentus esse voluntate potest.

« Sed longe aliter judicandum si cum ratione personalitatis ratio conjungitur necessitatis, cogitatione quidem non re ab illa separabilis. Reapse manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc jus reperiendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesito labore merces suppeditat. Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant : subest tamen semper aliquid

ex justitia naturali, idque libera paciscentium voluntate majus et antiquius, scilicet alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere. Quod si necessitate opifex coactus, aut mali pejoris metu permotus duriorem conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui justitia reclamat. »

II. Ad locum istum illustrandum, opus est discernere quae sunt certa ab iis quae in controversiam venire possunt.

1. *Clare docet S. Pontifex :* a) Esse mercedem aliquam quae sit minima ex justis, idque b) Recte colligi ex ipso officio tuendi vitam. Qui vult itaque cum S. Pontifice respondere, hoc genus argumenti plane negligere nequit. Praeterea, c) Nemo ambigit *alimenta opificis* quae mercede dicuntur comparanda non ea tantum intelligenda esse quibus vix arceatur mors, sed quae sint congrua, ita ut decentem, secundum conditionem, tribuant victum et cultum. Nec d) Diu haerere possumus circa justitiam quam S. Pontifex vocat naturalem. Ea enim quae regit pactiones est *commutativa* justitia, quae hic *naturalis* vocatur quia pactione anterior. Opponitur ergo justitiae *contractuali*.

Duo autem minus constant : Alterum, qua vi ipse opifex teneatur obligatione exigendi hanc mercedem ; alterum, utrum necne verba *alendo opifici* dicant tacite alimenta ipsius familiae. De utroque pauca.

2. *De cogente vi mercedis minimae.* Sunt enim qui ex doctrina Encyclicae negant ipsi opifici facultatem consentiendi in mercedem minorem quam est illa infima justae mercedis ratio. Ita R. P. Cathrein, l. c., D. Périn, *Premiers principes*, p. 296, 1 edit., R. P. Antoine, op. c. p. 599. Et videntur niti posse ipso S. P. argumento, quod non ex jure aliquo sed ex officio depromitur. Sic enim habet : « Fructus laboris est homini opus ad vitam tuendam : vitam autem tueri ipsa rerum cui maxime parendum, natura jubet. » Quid, quod proxime sequens sententia,

ubi conceditur opifici integrum fuisse « pactae mercedis angustius finire modum » si spectandum foret ad unam notam qua labor est aliquid personale, alteram quasi sponte sua appellat, qua soluta haec optio negatur, cum etiam necessitatis habenda sit ratio ? Imo, nonne pretium istud dicitur « libera paciscentium voluntate majus et antiquius » ?

Nihilominus, nobis probatur aliorum intellectus, qui in loco isto mere confirmatum vident, inesse labori humano, ante omnem pactionem, valorem aliquem minimum, seu pretium minimum ex justitia in permutatione solvendum [1], quo definitur operarii jus, non autem per se officium. Ita R. D. Esbach, in cit. art., Verhaegen, p. 57 : R. D. Gayraud, op. cit. p. 172.

Quod ita breviter effici posse arbitramur : a) Intentio dicentis maxime in conclusione apparere solet. In hac autem tunc tantum inducitur justitia ut reclamans, « si necessitate opifex *coactus* aut mali majoris metu permotus duriorem conditionem accipiat. » b) Ut ex primis constat verbis, eos S. Pontifex redarguit qui volunt ex pacta mercede omnem debiti rationem aestimari. Ad hoc satis est vindicare regulam superiorem, c) Alimenta cum intelligantur ea quae *decenti* respondeant victui, per se fit manifestum integrum esse opifici magna eorum parte cedere. Et quidni posset gratis laborare et emendicata stipe vivere ?

Quare, ex officio tuendi vitam hoc presse colligitur, esse justi pretii infimam rationem quam petere, imo exigere, jus est opifici quod, etsi forte id possit, existimandus non sit a se abdicasse per consensum quem dederit invitus. Ac nihil aliud antiquius praedicatur voluntate paciscentium, quam objectivus valor humanae

[1] Verum, si forte minus sit promissum, non ideo contractus dici potest nullus. Erit potius, ante exsecutionem, rescindibilis. Quod si praestita fuerit opera, justum pretium erit supplendum. Nimis absolute R. D. De Gryse, op. cit. p. 40, nullum arbitratur « ob vitiatam substantiam » contractum quo merces statueretur impar alendo opifici.

operae, quem tamen per se non cogimur urgere in pactione; hoc est, ultro fas est minore stipendio offerre operas alicui qui tunc sine injuria tibi non solvet majus; restat tamen majorem summam esse justam teque minore quam justa fuisse contentum. Confirmat itaque S. Pontifex conclusiones nostras de justo pretio (Thes. XXV), atque addit criterium quo dignosci possit infra quamnam summam justum salarium haerere non valeat.

3. *In quaestione versatur* utrum necne verba *alendo opifici* aliquo modo contineant alimenta familiae ejus necessaria.

Id plures affirmant: ut DD. Périn op. cit. 2e éd. p. 299 sqq.; Verhaegen *Le minimum de salaire*, III, atque appellant verba quibus paulo inferius videtur S. Pontifex mentem suam aperire, cum scribat: « Mercedem si ferat opifex satis amplam ut ea se uxoremque et liberos tueri commodum queat, facile studebit parsimoniae, etc. »

Iis potius assentimur qui, ut R. P. Antoine, op. cit. p. 607, R. D. De Gryse, *De contractu conductionis*, p. 45, et plures alii, autumant illud *formaliter* praetermitti. Namque verba *alendo opifici* de se utrumque ferunt intellectum; nec qui dicit opificem excludit familiam. Solent autem SS. PP., in Encyclicis suis, recta statuere principia, sed abstinere definiendis quaestionibus difficilioribus quae inter ipsos catholicos agitantur.

Si vero hoc alterum interroges, an rationis allatae in Encyclica talis fortasse sit vis quae logice nos adducat in opinionem salarii aliquo modo familialis, id minime infitias imus, imo id ultro defendemus in nostra conclusione.

420. De responso romano. 1. *Vices historicae* [1]. Paulo antequam, anno 1891, catholici variarum regionum convenirent Mechlinium, E. C. Goossens, Mechliniensis Archiepiscopus, quo facilius amandaret nimias in disputando concertationes, de salarii quaestione tria interro-

[1] Eas ferme referemus ex opere R. D. de T'Serclaes, *Léon XIII*, quod, cum fuerit specialiter probatum S. Pontifici, gravissimum in hac re habet pondus.

gavit S. Sedem. Haec autem, ut fere fit quum non vult propriam interponere auctoritatem et tamen aliquo modo satisfacere oratori, votum exquisivit cujusdam consultoris. Is, ut postea innotuit, Cardinalis erat Zigliara, quem fama est concinnendae Encyclicae *Rerum Novarum* non fuisse expertem. Votum porro Eminentissimi viri, per E. Cardinalem Rampolla Secretarium Status, communicatum est cum E. Archiepiscopo Mechliniensi, qui eum quem res sibi postulare videretur faceret usum responsi, quod vocabatur *modus aliquis opinandi (opinamento)* [1]. Recepto hoc documento, E. Archiepiscopus proposuit S. Sedi ut illud ederetur praescripto titulo quo diceretur continere responsa obtenta per medium Cardinalem Secretarium Status [2]. Is respondit S. Pontificem ejus potius esse sententiae ut in praefatione mere declararetur dubia fuisse, pro rei momento et difficultate, remissa ad consultorem aliquem qui provinciam susciperet ea examinandi atque aperiendi quid de his sentiret [3]. Ita factum est ut edendo documento abstinuerit Em. Archiepiscopus. Verum, sex circiter post mensibus, 22 martii 1892, superior Seminarii quod Gallia habet in Urbe, R. D. Esbach, fecit illud publici juris in periodico *La Science catholique* simulque illud notavit nomine *Document émané du Saint-Siège*.

---

[1] En C. Rampolla verba quibus transmisit responsum : « Il S. Padre avendo ordinato che si esaminassero tali dubbii, è stato formulato l'opinamento che io qui unito rimetto alla E. V. affinchè Ella se ne possa valere nel modo che avviserà più opportuno. »

[2] Ita ad literam : « Le cardinal archevêque de Malines ayant proposé au S^t Père quelques doutes soulevés au sujet de la question du salaire traitée dans l'Enc. *Rerum Novarum*, a reçu par l'intermédiaire du secrétaire d'Etat, S. É. le Cardinal Rampolla, les réponses suivantes » (de T'Serclaes, op. cit. II, p. 107 nota).

[3] Sua Santità ha manifestato che Ella potrebbe modificare il preambolo premesso all'esemplare da lei communicatomi, nel senso di dire che avendo l'E V. proposti alcuni dubbii sollevati intorno alla quistione del salario trattato nell' Enc. *Rerum Novarum*, stante la gravità e delicatezza dell' argomento, è stato incaricato un consultore, di togliere ad esame gli anzidetti dubbii e manifestare in proposito il suo parere, ciò che egli ha prontamente eseguito dando ai singoli quesiti *opportune* risposte. » *Opportune*, id est, *italice*, suo tempore suppeditata, *qui viennent à point, à propos*. Ita R. D. de T'Serclaes, ibidem.

2. Est autem hujus tenoris :

« In Encyclica *Rerum Novarum* dicitur :

« Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac « nominatim in salarii modum consentiant, subest tamen semper « aliquid ex justitia naturali, idque libera paciscentium voluntate « majus et antiquius, scilicet alendo opifici, frugi quidem et bene « morato haud imparem esse mercedem oportere. »

« *Dubium I.* — Num verbis : « Justitia naturalis » intelligitur justitia commutativa, an vero aequitas naturalis ?

« *Ad dub. I :* Per se loquendo intelligitur justitia commutativa.

« *Explanatio.* — Equidem opus operarii plurimum differt a mercimonio, sicut merces differt a pretio. Opus enim operarii est opus procedens a libertate humana, induens propterea rationem meriti et juris ad mercedem, seu praemium ; et ideo longe nobilius mercimonio et pretio, quae sola permutatione absolvuntur. Nihilominus, gratia perspicuitatis, opus operarii consideratur ut quaedam merx ; et praemium seu merces ut quoddam pretium. Nec immerito : nam licet opus operarii nobilius quid sit merce, totam tamen retinet rationem mercis, ex qua parte haec dicit ordinem ad pretium. Rectissima ergo est ratiocinatio S. Thomae I. II, Q. CXIV, art. 1. « Id enim merces dicitur quod alicui « recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quod- « dam pretium ejus. Unde sicut reddere justum pretium pro « re accepta ab aliquo est actus justitiae, ita etiam recompensare « mercedem operis vel laboris est actus justitiae. » Actus justitiae, inquam, commutativae. Sicut enim emptio et venditio, ita opus et merces pro communi utilitate contrahentium sunt, dum scilicet unus indiget re vel opera alterius et e converso. Quod autem est pro communi utilitate, non debet esse magis in gravamen unius quam alterius, et ideo debet secundum aequalitatem rei, quae est proprietas justitiae commutativae, inter dominum et operarium contractus justitiae institui. (Cfr. II. II, Q. LVII, art. 1.)

« Quod si quaeratur criterium, quo statui debeat illa aequalitas rei inter opus manuale operarii et mercedem dandam a domino, respondemus : criterium illud in Encyclica dicitur petendum esse ex operarii fine immediato, qui imponit ei naturale officium seu necessitatem laborandi, ex victu nempe et vestitu ad convenienter vitam sustentandam, et ad quem primo et principaliter labor manualis ordinatur (ib. R. CLXXXVII, art. III). Quoties igitur opus tale sit, quod operarius per ipsum satisfaciat praedicto suo officio naturali consequendi finem immediatum laboris sui, ac merces ad consequendum hunc finem, victum nempe ac vestitum convenientem, impar sit ; per se loquendo et considerata rerum natura, habetur objectiva inaequalitas inter opus et mercedem, et ideo laesio justitiae commutativae.

« Duo tamen hac in re sunt generatim consideranda. Alterum est quod sicut pretium rerum venalium non est punctualiter determinatum a lege naturae, sed magis in quadam communi aestimatione consistit, ita et de mercede generatim est dicendum. Unde, firma manente exigentia ex ratione finis, victus nempe ac vestitus convenientis, mercedi operarii ex communi aestimatione fit, aut saltem fieri potest, salva justitia, modica additio vel minutio, sicut in mercium pretio modica additio vel diminutio ex publica aestimatione, non videtur tollere aequalitatem justitiae. (II. II Q. LXXVII. art. 1, ad 1.) — Alterum est quod in assignanda aequalitate justitiae inter mercedem et opus manuale, non solum attenditur a communi aestimatione tum qualitas tum quantitas operis, sed etiam tempus durationis ejus, item pretia rerum quae emi ab operario debent, ad convenientem victum et vestitum; quae pretia non sunt ubique eadem.

« Quod si denique sine laesa justitia erga operarium, juxta dicta, multum juvatur herus ex opere ejus, potest hic quidem, propria sponte ac laudabiliter, aliquid operario supererogare, sed hoc pertinet ad ejus honestatem quin teneatur ex justitia. Valent scilicet in re nostra principia quae dantur pro justa emptione et venditione (ibid. in corp. art.).

« *Dubium II.* — An peccabit herus qui solvit quidem mercedem opificis sustentationi sufficientem, sed imparem ipsius familiae alendae, sive haec constet uxore et numerosa prole, sive haec non ita numerosa sit? Si affirmative, contra quamnam virtutem?

« *Ad dub. II.* — Non peccabit contra justitiam, poterit tamen quandoque peccare vel contra charitatem, vel contra naturalem honestatem.

« *Explanatio* — Ex hoc ipso quod, juxta declarata in responsione ad primum dubium, aequalitas mercedis et operis observatur, plene satisfit exigentiis justitiae commutativae. Opus autem est opus personale operarii, et non familiae ipsius, nec ad familiam ipsam refertur primo et per se, sed secundario et per accidens, quatenus mercedem acceptam operarius cum suis distribuit. Sicut ergo familia opus, in casu, non auget, ita ex justitia non requirit ut merces debita operi ipsi augeatur.

« Poterit tamen peccare contra charitatem etc...., at non generatim et per se, sed per accidens, et in aliquibus casibus. Unde in responsione dictum est : « *quandoque* ».

« Contra charitatem, non solum modis illis omnibus quibus homo circa charitatem erga proximum peccare potest, sed peculiari etiam modo. Etenim opus operarii cedit in emolumentum heri. Quoties ergo hic ad exercenda charitatis officia in singulis casibus ex praecepto charitatis adigitur, ordinem etiam charitatis observare tenetur. Qui quidem ordo proximiores facit hero opera-

rios diuturnum opus exercentes in ejus utilitatem, quam pauperes alios nihil pro ipso agentes. Quocirca herus potens charitatis officia exercere operarios suos praeferre debet, eis ex charitate elargiendo quod justitia minime exigit, ut merces sic aucta ex charitate sustentandae familiae etiam operarii minus insufficiens evadat. Haec autem generice et quasi theorice sunt habenda ; in praxi enim non temere judicandum est an herus peccet vel non peccet contra charitatem.

« Contra honestatem, cujus proprium est retribuere sponte scilicet et non ex justitia. Nolumus intelligere hic honestatem gratitudinem inducentem ex beneficio accepto, opus enim operarii non est beneficium, quia mercede secundum aequalitatem rei compensatur, sed quod herus ex opere operarii magnum beneficium et emolumentum percipit, quando reapse percipit, et ideo ex quadam naturali honestate recompensare per supererogationem quodammodo tenetur, sicut in resp. ad I § : « Quod si denique », nullo tamen jure in operario ad illam supererogationem existente ut patet.

« *Dubium III.* — An et qua ratione peccant heri, qui nulla vi aut fraude utentes, minus dant salarium quam opera praestita merentur, ac honestae sustentationi sufficit, ideo quod plures operarii sese offerunt, qui parvo illo stipendio contenti sunt seu in illud libere consentiunt ?

« *Ad dub. III.* — Per se loquendo contra justitiam commutativam.

« *Explanatio.* — Dictum est opus operarii, quamvis merx proprie non sit, merci tamen, perspicuitatis gratia, comparari potest, quia in ordine ad mercedis aequalitatem habet totum id quod habet merx ad pretium, et aliquid etiam amplius. Unde recta instituitur argumentatio a minori ad majus. Atqui in emptione non licet, per se loquendo, emere rem minus quam ex communi aestimatione, spectata temporum ac locorum ratione, valet. Ergo a fortiori neque licitum est, sed est contra justitiam, minus dare salarium quam praestita opera meretur, id est honesta sustentationi sufficit. De hoc dubio videatur Encyclica, p. 38 et 39.

« Dixi « *per se loquendo* » ; per accidens possunt dari casus particulares, in quibus heri conducere licite valent operarios inadaequata mercede contentos. Puta si herus aut nullum aut omnino suae vitae convenienter sustentandae insufficiens beneficium retraheret, si mercedem adaequatam largiretur, imo etiam damnum exinde caperet. Hoc enim in casu ac in similibus, etsi quaestio sit prima facie de justitia, revera tamen est quaestio magis de charitate qua herus et sibi et aliis providet. (Cfr. Expl. ad 1^m^ dub. § *Duo tamen.*) »

3. Agedum, *de auctoritate illius documenti*, quod prius indagandum erat, non est, post ea quae narravimus, cur

diu dubii haereamus. Ex vicibus enim historicis haec facile perspiciuntur : Non est responsum S. Sedis ; persona autem scribentis, ex dignitate, scientia et ratione qua versata est in conscribenda Enc. *Rerum Novarum,* documentum informat auctoritate viri gravis ac prudentis ; ejus denique per S. Sedem facta communicatio ostendit certe sententiam illam tunc visam esse probabilem, quam ratione quidem impugnare et redarguere liceret, non autem despicere aut plane reprobare. Ita fere R. D. de T'Serclaes, ll. cc., consentiente jam R. D. Esbach [1] ; ita etiam R. D. Nicotra, in opusculo : *Le minimum de salaire,* art. 1.

4. Minus convenit *ejus recta interpretatio.*

a) Sunt qui existiment responsum illud adversari iis qui arbitrantur salarium quod ex justitia sit per se minimum esse salarium familiale *absolutum.* Hoc tenent Ill. D. Turinaz [2], R. P. Antoine [3], quibus potius favet R. D. de T'Serclaes, patronus tamen salarii familialis.

b) Alii censent doctrinam illam responso non attingi. Sic R. D. Esbach, citatus et probatus a D. Verhaegen, l. c. et D. Périn, op. c. 2e éd. 304, nota. Et re quidem vera, negari nequit dubium II ita fuisse propositum ut interrogaretur de necessitate variandi salarii ad numerum personarum quibus componeretur familia : « Sive haec constet uxore et numerosa familia, sive haec non ita numerosa sit. » Haec autem est, ut videbimus, ratio salarii familialis *relativi*, quam ex justitia per se deberi nemo catholicus contendit. Fieri itaque potest ut mens C. Zigliara a debito salarii familialis absoluti fuerit aliena ; id tamen non *formaliter* hoc responso ostenditur.

Utcumque se res habet, non est tamen omittendum, potuisse R. D. Esbach, fere eodem tempore, se profiteri edoctum a praecelsis auctoribus, per verba *alendo opifici* designari in Encyclica opificem frugi atque honestum,

---

[1] *Epistola* ad ephemer. *Le Monde,* 24 jan. 1895.
[2] *Le salaire familial et le C. Zigliara.*
[3] *Cours d'économie sociale,* 1e édit. p. 570.

viribus non infirmum ac versantem in consuetis adjunctis familiae [1].

Atque ipse R. D. de T'Serclaes testatus est eamdem doctrinam minime esse S. Sedi invisam [2].

421. Conclusio de mente S. Sedis. Quibus dictis, satis, nisi quid nos fallit, apparet :

a) Secundum doctrinam Encyclicae, esse justam aliquam humanae operae retributionen quae sit minima, eamque definiri congruis alimentis ipsius saltem opificis qui operas locat.

b) Quaestionem autem de salario familiali in medio adhuc relinqui, ita ut hic appellandum sit notum illud « In dubiis libertas, in omnibus caritas. »

Id, inquam, quantum ex auctoritate est respondendum. Namque, ut dicam plane quod sentiam, causa ipsa non admodum involuta videtur nec hujusmodi de qua catholici non facile idem sensissent, nisi falsi intellectus vel acrius genus dicendi tenebras obduxissent vel ab ea quorumdam alienassent animos.

Quare hoc maxime nobis nunc est in votis, ut eadem qua proponentur aequitate perpendantur rationum momenta.

§ 2. *Primus aditus disputationis*

Tria hoc loco proponemus : *notiones, opiniones, censuram* quorumdam *argumentorum.*

[1] « J'accepte de répondre à votre question, non point que je me flatte d'y apporter de mon propre fonds aucune lumière nouvelle, mais bien parceque, *ayant été renseigné en haut lieu* sur le sens exact de ce passage du document pontifical, j'ai la confiance de ne rien vous dire qui ne soit conforme à la pure vérité.

. . . . . .

« D'après l'Encyclique, la règle du juste salaire se trouve dans les besoins de l'ouvrier. » — *Je distingue :* la règle éloignée et fondamentale, quoique non adéquate; — *Je sous-distingue:* et l'Enc. entend parler de l'ouvrier sobre et honnête, *se trouvant dans des conditions normales de santé et de famille,* — *Je le concède.* »

[2] D'autres faits témoignent suffisamment que le St-Siège est fort éloigné d'être hostile à la doctrine susdite (au salaire familial). *Epist.* ad *Bien-Public*, 20 jan. 1895.

I. NOTIONES

422. Quid est de quo quaeramus. 1. Ne malo intellectu omnis nostra labefactetur oratio, iterum monendum arbitramur, eam non versari in infima pretii operarum *indicatione vulgari* — supra enim, n. 340, ostendimus cujuslibet rei distingui pretium vulgare justum quod sit maximum, medium, infimum, — ita ut non contendamus jam dedisse quod satis sit qui solverit mercedem quam statuemus minimam ex justis. Quod sitne aliquatenus verum, in scholio investigabimus, hic autem *formaliter* omittimus. Verum, dum de se non repugnat ut aliae res, prae copia qua praesto sunt, ita vilescant ut pene deripiatur omnis earum valor, quaerimus utrum operae humanae, pro numero eorum qui eas offerant locandas, simili vice jactentur [1], an contra naturalis justitia, quam commutativam vocamus, obstet ne ob hanc causam infra certam rationem deprimantur.

2. Nec rursus is poni potest status quaestionis, contra ac fingitur a non paucis qui conclusioni nostrae sunt contrarii, *labor sitne annon rependendus secundum ejus valorem* [2]. Namque id ultro affirmamus [3] et nemo, putamus, negabit qui vel modice attenderit ad ea quae hactenus sunt tradita.

3. Verum illud in quaestionem vocatur, *insitne a natura annon in labore humano aliquis valor qui sit minimus*. Jure ac merito quidem postulant adversarii ut validis argumentis efficiamus veram esse normam quam statuimus sequendam ; sed, dum ipsi volunt laborem aestimare ex

---

[1] Tunc satis absolute valeret famosum illud dictum a Cobden : « Operam vilescere si duo operarii persequantur unum officinatorem ; si autem, contra, duo officinatores unum persequantur operarium, operam fieri cariorem. »

[2] Vanissimae ergo apparent difficultates istius modi « Indigentia non est titulus exigendi salarium supra valorem laboris » : hoc enim conceditur ; sed *negatur suppositum ;* tali salario exsuperari laboris valorem. — Nemo porro umquam contendit laboribus inaequalis meriti esse, ut objicit R. P. Castelein, op. cit. p. 376, idem solvendum salarium.

[3] Imo ab hoc primo initio proficiscitur argumentatio Ill. Episcopi Brugensis, in laudatis animadversionibus.

una pactione, vel ex more officinae quae fortasse sola sit alicujus regionis, vel ex rerum pretio aut numero offerentium, cavcant ne tacite ponant quod ipsis foret demonstrandum, sicque in meram ac putam incurrant petitionem principii.

Itaque, ut paucis rem complectamur, non agitur formaliter in praesentia de pretio *positive* justo, sed potius de *negativa* ejus definitione, de *limite*, dico, *inferiore* valoris operarum, *si sit aliquis*, et *qualis*.

423. Operarium constituimus eum qui, viribus validus, aetate adultus, eam habet scientiam, artem, peritiam, quae, pro cultu civitatis, ab omnibus videtur postulari posse.

424. Operam statuimus conductori ad finem intentum necessariam. Si quis ergo ex caritate aliquem, super numerum consuetum, ascribat ad famulos suos, vel rogatus committat valido opus ad quod honeste praesto sunt vel mulier vel puer, in eum nolumus transferre nostram de salario conclusionem.

425. Salarii ratio *materialis* non semper tota continetur numerata pecunia, sed pro salarii parte haberi possunt commoda alterius generis sive formaliter sive tacite promissa atque conventa [1]. Huc v. gr. pertinet lautior illa ratio vivendi qua famuli domestici frui solent, contributio quae in non paucis officinis solvitur parandae pensioni qua aetati vel infortunio consulatur, modo tunc sit satis cautum ut operarius non possit ad libidinem dimitti nisi damnum amissae hujusmodi spei ipsi sarciatur. Quare diximus *promissa et conventa*, ne subsidia caritatis munere fungantur justi pretii.

Patet etiam ex sola pecunia aestimari non posse quanta sit merces operarum, sed observandum praeterea esse ipsum pecuniae varium valorem, seu quantae res utiles

---

[1] Eleganter D. Périn, *Premiers principes*, p. 285, 2e éd. « Le salaire est la somme des objets utiles qui sont attribués à l'ouvrier en rémunération de son travail. »

ope pecuniae comparari possint. Atque ita distinguunt salarium *verum (salaire réel)* et id quod *nomine tenus* est salarium *(nominal)*.

426. De salario familiali. 1. Ipsum nomen pluribus non probatur, qui existimant his verbis non reddi quod velint, ansamque dari non minimae confusionis [1]. Quod nolumus disputare, quum malimus non recedere a recepto more dicendi etiam qui minus videatur opportunus.

2. Sed sedulo consideranda est quae res his verbis subjiciatur. Agedum, triplex ejus distinguitur ratio, quarum illud est commune, ut in salarii aestimatione non unus operarius sed etiam aliquo modo ejus spectetur familia. Itaque :

a) Dicitur *familiale relativum,* quod variet pro personis quibus constat familia proque earum necessitatibus. Minus tunc attenditur praestita opera quam necessitas praestantis, minusque est retributio laboris quam subsidium indigentiae.

b) Ab hoc plane discrepat *familiale absolutum*, quod describitur talis laboris retributio qua valeat operarius *frugi et honestus, non neglectis subsidiis quae parsimonia et cooperatio moderata uxoris et liberorum afferre possunt,* sibi decenter consulere in variis adjunctis in quibus, decurrente vita, per se versabitur. Inter haec adjuncta reperitur status conjugalis, et proles consueta [2]. Haec est ejus genuina et formalis ratio, quam conclusione nostra fere tuebimur. Quid autem materialiter comprehendere videatur, dicemus explicatius in corollariis, n. 444.

c) Denique salarium *familiale collectivum* intelligitur summa salariorum ab opificum ordine perceptorum, quae

---

[1] « Le terme salaire familial doit être banni du vocabulaire de la saine économie politique. » Périn, *Premiers principes*, 2e édit. p. 303, note. Nec placet nomen Ill. D. Waffelaert, art. cit.

[2] Hanc rationem nonnihil pervertunt, vel inadaequate exponunt, qui absolutum dicunt salarium, cujus praesens ratio *praesentibus* necessitatibus sufficiat.

ope variorum subsidiorum [1], sufficiat alendis opificibus cum familiis. Bifariam ergo dicitur collectivum : α) Quatenus sufficientia non sit singulorum, distributive sumptorum, sed, in genere, universitatis operariorum; β) Quatenus non solius mercedis sed etiam subducenda sit ratio subsidiorum quae alio quam commutativae justitiae titulo solvuntur, sive, pro sua humanitate vel aequitate, ipse herus vel magister ea paraverit et partiri constituerit, sive aliena caritas aut publica providentia supplendi quod satis sit susceperint provinciam.

N. B. Cave, ne, ut quidam dicere instituunt, salario *familiali* opponas *personale*. Personale siquidem omnes dicimus salarium, quatenus est commutatio operae personalis illius qui conducitur, et quatenus ipsi debetur non autem familiae. Praeterea pater, qua suis prospicit, non ita a suis distinguitur ut cum his non potius existimandus sit, in morali consideratione, una persona seu juris subjectum. Cfr. n. 39.

Si qui tamen defendant salarium familiale relativum, ii videntur, omissa persona opificis, salarium immediate addicere familiae. Quare, summum, contra ipsos, usurpari possit verbum salarii personalis atque argumentum ex hoc nomine depromptum. Ratio salarii quae uni homini alendo sit par, commodius dici possit *singularis (individuel)*.

II. SENTENTIAE

427. Placita liberalia. Quotquot tenent *liberalia placita*, nisi quaestionem de limite omittunt, profitentes suam ipsorum rei considerationem esse oeconomicam non autem moralem — ita non pauci oeconomistae, — aliquem *justi* limitem e naturae fonte hauriri negant. *Justi*, inquam, namque aliquam facti necessitatem concedunt, ut operarius labore suo alatur, imo prolem gignere

[1] Etiam quae *publice* suppeditentur, ut explicant *Collationes Tornacenses*, 1895, n. 353.

valeat, ne pereat ipse operariorum ordo. Quam doctrinam esse alienissimam ab Enc. *Rerum Novarum,* satis de se perspicuum est.

428. De iis qui rerum pretium statuunt normam absolutam.

De hac opinione iterum sermo fiet in confirmanda conclusione. Hic monebimus praesertim, non satis, ut nobis videtur, ad mentem respondere S. Pontificis, qui plane aspernentur operarii necessitates ut criterium justae mercedis, quamvis et ipsi contendant alimenta non defutura operario ex alia norma absoluta, quam ponunt *in laboris valore* aestimato *ex rerum pretio.* Legenti etenim locum supra laudatum Encyclicae, facile constat conclusionem de salario quod *alendo opifici* sit impar, arte copulari et connecti cum argumento sumpto ab opificis necessitate. Hoc ergo si ex toto praetermittas, necesse est ut *formaliter* falsam judices Pontificis conclusionem, etsi forte ipsi conserves materialem aliquam veritatem.

Haec saltem opus est ut a catholicis teneatur Encyclicae declaratio quam, post resp. rom. ad 1, ita tradit Génicot, *Theol. mor.* n. 646. « Dissimilis est (h. e. labor mercibus), quatenus vis agens qua labor praestatur, adhaeret personae (*ratio personalitatis*) et pro plerisque hominibus unicum est medium quo sibi comparent res quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae (*ratio necessitatis*). Non est igitur subducendus contractus locationis operae generali normae qua justum pretium in contractu emptionis venditionis statuatur, vid. ut opera compensetur, ex ipsa rerum natura et antecedenter ad privatam conventionem (justitia naturalis), vero valore quem in concretis adjunctis habeat. Sed *e speciali ratione necessitatis*, quae ab humana opera separari non potest, fit ut communiter et seclusis specialibus adjunctis, valor hujus laboris nequeat juste aestimari infra illud pretium quod alendo operario frugi et bene morato sufficiat. »

Formalis iste respectus necessitatis desideratur in regulis et rationibus R. P. Castelein [1], quas supra ostendimus non respicere nisi operas quaestuosas et parum feliciter proponi. Ipse autem non distincte agit de limite et de positive justo salario; sin minus, ut putamus, non affinxisset, p. 376, patronis salarii

[1] Id magis etiam apparet ex modo quo p. 379 nota, et 397 vult se vindicare a contrarietate cum Encyclica.

familialis absoluti hanc insulsitatem qua dixissent « omnibus promiscue idem esse solvendum salarium, quantacumque sit uniuscujusque laboris differentia, (p. 376). » In reformando intellectu aliarum rationum quibus niti existimat salarii familialis sententiam nolumus hic immorari. Potius exponemus cl. professoris opinionem qualem eam ipsi sumus assecuti.

Negative, rejicit omne *salarii familialis*, tam absoluti quam relativi debitum, quod ad justitiam vel caritatem ascriberetur; *positive* autem defendit aliquam *collectivi* salarii rationem fere hoc modo :

a) Qui ex negotiorum magistris vel officinatoribus aliquid possunt in pretium mercium, prohibentur pretium ita definire ut non valeant operariis solvere salarium collectivum (p. 382). Quod si quaeras, quo titulo prohibeantur, respondebit (p. 367-70) : *aequitate* et *justitia generali*. Aequitatem vult eam esse « quae supplet defectum justitiae commutativae in relationibus ubi stricta aequalitas vel proportio dati et accepti detegi nequit. » Justitia vero generalis, ut ipse eam accipit, « habet pro objecto bonum commune atque, in iis ubi deficit norma justitiae commutativae, indicat quid fieri deceat vel debeat, ut sine laesione juris privati res communes in commune omnium bonum ordinentur. » Aequitas ipsa « subordinatur non raro justitiae generali. »

b) Obtento hoc pretio, ipsam partem quam cl. scriptor addicit operariis rursus dividit in duas (p. 384) :

1. Altera *fixa*, debetur operario ex *justitia commutativa* : ea est « quam quisque opifex juxta valorem operae censendus est mereri. » Rogabis undenam is valor definiatur, cum nullus jam videatur esse usus normae quae praedicabatur *proxima*, *stricta* et *absoluta* et quae, si bene meminimus, sumebatur a valore laboris « juxta aequum rei productae pretium (p. 376) ? » Sic fere rem ordinat p. 380, 381 : a) Omnibus per se debentur alimenta proprii corporis. Namque hoc postulat justa commutatio, ut vires in labore consumptae pretio laboris reficiantur. b) Praeterea unusquisque accipiet secundum meritum laboris, definitum regionis usu [1]. — Ast, pace dixerim cl. viri, nonne sic cogitur alias regulas proximas appellare praeter eam quam tantopere celebrabat ? — c) Ipsum illud meritum erit revera tantum ut per se, etiam « in ordine oeconomico parum fausto sed non perverso » labor collec-

[1] Alibi, p. 372, dicit satis esse, quod ad justitiam commutativam, ut herus procuret et rependat salario « laborem aeque proficuum et facilem quem ipse opifex proprio marte inveniret. » Neque hoc nobis probatur. Cum enim opifices saepe parum possint sine officinatore, ipse autem officinator nihil valeat sine opificibus, nequit aestimari valor alterutrius ex eis quae fecissent separatim, sed ex iis quae conjuncti communiter possunt. Quod, ut jam monuimus, de solis operis dicimus quarum usus est quaestuosus.

tivus opificum debeat eorum classi necessaria victus et vestitus providere; « in ordine autem magis fausto, quem normalem vocari licet » eidem classi ipsa quae statum decent suppeditare (p. 381). Ita salarium, ut dicit « juxta principia justitiae commutativae ». — Sed juvat hic admonere, fieri non posse ut collectiva sufficientia immediate respiciatur vel procuretur a justitia commutativa. Labor enim non est collective ordinatus — neque hoc in votis est cl. scriptoris. — Justitia itaque commutativa, quae, neglectis personis, res cum rebus comparat, alienissima est ab alicujus collectionis respectu. Collectiva praeterea sufficientia dicit inaequalem pro variis necessitatibus distributionem — cfr. quomodo ipse cl. scriptor explicet p. 385 salarium familiale collectivum, — dum justitia commutativa, neglecta hac varietate, tribuit quod objective sit justum. Quare sufficientia illa, quantum pertinet ad commutativam justitiam, mediate tantum aderit quatenus valor operae singularis statuatur tantus ut pleraeque familiae ex eo habeant quod satis est, quaedam praeterea, quarum minora sunt onera, potius abundent, et quaedam contra egeant subsidiis istis quae a cl. scriptore optime commendantur magistrorum humanitati.

2. Altera « pars mobilis et libera, nempe subventiones patronales deductae ab illis beneficiis, quae potius ex arte dirigentium laborem opificum quam ex opificum speciali sollertia derivantur, licet tamen labor opificum ibi tamquam causa inferior interveniat et quidem modo indeterminato... Haec distribuentur partim pro merito, sub forma participationis beneficiorum ; partim pro ipsis tam variis opificum familiarum necessitatibus. »

Sincera hac expositione nobis videtur confirmari normas istas, satis incertas atque involutas, a falsis proficisci initiis nec paucis laborare incommodis. Namque, praeter ea quae diximus n. **406**, a) Suppleri debent aliae ; b) Ponunt falsam rationem justitiae legalis, quae nomine tenus foret justitia, re autem hic caritas vel aequitas. Cfr. dicta ab initio in thesi de justitia legali. c) Commutativae justitiae tribuunt partes ab ejus ratione alienas; d) Introducunt aequitatem ita descriptam ut quid sit et quam vim habeat obligandi plane relinquatur in medio.

429. De iis qui justitiam legalem appellant. Alii *limitem* inferiorem *justi salarii formaliter* ponunt *in alimentis singularis opificis.* Alimenta ista interdum satis stricte intelligunt de iis quae in praesenti videntur requisita [1].

[1] « Le juste salaire minimal est égal à la subsistance *journalière* de l'ouvrier dans les conditions normales. » Antoine, *Cours d'économie sociale*, c. 18, art. 4, p. 601.

Simul tamen addunt *salarium familiale absolutum* per se deberi *ex justitia legali:* hanc enim mercedis rationem postulari bono communi.

Partem positivam suae sententiae, qua alimenta exigunt, solent hoc stipare argumento: Operarius validus utendas tradit vires moraliter omnes sui corporis magistro negotii. *E.* Justa non erit commutatio, quippe quae tota nitatur aequalitate inter datum et acceptum, nisi a patrono vires istae operario restituantur. Restituuntur autem per alimenta quibus se reficit. Habemus itaque hanc aequationem:

Salarium quod est minimum = Vires utendae = Alimenta

Ne quid dissimulemus vel obtegamus, parum nobis placet hoc genus argumenti, sive ejus consideremus *antecedens*, sive ejus *consequens*, sive ipsam *consequentiam*.

Ad antecedens. Si ageretur de jumento, bene intelligeremus ejus vires destinari omnes homini utenti, nec alimenta, nec quietem eidem suppeditari nisi quatenus dirigantur ad novum laborem. Nobiliorem autem habent usum corpus et vires operarii-hominis. Illud itaque adduci minime possumus, ut omnis vacatio a servili opere referatur ad utilitatem conductoris. Sed concesso labori congruo aliquo tempore, per reliquum diem vel tempus imprimis sibi et familiae videtur nobis opifex et conversari, et feriari, et uti sive ingenio sive corpore et vivere. Quae cum ita sint, verum non videtur antecedens, quo vires omnes dicebantur traditae ad usum conductoris operarum.

Quod si dicant, tradi tamen istas vires per illud tempus quo ipse sibi operari potuisset artifex, facile, si parumper attendant, videbunt se formaliter mutare argumentum. Cur enim *integra* refectio virium debetur propter *partialem* illum usum? Nullam aliam invenient rationem, nisi vel quia tanti saltem aestimatur communiter, vel quia ex recta naturae ordinatione merito concluditur hanc viribus humanis competere a natura fertilitatem, ut ipse sibi fructuose impendens operas suas artifex tantumdem per se collegisset, ita ut haec retributio sit quaedam lucri cessantis compensatio. Tunc autem rursus quaeremus annon majus aliquid ex hac naturae ordinatione colligi queat? De quo adeas argumenta thesis.

Ad consequens. Refectio illa virium, si haec una est debita, fieri potest minimo sumptu, si voluerit officinator apte deligere cibos [1], instaurare operariis epulas communes et cubicula. Quidni prohi-

[1] Celebritatem sibi nactus est quidam *Landlord* ex Anglia qui artes vulgavit parce alendi operarios.

beretur ex hac norma aestimare pretium alimentorum? Sic autem recidit stricta obligatio ad salarium illud quod infamia quadam est notatum nomine *salaire de famine, Hungerslohn,* et pertinet ad vituperandum *sweatingsystem.* Neque ad hujusmodi salarium nemo catholicus deprimet inferiorem justitiae limitem. Frustraneum est ergo tale ratiocinium.

N. B. Hoc tamen genus ratiocinandi nobis causa fuisse videtur cur plures qui propriis operarii alimentis limitem inferiorem definiunt, aperte vel tacite non respicerent nisi ad praesentem operarii indigentiam, nec semper per se debitam affirmare auderent mercedem qua valeret aliquid reservare ad consulendum probabili infirmitati vel senio.

Ipsa *consequentia* non videtur recta. Jam aliquem ejus patefecimus defectum improbando *antecedens.* Praeterea, nisi operarii vires feceris in se steriles ut pecuniam, aequalitas dati et accepti non exigit tantum restitutionem virium, sed compensationem usus. Mirum profecto est, hoc nostro seculo, ubi de gratuitate mutui pecuniae tantopere est dubitatum, simul ita aestimatas esse operas artificis ut sterilis mutui viderentur esse objectum.

Si hanc *legalis justitiae obligationem* ita intelligerent, cum R. D. De Gryse [1], ut significarent officium principis inducendi aptis mediis talem ordinem oeconomicum in quo familialis ratio facto vigeret, relicta interea re privatorum aequitati vel humanitati, dicerent aliquid definitum quod probabiliter teneri potest.

Plerique autem hanc vim voci subjiciunt ut, seclusa omni lege, esset in ipsis privatis praesens ac gravis justitiae legalis obligatio solvendi per se hanc mercedem. Ita RR. PP. Antoine, l. c. p. 607, Génicot, l. c. n. 647, R. D. Keesen, 3e Congrès de Liège, 1re sect. *Terminologie sociale,* p. 98.

Istos arbitramur confuse dicere vel verbo decipi.

Eatenus enim, ut intelleximus ex S. Thoma, thes. IV, est legalis justitia virtus specialis, quatenus, ex propria intentione boni communis, facit necessarium aliquem actum alterius virtutis. Si dicas ergo obligationem justitiae legalis, tacite dicis actum alterius virtutis ex bono communi praeceptum. Continuo ergo, ut distincte loquaris,

[1] *De contractu conductionis operarum*, p. 47-49.

declarandum tibi est cujusnam virtutis imperetur actus. Ita si legali justitia tenentur christiani, certis diebus, adesse sacro, abstinere carnibus, obligationes istae a theologis ascribuntur ad religionem, ad temperantiam. Pari modo, in re nostra, specialis virtus est indicanda cujus actus sit necessarius ; illam dico virtutem cujus est ordo in quo fit praeceptum. In praesentia autem quid aliud agitur nisi conveniens operarii retributio ? Si ergo autumes ex bono communi requiri *retributionem* familialem, hoc est, *talem operae commutationem,* necesse est fateri hanc proxime pertinere ad justitiam commutativam. Ceterum, quonam, quaeso, argumento utuntur theologi ad demonstrandam furti materiam absolute gravem ? Appellant bonum commune. Reatum tamen dicunt adversari justitiae commutativae. Non est hic ab illa sapientia recedendum.

Si vero voluerint reperire titulum distinctum ab obligatione strictae justitiae quae negatur, et caritatis quam fatentur non sufficere, frustra conantur nova aliqua virtutis ratione augere virtutum catalogum.

Frustra, inquam, non tamen sine bonae causae detrimento. Si enim ratio boni communis ponitur *proxime* et *immediate* parere heris seu magistris obligationem specialem solvendi mercedem familialem, ne familiae operariorum congruis deficiant alimentis, videtur haec ratio conjunctaque conclusio circumscribi posse iis operariis qui revera matrimonio sunt juncti et variare gradum ac vim pro ipsius familiae variatione. Imo defendi posset cum R. P. Castelein, p. 384, bonum commune melius procurari subventionibus ad singularum familiarum necessitates accommodatis. Quare a) Herus facile se immunem putabit ab obligatione quod ad caelibes, atque inde mox in ipso voluntas ac studium nascentur potius tales conducendi ; b) Res tota recidet in aliquam sat parum definitam obligationem salarii collectivi, quo operarii, nisi usus sit *(salaire courant)* mercedis familialis, fiunt, quod

ad suae domus necessitates, ex toto obnoxii benevolentiae atque humanitati magistrorum.

430. De iis qui salarium familiale absolutum ascribunt ad commutativam justitiam. Non pauci hodie existimant, per se, in recto atque ordinario rerum statu, ipsam *mercedem saltem familialem absolutam* deberi tanquam *justum pretium opificis adulti.* Sententia ista egregios nacta est patronos : C. Manning, *Commentarius in Encyclicam,* Liberatore, op. cit. p. 2 n. 89 ; Marrès, *De justitia et jure,* II. 333 ; R. D. Nicotra, *Le minimum de salaire,* art. 2 ; Steccanella, *De Communismo,* l. 2, c. 15 ; RR. PP. Lehmkuhl, opusculo cit. ; Biederlack, *Die sociale Frage*, n. 99 ; R. D. de T'Serclaes, in laudata epistola ad *Bien Public, Collationes Tornacenses* 1895, n. 353 ; DD. A. Verhaegen, *Le minimum de salaire,* atque Esbach in epistola huic opusculo inserta ; Périn, *Premiers principes* et *Note sur le juste salaire ;* R. P. Dehon, *Manuel social chrétien ;* RR. DD. Gayraud, *Questions du jour,* p. 171-176 ; Pottier, *De justitia,* n. 195 sqq. Iis non repugnat d'Hulst, *6e confér. à N. D. de Paris,* 1896. Neque aliud eruitur ex iis quae de retributione officialium habet Taparelli, *Saggio,* etc. n. 1143, collato cum 428.

Eidem sententiae re astipulatur Ill. Episcopus Brugensis, et eo quidem modo qui nobis magis probatur, ut dicemus in conclusione.

431. De patronis salarii relativi. Salarium autem relativum deberi ex justitia, uni contendere possunt *socialistae* vel potius *communistae* [1] ex sua norma distributionis, qua pro suis quisque viribus contribueret, acciperet autem pro suis necessitatibus. De ea egimus satis in thesi V de justa distributione et quaestione V de socialismo. Quare pluribus supersedere licet. Nam quum a nemine ex catholicis scriptoribus defendatur, satis oleum perdunt osores

[1] « Ce serait la prétention extrême du socialisme pur, attribuant à chaque travailleur une rémunération proportionnée à ses besoins. » Périn, *Premiers principes.* 1e éd. p. 297, 2e édit. p. 303.

salarii familialis, cum toti sunt in hac redarguenda justi salarii regula.

Neque officium esse vel aequitatis vel caritatis quo herus teneretur hoc rependere praemium, bene ostenditur a R. P. Castelein, p. 369, 370.

III. DE NONNULLIS ARGUMENTIS

Quo simplicior et directior nobis sit aditus veri, juvat etiam de ipsis argumentis quae in hac re afferri sunt solita nonnulla observare.

432. An limes inferior pendeat ex rerum pretio? A falso proficiscaris initio, si ita arguas ut videaris operam humanam tum primum oeconomice aestimare, seu dignam judicare pretio, ex quo valorem auget aliarum rerum, seu adhibetur ad gignendas divitias. *Ex se* enim valere, jam monuimus, — ubi de discrimine inter operas et pecuniam, n. 415, — et omnino est manifestum. Sin minus, a famulatu, a multis operis non quaestuosis, abesset omnis valor, omne justum pretium. Quod autem pondus existimationis non negamus inesse ferro, argento, lanae, vilissimis rebus, illud a nobilissima rerum, ab usu dico personae humanae abjudicare audebimus ac pretium laboris humani subjicere, ut normae superiori, aliarum rerum pretio? Quare, sicut ille qui res aliunde pretiosas destinare velit suo exercendo artificio — puta ferrum converti machinam officinae, equum addici vehendis mercibus — debeat, si illas emat vel conducat, jam hunc valorem rependere vendenti vel locanti, praeter illum qui accedere solet ex hujusmodi destinationum usu, ita officinator non potest conductas a se operas aestimare nihili antequam officinae serviant et ex isto usu absolute definire pretium, sed opus habet *praeterea* considerare qua pecuniaria compensatione jam de se sint dignae.

Ex quo perspicitur *non posse in pretio rerum poni regulam adaequatam justi salarii* [1]. Pretium enim eorum quae de se

1 Optime de hac re scribit R. D. Gayraud, *Questions du jour*, p. 167.

habent valorem, est, ex parte saltem, i. e. quod ad inferiorem taxationem, natura prius pretio rerum per ea effectarum. Ex usu quaestuoso fit *accessio* pretii, non *prima* ejus *generatio*. Quare ii qui aliquid valent ad definienda pretia mercium non tam materias aestimant ex pretio rerum effectarum quam ad materiarum valorem et omnia impendia accommodant rerum effectarum pretium [1].

Sententia, itaque, quae ex fructuum pretio aestimare vult instrumenta et materias, est *oeconomice falsa* quod ad cetera; sed, quod ad operas humanas, *viam munit iniquitati*. Dum enim aliarum rerum venditores vel locatores, ipsique pecuniae feneratores, ii solent esse qui valeant rejicere conditiones duriores, operariis non raro nihil suppetit nisi sui juris praesidium. Hoc si negando virtualiter tollas, eosdem libidini permittis magistrorum negotii.

Plane ergo praestituere necesse est iis qui, vel soli vel conjuncti [2], aliquo pollent momento in mercatibus, normam qua de valore operarum humanarum sit ipsis judicandum. Quod in praesenti quaestione nobis est propositum. Huc tunc facile recidit fere tota quaestio justi salarii, utrum possit, sine injuria, omne pretium statui operarum quo spes est fore ut sint qui operas locent, an contra sit ingenitus quidam, et quisnam, earumdem operarum valor, subtractus effectui contentionum, qui proinde limes sit inferior justi earum pretii.

Hoc definito, ultro quidem concedemus, quod effecimus superiore thesi, eos qui necessitate premuntur obtemperandi aliorum definitioni, excusari ab injuria si minore mercium pretio cogantur minorem polliceri mercedem :

---

[1] Fallaces simul ostenduntur rationes hujusmodi : « Patronus... intendit conducere opificis operam formaliter propter fructum materialiter productum. » (R. P. Castelein, op. c. p. 377.) Nam etsi non alia sit ipsius intentio quod ad lanam ex qua pannum efficiet, debebit tamen lanae venditori justum lanae solvere pretium. Quid est cur minus teneretur aequum pendere stipendium, illud dico quod de se jam meretur opera humana ?

[2] Quod dicimus, ne videantur esse pauci. Et re quidem vera, quotidianus usus ostendit officinatores, si consenserint non vendere nisi certo pretio, non parum valere ad obtinendum aequam rerum aestimationem.

quos dicemus, non quidem justum solvere sed excusari a justo solvendo (cfr. 343, 349), sed caveas ne, confundens causas excusationis et objectivae justitiae, justum salarium adaequate aestimari velis pretio rerum, in quo nimis vilescente non habetur jam nisi ratio declinandi crimen furti, nullatenus autem limitis inferioris norma.

433. Rationes nimis particulares. *Inadaequatae* et *suspectae* sunt rationes quae non conveniunt in conductarum operarum universitatem sed in unum genus tantum, v. gr. artium quaestuosarum. *Inadaequatae,* nam praesens causa pertinet ad cuncta genera; atque etiam *suspectae,* namque eo quod propriae sunt alicujus generis, videntur minus respicere valorem illum communem omnis operae humanae, de quo agitur in quaestione limitis inferioris, quam specialem pretii accessionem ex causa aliqua peculiari.

434. Quid si arguas ex Encyclica, ex officio se suosque tuendi.

1. *In causa salarii familialis* formaliter appellari nequit Encyclica *Rerum Novarum.* Cur ita opinemur, dedimus supra ; atque illud jam a plerisque hodie conceditur.

2. *Ab officio se suosque tuendi* ad jus obtinendi stipendii per quod impleatur, illatio *immediata* non est recta. Si enim immediata ponitur conclusio, haec tam late patere debet quam ejus principium. Quare eodem modo definiendum foret jus obtinendi illius stipendii atque officium se suosque tuendi ; et sive ad plures sive ad pauciores istud pertineat personas, sive *per se* comprehendat solos filios et uxorem, sive *per accidens* extendatur ad parentes, ad ipsum jus fient *per se* vel *per accidens* similes extensiones. Quid enim reprehendas, *concessa majore,* in hoc ratiocinio : Officium alendi demonstrat jus recipiendi pro labore salarium quo alimenta comparentur. *A.* Titio competit officium alendi decem personas. *E.* Titio demonstratur jus recipiendi stipendio alimenta decem personarum? — Hanc vim argumenti non effugias, nisi apte circumscribas *majorem* syllogismi, et sic ostendas aliquid medium inter-

ponendum esse inter conclusionem et principium ipsum, aliquid medium, inquam, quo opportune temperetur.

Quocirca aliquid desiderari autumamus in argumentatione R. D. Pottier, quum ita, op. c. n. 227, statuit principium : « Ubi est natura impositum officium atque ad illud implendum unicum natura datum est medium, cui est impositum officium, ille jus strictum habet ad illud medium » ; et ope dein *minoris*, quam ex n. 205, 217 ita proponere licet : *A*. Opifici stipendium laboris est unicum natura datum medium ad implendum officium naturale alendi se et suos, — concludit ipsi jus competere obtinendi salarium quo se suosque alere convenienter valeat. Non potest enim cl. professor declinare consectaria de salario relativo, etc., quae repudiat in numeris sequentibus, nisi negando vel distinguendo alterutram praemissam et simul fatendo ratiocinium non esse apte expressum.

435. De argumento a simili. Nec videtur *immediate* transferri posse in causam familiae quod de propria dicitur operarii persona. Negari enim nequit aliquid interesse inter obligationem quae a natura imponitur et aliam cujus causa est libera ita ut nec ab omnibus opportune suscipiatur, seu, si malueris, inter officium quod presse est singulorum et aliud quod non erit facto nisi majoris hominum partis.

436. Quid imprimis spectandum. Imo parum efficaces manebunt rationes demonstrandi et docendi salarii familialis, nisi persuadeant retributionem illam consonare valori qui per se inest hominis adulti labori. Sin minus, occurrent semper adversarii, non immerito contendentes non esse ex justitia rependendam operam nisi secundum hujus valorem ; hanc esse enim perpetuam justae commutationis regulam.

§ 3. *Formula et argumenta conclusionis*

THESIS XXIX

Limes inferior mercedis qua commutanda est opera opificis validi atque adulti est stipendium quod per se congruit patrifamilias.

437. I. Status Quaestionis. 1. INTENTIO itaque THESIS tota versatur in definiendo valore qui in omni opera

humana, sive usum habeat fructuosum sive non, per se inest proindeque dicendus est ejus maxime proprius et minimus ex veris. Quem valorem contendimus esse *familialem* illum *absolutum*, supra descriptum et infra magis explicandum.

Positionem tamen istam ita defendimus ut non negemus probabilem, quamvis extrinsecam, vim sententiae quae limitem ponit in congrua singularis hominis retributione.

2. SENTENTIAE. Quibusnam astipulemur jam diximus, n. 430.

Nobis adversantur : a) Quotquot, adhaerentes placitis scholae liberalis, negant omnem regulam objectivam valoris, vel solam fatalem necessitatem legis alicujus oeconomicae admittunt ; b) Qui pretium infimum statuunt alimenta unius hominis, simulque omne debitum negant salarii familialis. Namque ii qui tuentur hoc deberi ex *praesente* officio justitiae legalis fere a nobis non distant nisi verbis et ambiguo modo dicendi ; c) *Communistae,* qui propugnant debitum salarii familialis relativi, si quod tamen salarium concedunt. Potius enim ipsi formae repugnant hujusmodi stipulationis quotquot socialismi cujuspiam vexilla sequuntur.

3. EXPLICANTUR VOCES.

Limes inferior, seu summa infra quam haerere nequit pretium *objective* justum; non autem quae semper satis sit, vel a qua solvenda nulla ratio *per accidens* excuset,

Justae mercedis : justitiam dicimus commutativam,

Qua commutanda est opera : de conducta enim opera fit sermo,

Opificis validi : Validum intelligimus, qui viribus polleat et hac scientia et arte quae ob perfectiorem cultum civilem possunt esse moraliter omnium communes. Non loquimur de eo quem gallice dixeris « *un déclassé.* »

Atque adulti : Adultum sumimus eum qui ea est aetate qua solent, in regione, matrimonio conjungi et habere liberos ; sive revera uxorem duxerit, sive permanserit caelebs.

Est stipendium quod per se: His verbis indicamus nos intueri adjuncta ordinaria in quibus versari solet paterfamilias. Non eam ergo postulamus mercedem quae exigatur ad *extraordinarium* numerum liberorum. Observes a nobis non dici familiam *mediam.* Hoc enim recto dici non arbitramur ut postea explicabimus, n. 445. Sed familiam ponimus quorum onera moraliter existimantur ordinaria.

Congruit patrifamilias. Non dicimus ergo qua comparari possint *totius* familiae alimenta, vel quae *actu* semper respondeat, etiam cum justo subsidio uxoris et filiorum, *praesentibus* necessitatibus, sed talis qua possit frugi atque honestus opifex, adhibendo fructum parsimoniae suae et illum quem merito exspectat ab opera uxoris et liberorum, sibi suisque decenter, ut aiunt, id est *mediocriter*, pro sua conditione, consulere.

II. **Probatio.**

438. Argumentorum praemunitio. Tria autem prius proponenda videntur quorum in argumentatione fere continuus erit tacitus usus, ita ut eorum ignoratio vel oblivio elevaret fidem et perspicuitatem rationum.

1. Justitia, quum habeat medium rei, et commutativa, quum, plane soluta respectu personarum, comparet rem cum re, omnino manifestum est salarium quo, ex justitia, commutanda est humana opera, non variare sive tribuendum sit viro caelibi, sive patrifamilias cujus parva numero vel multa sit proles. Hoc titulo, mere compensanda est opera cujus valor ex ipsa operae ratione non autem operantis qualitate pendere necesse est. Quare *salarium familiale*, si quod debetur ex justitia *commutativa*, non potest esse *nec collectivum*, *nec relativum* sed *absolutum*, atque omnibus qui operam navant hoc pretio dignam, sive cum uxore fuerint sive non, est idem jus illud obtinendi.

2. *Status conjugalis* ita est *communis status hominum*, ut natura voluerit *omnibus* plene adultis per se competere facultatem moraliter expeditam illius status incundi. Id

probant : a) Vires procreandi liberos per se omnibus collatae, et quaedam insufficientia propria qua *per se* sexus alter alterius eget subsidio, ita ut ambo conjuges aliquid unum et quasi primum ens completum efficiant ; b) Maxima propensio per se singulis ingenita ad amorem conjugalem [1] ; c) Communis necessitas illius status ad mores conservandos. Caelibatum, quem alicui ratio superior non suaserit, plerumque comitantur pessimi mores. Quare SS. Patres efferunt perfectam castitatem, ut aliquid angelicum et supra vires humanas ; d) Factum universale et perpetuum.

Porro status ille induit etiam *per se* conditionem patrisfamilias.

3. *Per se ordinatur pater ad alendam familiam.* (S. Thomas II. II, q. 101, art. 2, ad 2.) Initio, ex ipso corpore parentum aluntur filii, et diu deinceps ne stipem quidem emendicare pro se possunt. Quare, si pater quispiam loquatur de *suis* necessitatibus, omnes intelligunt etiam necessitates suorum, quae, a theologis ut a vulgo, pari jure ac loco habentur. Inde v. gr. necessitas familiae ut propria egestas excusat a restitutione.

Quocirca eleganter Ill. D. Waffelaert, l. c. : « L'ouvrier peut compter comme sa subsistance, sa subsistance complète, *comme un ouvrier, père de famille.* »

439. B. **Argumenta.**

Arg. 1. Ex aestimatione communi. Norma valoris rerum et operae humanae est aestimatio communis (Thes. XXV).

A. Aestimatio communis non sinit mercedem validi et adulti opificis haerere infra stipendium per se congruum patrifamilias.

E. Iste est limes justi stipendii opificis validi atque adulti.

Probatur minor. Ita enim aestimant :

---

[1] Jam legitur apud Ciceronem, *De finibus*, l. 1, c. 16. « Quae cupiditates a natura proficiscuntur, facile explentur sine ulla injuria. »

a) *Operarii* [1] et quotquot se stipendio locant, qui, nisi ex statu labili rerum vel extraordinariis adjunctis in quibus ipsi versantur causam perspexerint exceptionis, in querelas et obmurmurationes prorumpunt si minoris conducuntur ;

b) *Plerique alii* communiter, qui ultroneo affectu misericordiae velut indignam arbitrantur talem operariorum sortem. Quam saepe haec vel alia similia audiuntur : « Merces ista nimis exigua est in civitate. Quomodo ea « ali possit operarii familia ? »

c) *Ipsi theologi* qui, freti S. Paulo, I. Cor. IX, 14 [2], volunt etiam illi qui incumbat in opera spiritualia jus competere ad congruum victum et cultum. Quanto minus talem abjudicarint ab illis qui directe quaerunt lucrum ! Semper autem, ut monuimus, animo obversari debet, operarium adultum non obtinere per se congrua vitae praesidia nisi merces sit familialis.

d) *Imo moraliter omnes.* Huc pertinent effata, v. gr. « *Victum labore comparare, vivre de son travail, travail = gagne pain,* » quibus conjuncta et copulata apparent labor et victus ; — sic explicatur quomodo definiendi stipendii officialium, ejusque augendi, haec ratio perpetuo afferatur, talem requiri retributionem ut officialis possit pro sua conditione vivere cum sua familia : cujus rationis vis a nemine negatur [3]. Et quantae forent dolentium querimoniae et querelae, si ipsis statuerentur honoraria minora quam quibus se suosque honeste alere valerent !

---

[1] « Les ouvriers, contrairement à la donnée économique, n'ont cessé de prétendre que le salaire devait être réglé par leurs besoins, non par le rapport de l'offre et de la demande. » Ém. Ollivier, cit. a de T'Serclaes.

[2] « Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. » Ubi observes S. Paulo perinde esse « vivere de Evangelio » ac mercedem *suam* accipere. Dixerat enim Dominus, Luc. X. 7, « Dignus est enim operarius mercede sua. »

[3] Ita Taparelli, eo quod magistratus operam navat civitati, hanc debito astringit solvendi stipendium : a) quo magistratus se suosque alat b) quo sibi compensetur lucrum cessans. *Saggio* etc. n. 1143. Qui cum, n. 428, dixerit famulum operam navare hero, perinde judicasset de mercede operariorum.

Similem autem esse causam officialium et operariorum, ab initio ostendimus. — Neque aliud demonstrant perpetua studia omnium qui opera conducunt vel res divendunt, ut ex pretio commode domus tota alatur [1]. — Quid, quod tam naturalis atque insita in animis nostris inest notio istius propositionis, ut nemo sit qui umquam nimium petere seu injustum autumarit operarium validum dum talem postulat mercedem omnemque ad illam comparandam movet lapidem. Postulatio itaque procul dubio est justa. Videas autem quo spectet hoc initium. Si *justa* postulatio, ergo postulatio est *justi pretii*. Sed si *justum* est pretium, ergo est *debitum*. Quid enim justum, nisi *aequale debitum* (17)? Neve dicas, non ideo injustam pronunciari mercedem minorem. Censemus, et priores rationes factae id confirmant, objective injustam seu inaequalem pronunciari mercedem minorem ab omnibus qui animo praejudiciis soluto rem considerent. Ceterum, praeterquam quod plerique latitudinem pretii justi explicant ex mera discrepantia judiciorum verisimilium (349), ita ut pretium quod ab omnibus positive justum putetur sit necessario debitum, omnes certe fatentur, intervallum, quod ad res quae sunt in usu, non esse magnum inter infimum et summum pretium. Ingens autem intercedit discrimen inter mercedem *familialem* et *singularem*, quippe quod *formale* sit, et non modicae partis summae totius. Et jam in iis quae ad alterutrius rationem dicentur pertinere, locus erit variis iisque verisimilibus sententiis.

Audiatur haec praeclara *confirmatio* ex verbis D. Périn loquentis de moribus civitatis christianae : « L'opinion profondément pénétrée de la pensée et du sentiment catholiques, n'aurait jamais considéré comme juste un

[1] Jam sec. XIV, Henricus de Langenstein, *De contractibus*, 1 pars c. 12, volens modum indicare quo possit per se « laborator » juste suas res aestimare, ita habet : « Consideret pro quanto, res suas vendendo, statum suum continuare possit et se in ipso competenter nutrire, et secundum hoc impensis et laboribus rationabiliter aestimatis, mensuret et pretium operum. » Apud Brants : *Les théor. écon. au XIII^e et au XIV^e siècle*, p. 119.

salaire qui n'aurait pas procuré le nécessaire au père de famille vivant de son travail. » *Premiers principes*, 2e édition, p. 307.

Arg. 2. Ex ordine naturae seu divinae providentiae.

N. B. Hoc argumento penitiorem veluti attingimus rationem, qua ipsa explicatur aestimatio communis et vis qua ferimur ad justum judicandum salarium familiale. Est autem hujusmodi.

Inter necessaria in quibus natura negatur deficere, quum potius operetur ad abundantiam, profecto illud reperitur, ut nihil per se sit inordinatum vel incompositum, proindeque ad fines naturales parata sint media *per se* apta et sufficientia. *Per se*, inquam : natura enim respicit ea quae plerumque sunt, ita ut in paucioribus accidere possit defectus. Cui tamen ipsi defectui, pro magis vel minus absoluta necessitate boni contrarii, occurrere tunc solet per extraordinariam provisionem. Ex his jam perspicitur cur, in aptanda mercede ad familiam, ponere debeamus necessitates ordinarias quibus per se premitur, nec eadem sit vis argumenti quod ad extraordinarias rerum rationes.

A. Ordo iste naturae multis modis postulat debitum salarii familialis absoluti.

E. Natura sancit hoc debitum virtute ad quam pertinet, id est commutativa justitia.

Probatur minor. Detracto hoc debito :

1. *Deficit personalis hominum independentia,* ut ea intenditur a natura. Haec enim ut sit plena, oportet ut non tantum singulis inviolabiliter praesto sint media ad ipsum finem ultimum stricte necessaria, sed etiam ut per se omnibus pateat liber et independens aditus ad bona et ad statum quae natura per se vult esse communia [1]. **A.** Ille

[1] Communia dicimus, non autem omnium, ut significemus minorem necessitatem quam est ea quae pene extrema dicitur. Cfr. **231, 232.** Hanc distinctionem bonorum mutuati sumus a C. de Lugo, d. 16 n. 54, qui proinde plane astipularetur, nisi quid nos fallit, nostrae ratiocinationi.

cui, in aetate adulta, non solvitur merces congrua patrifamilias, non suppetit expedita et independens via ad statum communem matrimonii et consequentem sufficientiam bonorum, quae, aeque ut ipsum statum, natura vult esse communia ; sed, quod ad illa, fit obnoxius aliorum bonae voluntati et misericordiae. *E.*

Ad hanc min. Independens enim aditus dicit vel facultatem quae *physice* adsit et cujus usus *moraliter* nequeat impediri: — ita libertas, usus rerum quae non sunt appropriatae et ipsa facultas laborandi, — vel *inviolabilis facultas exigendi,* i. e. jus stricte tale. Mercenario, qui uno labore locato victum quaerere cogitur, prior deest facultas in nostra civitate ubi divitiae moraliter omnes sunt appropriatae. Restat ergo ut ipsi competat jus. Hoc autem, quum non versemur in casu necessitatis extremae, erit nullum, nisi quod nascitur ex valore operae. **E.** Ne ex parte pereat independentia personalis, oportet ut saltem retributio familialis respondeat *per se* valori operis humanae.

2. *Deficit efficax destinatio bonorum temporalium in usum communem hominum.* Haec enim destinatio, ut sit efficax, postulat : a) Ut hominibus operantibus talem ferat tellus copiam frugum quae omnibus per se par sit decenter alendis ; b) Ut nulla alia rata habeatur rerum appropriatio praeter eam qua omnibus *per se* detur facultas sibi ex bonis istis sufficienter providendi. **A.** Postulato isti eo tantum defertur quod per se copia sit solvendi adultis salarium familiale et obligatio justitiae in operarum magistris.

Ad maj. a) Quaenam secus convenientia inter media et finem ? Neve objicias peccatum *originale.* — Illud enim intactam reliquit, ut aiunt theologi, naturam in substantialibus, nec ratione ostendi potest fuisse, sed sola revelatione. Atque ex ipsa revelatione habemus quidem duri laboris [1] impositam paenam ceu conditionem, non autem

[1] Hic potest esse usus aliquis negativus verborum *Genesis*, ad quae provocatur in ipsa Encyclica : « In sudore vultus tui vesceris pane », quatenus, in edicenda paena, Deus non subtraxerit panem sed mere

sufficientiam fructuum esse sublatam. Contra, *Genesis* IX, 1-3, refert benedictionem impertitam generationi Noë — ergo post peccatum — qua jubentur homines crescere, multiplicari, et vesci animantibus simul ac frugibus terrae.

b) Vidimus enim supra, n. **232**, destinationem communem bonorum non tolli sed potius, ut in aptiore medio, sanciri divisione possessionum. Non autem sanciretur, ex quo ejus vis foret per se privandi permultos expedita facultate sibi satis providendi ex istis bonis [1].

Ad min. a) Quia enim communis adultorum conditio est, suadente natura, ut sint patresfamilias, *per se* non suppetit omnibus copia congrua rerum, nisi haec exigatur ad communes necessitates patrisfamilias. b) Nisi haec sit obligatio justitiae, plerisque, iis dico qui labore victum quaerunt, nullum competit per se medium sibi satis providendi. Namque officium *caritatis* quo dives teneretur, conjunctum copiae bonorum, ponit quidem *in divite* facultatem dandi, et voluntatem si observet honestatem, nullam autem *in paupere facultatem* sive *sumendi* sive *exigendi*, et proin nullum medium. Medium enim est illud quo utendi habeas expeditam potestatem.

3. *Deficiunt per se vires, facultates viri adulti.* Per se vires, facultates viri adulti diriguntur ad providendas non eas tantum res quae sibi necessariae sunt, sed etiam maximam partem eorum quibus familia opus habet. Cfr. 438$_3$. Neque aliorum quam parentum curae per se committuntur filii. Sicut ergo alimenta ab adultis absumpta, ex parte, sed quantum satis est, destinantur in prolem generandam ; sicut matri parantur natae proli ubera plena lacte, ita oportet, ut in civitate ubi adultorum

---

asperiorem fecerit viam illum assequendi. Usum nimis positivum istius loci, quem plures videntur facere scriptores, v. gr. Liberatore, non immerito improbat et carpit R. P. Castelein, p. 374.

[1] De civitate libera semper agimus. Status ipse servitutis per accidens habetur. Cfr. scholion, n. **451**.

magna pars pro divitiis fere unam habet industriam, vires adultorum per se hac sint praeditae fertilitate qua valeant et sibi et domui maximam partem sufficere. Fertilitas ista, instar cujuspiam lucri cessantis, compensanda est mercede, quae proin, ut justa sit, debet saltem esse familialis. Quod qui negat, simul fateri cogitur vires viri adulti esse ad finem parum aptatas [1]. Quare, etiamsi operas voluerimus omnes aestimare ex fertilitate oeconomica, nihil tamen victi sententia desistemus. Cfr. idem argumentum apud A. Verhaegen, op. c. n. III, qui affert etiam Taparelli; vel apud D. Perin, op. c. 2e éd. p. 413, vel Liberatore n. 89.

4. *Non satis cautum est bono communi.* Retributionem familialem ad bonum commune summopere expedire, imo vix non esse necessariam, fere non ambigitur. Illudque prae ceteris praeclare effert R. P. Antoine, *Cours d'économie sociale*, p. 606. Dicemus itaque sapientem naturam, quae ad bonum commune direxit ipsa jura, ita res disposuisse ut opera humana per se digna foret ea retributione quam postulat ratio boni communis. — Neve appellent justitiam *legalem*, quae nulla est nisi confuse dicat in casu idem quod nos expresse contendimus. Praetereaque quam mirum illud sit et parum verisimile, si fatendum sit a bono communi requiri ut opera humana rependatur *nimis*, i. e. ultra suum verum valorem? Recolas etiam supra dicta de simili exemplo materiae gravis furti. — Neve dixeris a bono communi hoc unum exigi ut ample per se occurratur necessitatibus familiarum, idque fieri per salarium *collectivum*. — Illud enim, cum variet pro variis necessitatibus ut facto sunt, nequit, ut monebamus n. 438, deberi ex justitia commutativa. Hoc autem debito excluso, redeunt omnia incommoda quibus convincuntur ii qui salarii familialis debitum repetunt a caritate, ab aequitate, a justitia legali.

---

[1] « Il lavoro adunque per l'operaio è virtualmente ciò che gli è necessario pel proprio mantenimento e quello della sua famigliuola. Se dunque egli lo impiega in pro del padrone, convien che il padrone gli retribuisca l'equivalente per serbare così... la giustizia. » Ita Liberatore op cit. n. 89.

Arg. 3 seu variae *confirmationes.*

1. *Oeconomistae*, dum quaerunt de requisitis oeconomicis, normam seu regulam minimi salarii statuunt hanc mercedem qua adulti non sibi solum sed etiam aliquot filiis prospicere queant [1]. Nonne haec nobis indicio sunt hanc mercedem esse per se justam, ut apte omnia inter se cohaereant in civitate?

2. Qui contendunt *salarium familiale actu deberi ex justitia legali*, supra, n. **429, 437**$_2$, ostendimus tacite nobis astipulari.

3. Nisi concedas in thesim nostram, sed limitem inferiorem justae mercedis ponas in retributione congrua hominis singularis, simul fateris non esse per se provisum necessitatibus filiorum qui pertinent ad frequentissimum ordinem proletariorum, ipsosque premi non mere per accidens miseria et egestate [2].

4. *Argumentatio Encyclicae* perfecte quadrat in nostram causam. In officio enim a natura imposito tuendi vitam, rationem reperit habendi pro limite inferiore justae mercedis eam quae alendo opifici non sit impar. Quum status conjugalis sit *per se* a natura intentus ut communis, consequentia officii prolem tuendi omnino similem fundat rationem.

5. Audiatur haec confirmatio ex R. D. Marrès, cl. professore Ruremundano, jam ante Encyclicam scribente, II, 353 : « Justum illud stipendium esse videtur *quo operae locator pro sua conditione sibi suisque providere potest;* dignitas enim humanae naturae et rectus societatis ordo, atque ideo etiam jus naturale postulant ut quisque laborando sustentationi suae providere possit. »

6. Confirmamur ex R. P. *Castelein*. Is enim : a) P. 381, 5, ponit in « normali » rerum statu, salarium ex justitia commutativa rependendum, extendi ad decentiam status procurandam classi opificum. Sententia ista, quae quam proxima sit nostrae neminem fugiet, logice recidit in nostram, si observes, quemadmodum diximus, justitiae esse medium rei, cfr. n. **438**, ita ut haec justitia non possit nisi addicendo singulis validis operariis mercedem familialem absolutam, hanc decentiam suppeditare. b) P. 388 ita arguit : « Divina providentia debuit velle, ut opifex, utpote homo, possit *acquirere* propria virtute non modo vitae necessaria sed conditionem vivendi honestam, liberam et securam... *A.* In

---

[1] Cfr. accuratam analysim istius salarii apud Cauwès, III, n. 805-814, ubi haec dicta notes : « L'unité économique rationnelle sous le rapport du revenu est la famille (n. 813);... Le salaire normal, tel qu'il vient d'être analysé est, à considérer les intérêts économiques de la société, un minimum de rémunération. » Cfr. etiam Périn. *Premiers principes*, 1e éd., p. 295, 296.

[2] « Si le travail devait pourvoir seulement aux besoins personnels du travailleur, qui donc serait chargé en droit naturel de fournir le nécessaire à ceux qui ne peuvent travailler ? » Gayraud, *Questions du jour*, p. 170.

statu societatis ubi jam praeoccupata sunt a legitimis possessoribus bona immobilia et instrumenta laboris, non potest opifex sibi comparare talem conditionem nisi mediante salario familiali *collectivo*... *E.* » Ubi vides eleganter ratiocinari cl. scriptorem et in solo verbo *collectivo* errasse, pro quo ponendum esse *absoluto*, facile constat.

7. Denique operi nostro tanquam fastigium imponemus hanc argumentationem Ill. D. Waffelaert, qua in saepe laudata lucubratione haec eadem nervose complectitur : « Le patron doit à l'ouvrier le juste salaire, l'équivalent du travail fourni ; c'est l'ouvrier qui avec le salaire doit pourvoir à sa subsistance; cette subsistance doit s'entendre de la subsistance d'un honnête ouvrier, père de famille. D'où il suit que dans l'état normal de la Société, et en dehors d'une crise passagère de l'industrie, il faut que le salaire soit suffisant pour que l'ouvrier puisse remplir l'obligation propre du chef de famille. Donc, dans ces conditions normales, le patron est injuste, s'il donne moins. »

N. B. 1. Dicere ergo possumus : sive arguamus *ex aestimatione communi*, sive ex *ingenita fertilitate laboris*, sive *ex bono communi*, aeque ex istis initiis deducemur ad limitem salarii familialis absoluti.

2. *Non juvat hic appellare caritatem vel aequitatem.* Ne propter exceptionem quam nonnulli petere conantur ex rationibus *aequitatis* vel *caritatis*, causa aliqua videatur subesse dubitandi, juvat brevi ratione ostendere quam frustranea sit ista exceptio, quum ambo officia *aequitatis* et *caritatis*, si quae sint, existimari nequeant media quibus per se uteretur natura ad consulendum alicui communi et ordinariae necessitati. Etenim :

a) Ambo respiciunt casus qui *per accidens* habentur. *Aequitas* apte temperat in casibus particularibus nimium rigorem stricti juris. Cfr. thes. seq. et Lehmkuhl I. 776.

Caritatis officium, de quo hic agitur, respicit *miseriam*. Miseria autem nequit esse conditio *per se* intenta a natura pro aliqua classe hominum. Hoc repugnat bono communi.

Cfr. Nicotra op. cit. p. 25 ; Périn op. cit. 2ª ed. Append. p. 413 ; Gayraud p. 170, 171.

b) Caritas non confert jus indigenti. Quare, in hypothesi adversariorum, pleraeque familiae, quod ad decentem victum, per se obnoxiae forent *(dépendraient de)* bonae voluntati aliorum.

Neve objicias rationem qua Deus consuluit propagationi Evangelii (R. P. Castelein, p. 374, nota). Plura observanda forent. Unum hoc satis erit, nos non semel moneri a S. Thoma, comparari non posse supernaturalem oeconomiam cum naturali. Cfr. v. gr. ejus responsum, ad 3, art. 7, q. 23, 1 partis *Summae*.

440. III. **Difficultates.**

N. B. De objectis consectariis. Post non pauca quae de causa atque ipsa ratione arguendi disseruimus, sine negotio videntur dilui adversariorum confirmationes. Imo plures sunt quae nullo pacto nos attingunt et quas hic paucis referemus, tum ne videantur nos fugisse, tum quia occasionem praebent dicendi quod fortasse alicui gratum vel utile esse queat. Sunt autem quaedam consequentiae quarum formidine nonnullorum animi retardantur ab amplectenda causa cui pro sua in miseriores voluntate infensi esse non possunt. Minime itaque nostrae conclusioni et argumentis cohaeret :

1. *Jus ad laborem,* spurium dico et adulterinum quod plane est rejiciendum. Facultas enim quaestuose navandi operam non minus inviolabilis est quam jus excolendi proprii agri ejusque vendendi fructus. Sicut autem huic juri non est conjunctum aliquod justitiae officium quo alii teneantur emere, ita non est in aliis obligatio justitiae alicujus operas conducendi nec potest quisquam, nisi facta pactione, exigere ut alter ipsi suppeditet exercendi vires occasionem.

Agedum nos ad falsam illam juris speciem vindicandam minime adduci nostra ratiocinatione, eo fit perspicuum quod ex officio naturali collegimus hoc unum, a provida

natura per se parata esse media congrua quae essent *vel facultas agendi vel facultas exigendi*. Ad priorem rationem dicimus pertinere jus ad laborem : videlicet a natura ita res esse dispositas ut homini perito atque industrio non deesset per se copia utilis et quaestuosae operae. Imo hujus rationis praesidio usi sumus in tertia secundi argumenti confirmatione.

Per accidens fieri posse ut sint nimis multi qui ad tempus destituantur operandi occasione, simul non negamus ; cui malo tunc per apta remedia, quantum oportet, occurrere civitati erit jus et officium. Per apta tamen remedia, quae, potius quam ipsa operas otiantium locet inutiliter, plerumque in eo erunt reponenda : a) Ut notitia spargatur locorum, personarum, negotiorum quibus quaeruntur operae, ideoque foveantur instituta quae gallice dicuntur *Bourses du travail ;* b) Ut eorumdem aditus fiat expeditior [1] ; c) Ut copia facilis suppetat omnibus eam comparandi peritiam quae numquam non reddit operas pretiosas. Haec est utilitas scholarum in quibus ad varia artificia informantur juvenes (*Écoles industrielles*, *professionnelles* [2]).

2. *Salarium familiale relativum.* Non enim immediate ad necessitates direximus justam aliquam mercedis rationem, sed in necessitate quae plerumque adest indicium vidimus valoris qui per se omni humanae operae inest a natura.

3. *Inaequale salarium* quod penderetur opera viri caelibis et patrisfamilias. Cfr. dicta n. 438.

Agedum, dissolvendae restant, in forma, paucae rationes contrariae.

1. NULLUS INFERIOR LIMES EST STATUENDUS.

---

[1] Huc pertinent *les trains ouvriers*, *abonnements à prix réduit ;* quibus tamen inventis non desunt, per accidens, sua incommoda. His enim fit ut contagio locorum ubi corrupta sunt fides vel mores inficiantur feliciores regiones. Ad industriam caritatem potissimum spectabit haec mala deminuere vel elevare.

[2] Quaenam sit istarum institutionum ratio atque utilitas et quid in hac re sit apud nos laudabiliter factum seu tentatum, videsis in nostro *Manuel social*, p. 285 sqq.

Non debeo emere laborem nisi quanti mihi est. *E.* Si mihi minoris fuerit quam velit assignatus limes, cur ad hunc respicere debeam?

R. D. maj. Nisi quanti tibi est ex proxima regula valoris, seu conventione, sine respèctu superioris legis de servanda aequalitate (cfr. th. XXV), *N. ant.;* nisi quanti tibi est ex pactione non repugnante regulae superiori, *concedo. D. pariter conseq.* Si merces minoris tibi fuerit ex proxima regula sine respectu superioris, non est cur tribuas assignatam quantitatem, *N.* Si minoris tibi fuerit, attenta regula superiore, *Neg. suppos.* id *per se* fieri posse. *Per accidens* autem, concedimus exceptionem.

Hic, ut semper, pro aestimatione arbitraria, exigimus veram aestimationem, quam objective haberi ostendimus, contra liberales, in Thesi XXV, et negamus satis colligi ex facultate conducendi minore pretio alios qui aliqua pressi necessitate vel inviti quaslibet parati sint conditiones recipere.

2. LIMES COLLIGI NEQUIT EX NECESSITATE OPERARII.

a) Non ex indigentia opificis, sed ex valore operae eruenda est justa merces. *A.* Argumentum nititur indigentia illa ut medio demonstrationis. *E.* Non efficit hanc mercedem deberi ex justitia commutativa.

R. D. maj. Non ex indigentia opificis immediate sive formaliter eruenda est justa merces, *C.* Mediate et materialiter, quatenus ostendimus valorem operae pendere remote ex indigentia *(communi)* operarii, et ad eam quantitatem ut minimam quae justa sit *per se* exigi, *N. Ad min.*. Argumentum nititur illa indigentia, *D.* omnia argumenta, *nego;* aliquod ex allatis, *subdist.* immediate aut formaliter, *nego*, mediate vel materialiter, *C.*

Non arguimus formaliter ex indigentia: sin minus pro variis necessitatibus variaret justa quantitas, dum rejicimus salarium relativum, et ponimus quantitatem absolute minimam. Quare nec immediate ex illa necessitate arguimus. Verum communis necessitas nobis indicat provisionem apti alicujus medii a natura factam; quod cum reperiamus non esse aliud quam tale stipendium quod per se congruat patrifamilias, merito hunc limitem constituimus infra quem opera humana, jubente natura, vilescere nequeat.

b) Arguendo ex officio se suosque tuendi ope laboris, tacite inducis jus ad ipsum laborem.

R. Si arguas immediate ex officio *trsm.* mediate, ut fecimus, *nego.* Cfr. modo dicta hic in N. B.

3. SALTEM PONI NEQUIT LIMES IN SALARIO FAMILIALI.

a) Absurdum foret ad familiam opificis esse respiciendum. Insuper tunc heri interesset conducere caelibes.

R. D. assert. In salario familiali relativo, *C.* in absoluto quale descripsimus, *N. Rationem additam concedo, nego* autem a nobis respici ad familiam, cum rationem eamdem omnibus statuamus.

Inst. A. Consequenter deberet variare merces pro familiis.

R. D. min. subsumptam. Si ex necessitate familiae immediate argueretur, *C.* Si ex valore laboris demonstrato per ejus communem destinationem, *nego.*

Inst. Natura quae dicitur non deficere in necessariis, non minus debuit providere casibus extraordinariis opificis invalidi, prolis numero insolitae, cui tamen, ut conceditur, destinavit laborem imparem illis curandis. *E.* Inconsequenter sistitur in adjunctis ordinariis.

R. D. ant. Debuit providere eodem modo et per eadem media, *N.* alio modo et per media subsceiva, quae in aequitate et caritate ponere, quantum opus est [1], non dubitamus, *C.*

Perpetuum est, ordini naturali non repugnare ut per accidens deficiant consueta media. Haec tunc solent aliquatenus alio modo suppleri, etsi non raro minus perfecte. Ita ratio datur ut rectrix hominis adulti. Deficit per accidens in amente. Providetur per remedium extraordinarium caritatis alienae. Cfr. Gayraud, p. 175, 176.

b) Operae sunt personales opificis. *E.* Retributio non debet esse familialis (en Achilles adversariorum).

---

1 Hoc addimus, quia non raro satis erit per aliquod tempus paulo parcius vivere ut occurratur insolitae necessitati. Ita v. gr. patrifamilias lucranti stipendium quod dicimus per se congruum familiae ordinariae, poterit sine nimia difficultate alere binos vel ternos filios qui numerum superent ordinariae domus. Praeterea semper memores simus non ad limitem illum inferiorem necessario exigi salarium justum.

R. D. ant. Sunt personales ex causu efficiente et morali, *C.* Destinatione quam per se habent, *subd.* Destinatione primaria et praecipua, *C.* adaequata, *N.* Hoc est : Quatenus sunt ab opifice et ipsius opificis, *C.* quatenus diriguntur ad unum opificem, *nego. D. pariter conseq.* Retributio non debet esse familialis, quatenus neque debetur familiae, neque ad familiam actu habitam est exigenda, *C.* quatenus non debetur ipsi operario merces quae per se congrua sit patrifamilias, *N.* Cfr. Gayraud, p. 175.

Sic manducatio cibi est personalis et propria manducantis ; et tamen non solas vires adulti redintegrat, sed ministrat vires generativas, et matri lac praebet ad alendos filiolos.

N. B. Observes ratione ista eos solos affici posse qui in salario non vident nisi virtualem virium conductarum restitutionem. Quos falsa decipi specie monuimus supra.

c) Obligatio alendi familiam est libere suscepta ineundo matrimonium ; non sic officium tuendi vitam. De Gryse, p. 48.

R. Summum, haec difficultas suadet non esse omnimodam paritatem inter utrumque ; nec continuo posse, ex obligatione solvendi alimenta ipsi opifici, inferri obligationem salarii congrui patrifamilias. Sed magis directe :

Dist. antec, Est libere suscepta ineundo statum qui ut communis intenditur a natura, *C.* Est libere suscepta sine connexione cum hujusmodi statu, fere ut libere contrahis aes alienum (qua comparatione utitur R. D. De Gryse, l. c.), *N.*

Jam vero nullatenus arguimus ex officio nubendi, sed ex eo quod status ille est communis et necessitas consequens per se plerisque hominibus imponitur.

d) Argumento facto committitur circulus vitiosus, dum vult salarium exigere ad decentis vitae rationem. Haec enim ratio pendet ex ipso salario tanquam ex sua mensura. *E.* nequit fieri mensura justi salari. — Quod *antecedens* sic confirmant. Quaenam pertineant ad decentem victum et cultum, aliter in alio tempore ac regione illud definitur ; plurimumque in hac re valet ipsum laboris pretium. Necesse enim est ad redditus accommodare

sumptus, quo fit ut copia rerum quae suppetant regat ipsa studia ac cupiditates.

R. Nego assertum. Et *ad rationem* subjectam, *Dist. antec.* Decentis victus praesens ratio pendet ex salario tanquam ex ejus mensura adaequata, *N.* inadaequata, *subdist.* ex salario praesente, *N.* ex salario cujus usus fuerit sat universalis et sat diuturnus, *transm.* saltem si concedatur ejus momentum esse subsecivum potius quam principale. *Dist. pariter conseq. E.* Nequit esse justi salarii norma adaequata, *C.* inadaequata, *subdist.* salarii in praesentia solvendi, *N.* salarii temporis sive superioris, sive consequentis ac posteri, *Conc. vel transm.*

Observes a nobis non tam justum salarium quam ejus limitem inferiorem aestimari decenti victu patrifamilias. Notionem istam esse variam pro adjunctis non negamus. Quod sic declaramus. Crescens cultus et prosperitas civitatis communiorem facit usum plurium rerum quae prius erant paucorum, ita ut quaedam possint una aetate existimari voluptaria quae alia judicantur pertinere ad necessaria alimenta. Namque consuetudo, veluti altera natura, est effectrix necessitatum. Porro, quo loco, in communi aestimatione, habeantur variae conditiones hominum, id non parum valet ad definiendum quaenam, pro communi rerum abundantia, videantur esse cujuslibet ordinis necessaria vel decentia praesidia vitae. Ipsos dein singulorum reditus non esse sine momento ad mores inducendos eo facilius a nobis transmitti potest, quod vix umquam diuturnam fore arbitramur dissensionem stipulationum quae fieri solent et quae communiter judicantur fieri debere.

Per se progredientem constituere oportet cultum et prosperitatem. Haec enim videtur intentio Providentiae etiam in hoc aspectabili mundo.

Si tamen, per accidens, in aliqua regione retroagatur prosperitas, contraria tunc ratione easdem operari causas non diffitebimur. Necesse erit, sensim sine sensu pluribus abstinere quibus olim sat communis erat fruitio, et post aliquod temporis spatium molestae et inquietae privationis, jam minora judicabuntur moraliter pertinere ad decentem alicujus ordinis victum.

Brevi itaque sic dicemus. Ex *more* vivendi qui congruat cum generali prosperitate et propria dignitate, definitur decens uniuscujusque victus, *standard of life,* ut dicunt, proindeque praesens limes inferior salarii. In morem illum aliquid potest salarium, non illud quidem quod actu solvitur, sed quod satis inoleverit. Si *praesens* merces adaequate judicanda foret ex *praesenti* more,

isque rursus penderet totus ex *praesenti* mercede, speciem aliquam offerret mota difficultas; nunc autem, quum *ex praesenti more* aestimemus tantum praesentis mercedis *limitem inferiorem*, qui limes nullo pacto sit *praesenti* mercedi obnoxius, sed ex parte tantum mercedi *superioris aetatis*, ubinam istius vitii deprehendi potest vel naevum vel umbra?

Inst. Eo ipso quod variat decens victus nequit esse mensura justi.

R. Nego. Non enim variat formaliter sed materialiter tantum, seu quod ad ea quae in variis regionibus seu temporibus continet. Ceterum, quae mensura proponi possit certior ac stabilior? Necessitates? Earum etiam ratio est varia et magnam partem posita in morali consideratione. Pretium? Quam sit mobile et inconstans, vel qui maxime rudes sint in scientiis oeconomicis ignorare nequeunt.

Inst. Ast ratio illa: a) etiam variat comparate, id est pro variis opificibus; b) plures complectitur gradus, ita ut non sit definita.

R. Ad a) Quatenus in ipso ordine eorum qui conducuntur plures sint gradus, *C.* — Imo hoc ultro fatemur qui ad idem genus ascribimus magistratuum honoraria et stipendia opificum; — Quatenus non possit moraliter aestimari quinam ejusdem, quinam disparis sint conditionis, et quid ad cujusque gradus decentem pertineat victum, *Nego.*

Id non magis difficile est quam modo quolibet alio varia statuere pretia, longe autem facilius quam inter se conferre merita dissimilium operarum quae sunt utiliter praestitae.

Ad b) Non quocumque gradu sed infimo definimus limitem, illo ergo, cujus amotio successionem habet miseriae.

Nonne, ceterum, constans in theologica disciplina et jurisprudentia est usus istius normae? Quoties evenit ut judices sic aestiment alimenta debita parentibus et filiis, et casuistae quid retineri possit a debitore qui non est solvendo!

4. Ex auctoritate.

C. de Lugo, d. 29, n. 62, post Molinam, d. 506, monet

non semper injustam « esse mercedem quae non sufficit ad victum et vestitum decentem famuli », multoque minus, ut observat Molina l. c. n. 2, si impar sit tantum « ad sustentandos suos liberos aut familiam. » Imo, n. 4, Mol. est contentus stipendio quod « attenta multitudine aut raritate eorum qui ad ita inserviendum eo tempore comperiuntur » solvi solet in illa regione.

R. Ipsos agere de famulis qui, ut ipsi statim in confirmandis dictis addunt, valent « simul aliis rebus attendere quibus id quod ad victum et vestitum deficit supplere et providere sibi possint », vel qui simul docentur artem sibi postea utilem, et inde compensationem hauriunt. Simili ratione explicabis quae habet C. de Lugo, n. 63. — Quod ad Molinam, consideres rationes quibus n. 3 explicat cur minore stipendio plures sint contenti. Observes praeterea ipsum prae oculis habere famulos domesticos, qui saepe aliis commodis obtinent accessionem pretii. Aetate autem qua minus corrupta erant principia et judicia, magis facile poterat fidere consueta taxatione regionis, quam nunc, ubi tam frequenter locum habent causae quas ipse n. 4 indicat ut inducentes mercedem minus justam : errores, coactionem, necessitatem.

Denique, ex ipso resp. rom., cum grano salis accipiendum est quod habet Mol. n. 3, a conductore statui posse stipendium pro quo alii libenter offerant laborem. Verum id est, modo quod ad hos justa sit merces, sit actualis occasio tales conducendi, nec praestantia cedant iis quos revera conducas.

§ 4. *Supplementa doctrinae*

1. ***COROLLARIA.***

441. Sollicitudo de congruo salario in primariis referenda est officiis officinatorum seu rei magistrorum, qui conari debent ut hoc pretio merces vendant quo valeant solvere saltem familiale salarium. Nec magis quam ope-

rum redemptoribus fas ipsis est directe vel indirecte fenerari operariorum mercedem.

Officio porro isto tenentur pro viribus non ii solum qui res administrant, sed vel maxime ii quorum nomine negotia geruntur. In hos enim transferenda sunt ea quae in morum disciplina statuuntur a mandantibus praestanda. Culpam mandatarii propriam non participant quidem ex justitia, nisi illam efficaciter habuerint ratam, vel culpae commoda et lucra ad ipsos pervenerint. Verum tenentur ita mandatum committere, ut mandatarius in nulla versetur proxima occasione seu morali quadam necessitate agendi inique, sed solutam habeat optionem explendi partes honesti officinatoris et intelligat sibi hac ratione administrationem esse conlatam. Fit enim ut administratores ipsi doleant quod non possint plura quae maxime interesset ab ipsis praestari.

Quod officium si et officinatoribus et « *actionariis* » satis observatum esset, quot peccata et iniquitates fuissent vitata quae praesentium periculorum non levem dedere ansam !

Quare, quia ab incertis initiis incerta proficisci solet voluntas atque exsecutio, tantopere refert ut boni de hac quaestione consentiant. Quod non esse difficile jam monuimus, si modo velint interrogare sensum christianum et fucatas liberalismi declinare rationes vel insidias.

Causa enim quam satis late disputavimus, limites inferioris justi preti, merito a D. Périn defertur judicanda ad ipsum communem christianorum sensum. Cfr. l. c. in argumentatione.

Ad quam optatissimam concordiam non leve, ut putamus, subsidium afferet lucubratio Ill. Episcopi Brugensis.

442. Causa illa **limitis justi salarii**, quae prima specie propria videbatur infimi ordinis, revera **ad omnes pertinet.** Sua enim quisque pro conditione oportet ut ex congruo quem locaverit labore obtineat, ut competentem mercedem, saltem decentia vitae praesidia, augendam iis

quae ex aestimatione communi justum perficiant pretium. Quod jam docebatur a Taparelli *Saggio teoretico*, etc. n. 1143 seq. Cfr. et Cauwès, n. 811. Manifestum porro est materialiter variare quae hoc titulo sunt tribuenda.

443. Quod **negotium** suscipias **suadente caritate**, id minime excusat per se stipulationem mercedis minoris quam par est. Atque haec causa sedulo secernenda est ab altera ubi ex caritate cooptes inter famulos aliquem quo minime tibi sit opus. In priore enim, motivum illud caritatis est ipsi negotio extrinsecum, nihil afficit ejus fructus, ita ut vera fiat operarum commutatio quae justitiae legibus est minime soluta. In altera, contra, deminutam tibi, vel adeo nullam utilitatem virium suarum affert operarius; qua deminuta ratione aestimare potes ejus operas, non secus ac faceres si conduceres viribus vel peritia inferiorem opificem.

444. Ratio explicatior salarii familialis.

1. Quod ad *personas quibus tribuitur*. Ne novitate dicendi induceremus confusionem, ita proposuimus conclusionem ut salario familiali rependi videretur unius *adulti ac validi* opificis opera. Si tamen sufficientia salarii quod sit familiale aestimatur non omisso fructu ordinariae parsimoniae nec neglecto moderato subsidio puerorum atque uxoris, satis apparet rationem istam quadrare etiam in mercedem qua commutantur operae *adolescentium* et *mulierum*. Oportet ut hi possint, ex locatis — ea qua par est ratione et quantum fert ipsa conditio — operis suis, illud subsidium conferre alendae familiae quo merito onera sibi allevari exspectat paterfamilias. Sic autem, etsi forte plures ne victum quidem sibi soli lucrentur [1], omnes percipient salarium vere familiale.

2. *Quod ad res contentas*. Magis enim definire juvat quae

[1] Vides hic praestationem operarum quae non compensatur alimentis, et quidem jure ac merito, ita ut rursus appareat vanam esse rationem haustam ex necessaria aequatione inter concessas vires et alimenta. Cfr. supra, n. 429.

generali continentur formula *decentis victus opificis et familiae.*

Agedum, si animum attendamus ad officia atque curas quibus homo in vita sua per se sollicitatur, facile, nisi quid nos fugit, ad decentem victum spectare probabitur, ut *frugi atque honestus* operarius, *sapienti* usus *parsimonia*, fruensque *consueto subsidio* familiae :

a) Valeat per se, sibi suisque, providere mediocrem, pro conditione, cibum [1], vestitum, tectum.

b) Valeat observare festivos dies et alicui recreationi indulgere.

c) Valeat congruae liberorum institutioni consulere.

d) Valeat consuetis morborum et variorum periculorum casibus occurrere.

e) Valeat parare sibi non inopem senectutem.

Quid praesto esse debeat ad binas istas posteriores necessitates, docebunt ipsi mores regionis atque inventae artes quibus, diviso inter multos incerto onere atque periculo, minore sumptu sarciatur damnum eorum quos clades revera affecerit. Quare, si usus fert ut senes hospitio recipiantur apud filium quempiam, opus erit ut infirmus haec possit, ex pristinis operis, supplere, quibus filii isti oneri sint ferendo. Hodie, in nostris regionibus, satis erit si possit, dum viribus valet, hanc contribuere pecuniam qua pretium solvat « assecurationum » contra morbum, infirmitatem et probabilia infortunia.

Haec fere sunt quae nobis salario familiali absoluto videntur contineri. Quorum si unum dempseris, fateris simul miseriam esse statum in quo, auctore natura, per se versantur magna pars generis humani. Confirmatur

[1] Huc pertinet ut a propria matre lactentur filii. Notum est, facilius quam in votis est naturae quaeri opulentioris familiae infantibus ubera aliena. Quo non ita raro fit ut vel praemium detur filiabus quae fornicatae sunt, vel honesta mulier subducatur suis liberis suoque marito. Haec tunc mala impendent, ut mulier fiat fugiens laboris, fastidiat cibos suae conditionis, vir se det incontinentiae atque intemperantiae, atque omnis turbetur domus.

ceterum nostra expositio a D. A. Verhaegen, op. cit. p. 59, a R. D. Gayraud, op. c. p. 177, 178, atque a R. P. Martin, ita scribente in periodico *Études religieuses :* « Puisqu'il s'agit de l'existence d'un homme et de sa famille, le salaire est, pour l'ouvrier, le logement, la nourriture, le vêtement, les outils, l'école pour les enfants, et de plus une épargne pour les mauvais jours, le chômage ou la maladie » (Études relig. 1892, t. 55bis, p. 214).

II. *SCHOLIA.*

445. Cur consuetus, seu non nimius, **potius quam medius spectetur numerus filiorum ?** Adjuncta diximus deligenda potius *non extraordinaria* quam *media* (contra Liberatore et plures), quia media familia non est, nec solet ad figmenta mentis nostrae natura res aptare, sed ad ea quae sunt plerumque et potius abundando quam deficiendo. Neque his calculis nititur communis aestimatio, quae tantae in nostro argumento est auctoritatis. Media enim familiae ratio paucis est nota, dum, contra, omnes ordinaria familiorum adjuncta ab extraordinariis dignoscent.

Ceterum calculos subducere medietatis cujuspiam tunc solum est utile, cum revera alicui compensatur quod est nimium et quod est nimis parum. Sic, si modico intervallo recipienda sint 10, 20, 30, fere nihil tua referet haec ita obtinere ut sunt descripta vel partibus aequalibus ter acquirere 20. Sed cum variis subjectis varia cedunt, ita ut quod alteri obtingat ad alterum nihil attineat, fieri potest ut media ratio sit nulli congrua. Ut si duo sint vestiendi, alter gigas, pusillus alter, ad neutrum corpus vestis media erit habilis. Pariter in nostra re, nihil proderit familiae cujus onera medietatem superent, esse alias quibus supersunt media alimenta.

Juvat in fine exemplo illustrare quid intersit inter utramque aestimationem. Sint 15 familiae quae, pro numero prolium, ita disponantur, ut una careat progenie, duae filios genuerint singulos, duae binos, duae ternos, qua-

tuor quaternos, duae senos, una denos. Apud nos quinaria vel senaria proles nondum dicetur extraordinaria: ad hunc ergo numerum licebit, nostra sententia, exigere mercedem familialem. Media tamen ratio, seu $\frac{58}{15} = 3\frac{13}{15}$, non esset nisi fere 4. Ingens tamen monemus non esse discrimen, cum ex una vel altera prole non valde variet annuus sumptus tenuis domus.

446. Relatio stipendiorum ad congruum victum. Nihil repugnat quin certa stipendia superent, etiam valde, congruum victum patrisfamilias. Plerumque tamen, non diuturnum futurum esse excessum haec duo videntur demonstrare: a) Quod ex ipsa abundantia mos contrahetur cultus lautioris, quo more jam ad plura pertinget ratio decentis victus; b) Quod, ista pinguioris stipendii cupidine allecti, plures incipient contendere de istis muneribus obtinendis, quo fiet ut deprimatur pretium.

Ita ceterum mere in hanc causam a nobis transfertur lex generalis qua secluso monopolio, pretia rerum dicuntur per se aequiparari ad congrua alimenta, vel impendia consueta.

Falsa est itaque *lex aenea salariorum,* si, eam statuendo, contendas non esse ex operariorum ordine qui ditescere valeant et in alterum superiorem transire; vel victum decentem eisdem fere rebus perpetuo contineri, cum contra ejus fiant constanter accessiones. Si vero mere contendas, nec plerumque nec diu stipendia valde praestare iis quae ad decentem victum, ut varie pro variis temporibus definitur, existimantur pertinere, dicis quod verum videatur, sed quod simul nihil habeat unde oeconomicum ordinem abhorreamus.

447. Ex quibusnam causis fas sit solvere mercedem quae non sit familialis. Causae istae nascuntur:

a) *Ex persona opificis,* tum ex ejus *qualitate*: ut si minus sit idoneus; tum ex ejus *morbis vel oneribus*, quorum ratio sit insueta; tum ex ejus *voluntate*, ut si, nulla pressus necessitate, libenter offerat operas minore pretio.

b) *Ex conjunctis commodis*, quae, tacite promissa, compensant defectum. Huc nobis videtur pertinere lautior victus famulorum domesticorum.

c) *Ex labili statu rerum (temps de crise)*, qui plerumque saltem excusat magistros.

d) *Ex ipsa conditione peculiaris negotii* ad quod conducuntur operae, si modo difficultates non sint in voluntate officinatoris.

448. *Quaeres*, **an ideo excuseris a solvenda mercede familiali, quia alii sunt qui satis ultroneum dent in minorem mercedem consensum ?**

R. Si *vere* praesto tibi sint alii qui nullatenus existimentur inviti, quia, v. gr. ob frugaliorem quam profitentur vitam, vel subsidia quae aliunde habent, sibi possint sufficere, non possis injuriae damnari si cuilibet solvas hanc mercedem qua hi alii fuissent contenti et revera operas locassent. Ita jam respondebat Molina, d. 506, n. 3.

Huc pertinent querelae quibus solent tenuis conditionis artifices dolere aemulationem personarum quae communem agunt vitam in domibus religiosis, vel eorum qui carcere sunt detenti. Quae quamvis soleant modum excedere, dignae tamen sunt consideratione. Fieri enim possit ut etiam personae religiosissimae, quae tam bene merentur de humano genere, sic plurium rebus familiaribus indirecte afferant detrimentum, operas offerendo nimis vili pretio. Quod foret non minus alienum ab ipsarum humanissimis consiliis quam causae religiosarum congregationum invidiosum ac damnosum. Quare, si quid opinamur, opportune cavebit competens auctoritas, ut vel illas tantum exerceant operas quae in illam invidiam incurrere non valent, vel, nisi caritas aliter suadeat in casu particulari, exigant justum operae pretium. Simile jam aliquid non raro statuitur ab Ordinariis de Missarum stipendiis.

449. *Quaeres*, **quid juris dum, languentibus universe rebus in aliqua regione,** ita ut infra limitem ibi juste deprimatur merces, **una floreat officina.** Num hujus magister tenebitur ex commutativa justitia solvere mercedem limite non inferiorem ?

R. Causa ista videtur ambigi posse, ita ut satis quispiam duxerit si quis solvat justum in illa regione pretium. Quod profecto dicendum foret de cujuslibet alius rei pretio.

Nihilominus, autumamus cum R. D. De Gryse, op. cit. p. 41 et 60, respondendum esse herum quemlibet teneri ex justitia officio solvendi mercedem limite non inferiorem statim atque illud ferat negotii proprii conditio, etiam si causa subsit particularis.

Cujus rei ratio haec est quia, ut constat ex argumentis, valor ille ex se competit humanae operae et non tantum ex usu ejus quaestuoso, seu communi fertilitate. Cfr. *N. B.* post probationem, p. 565. Neque in hac fertilitate fundatur aestimatio communis. Quare, etiam in statu rerum labili, etsi plerique excusantur necessitate, communis tamen aestimatio, recte considerata, non infra limitem statuet justum operarum pretium. Etiam tunc justa putabitur petitio mercedis familialis. Manet sua vis factae argumentationi. Justum autem pretium omnibus qui possint imponitur a commutativa justitia solvendum.

Atque hic apparet quid intersit inter merces et operas humanas.

450. *Quaeres* **de operis quae solitae sunt committi personis non conjunctis matrimonio** an excipiendae sint iis in quas convenit limes salarii familialis ?

R. Ita plures dicunt. v. gr. Taparelli, n. 1143, R. D. Pottier, l. c. n. 221. Nobis videtur utendum distinctione. Si agitur de genere operarum *non quaestuosarum,* ac revera in more sit positum ut committantur personis matrimonio solutis, existimamus nihil obstare quin aestimatio communis non statuat hujusmodi operis, tanquam justi limitem, nisi propria ipsius opificis conducti alimenta.

Si vero operae impendantur *fructuose,* atque ejus sint generis quod per se postulet vires ac prudentiam adulti, ipsa fertilitas quae inest per se in operis mercede est compensanda. Quae cum per se non haereat infra victum patrisfamilias, videtur limitem justi pretii nullatenus mutari quia soleant ii qui his operis se dant abstinere conjugio.

451. *Quaeres* **quomodo servitus,** qua operae humanae

nihili fiunt, non **stricte repugnet naturae quae vetat ne minoris aestimentur salario familiali ?**

R. Servum non conduci atque, ob causam peculiarem, non habere proprias suas ipsius operas quas pretio commutaret. Neque huic tamen neglexit natura consulere. Ex quo enim servus in familiam cooptatur heri, is tenetur pietate, quae virtus ipsa justitia est praestantior, servum ejusque liberos atque uxorem congruis alimentis providere.

452. *Quaeres* **quid juris de salario collectivo ?**

R. Omnino nobis probari, si prius teneas rigorosum debitum justi salarii cujus limes inferior per se congruat patriifamilias, humanitatem et aequitatem negotiorum magistri qua variis subsidiis opituletur peculiaribus operariorum necessitatibus. Quod, quum referat ad bonum commune, ipsa publica potestas opportune fovere ne omittat.

Cur autem ratio illa, quae varia est nec definitur nisi ex singularum familiarum statu non posset imponi justitia commutativa, jam monuimus supra, n. 438. Cfr. Périn, *Prem. princ.* 2e éd. p. 395.

453. *Quaeres* **a quibusnam opportunius fiat definitio solvendi stipendii.**

R. 1. Quamvis per se, a provincia potestatis publicae non magis aliena sit legitima indicatio salariorum quam cibariorum [1], satis convenit inter scriptores, eam minime expedire. Ex nimis enim variis adjunctis congruam pendere mercedem quam ut lege bene definiri possit : Quod ipsius Enc. *Rerum Novarum* haud ambiguis confirmatur verbis [2].

---

1 Ita Biederlack, *Die Sociale Frage*, n. 99.

2 « Verumtamen in his similibusque causis.... ne magistratus sese inferat importunius... satius erit eas res judicio reservare collegiorum, de quibus infra dicturi sumus, aut aliam inire viam, qua rationes mercenariorum, uti par est, salvae sint » Unum hic monemus. Quia simul hic S. Pontifex alia quaedam numerat quibus timet importunum interventum potestatis publicae, nullo pacto sequitur ut omnia *positive* faciat paria inter se nec magis velit magistratum uno quam alio abstinere. In hac re falli nobis videtur R. D. Pottier, Diss. 3, n. 240, cum contendit haec eodem censu esse ponenda secundum S. Pontificis sententiam.

2. Si tantae virtutis ac modestiae essent omnes magistri negotiorum ut ex aequo et bono causam istam judicarent nec sua abuterentur praevalenti conditione, satius haec res privatae pactioni inter singulos operarios et magistrum relinqueretur constituenda. Nam non deesse sua sodalitiis incommoda, atque ipsis operariis non parum timendum esse dominatum turbatorum vulgi, quotidiano usu habemus cognitum.

3. Quia tamen, hodie praesertim, ubi vesana lucri cupidine tam multi abripiuntur, abjecta non raro omni religione, non est spes fore ut sese omnes vel plerique sine aliquo freno contineant, ad exitum non pervenietur, nisi, cum S. Pontifice, has res amandemus ad sodalitia opificum, simul tamen omni opere nitentes ut animo christiano quo informentur semoveantur pleraque pericula. Atque, ad multas vitandas querelas, optimum erit si hoc modo, ut jam sollemne est in Anglia, una statuatur totius regionis ratio mercedis quae singulis rependatur artibus, nec in alia officina constituatur alia.

454. *Quaeres* **num hactenus dicta transferri valeant in colonum qui fundum redimit,** ita ut ejus victus referendus esset a locatore inter impendia quae de speratis fructibus sunt imprimis detrahenda ?

R. Plane dissimilis est causa istius coloni et operariorum de quibus agebamus. Hi *locant operas* et *conducuntur,* iste *conducit agros* locatos. Operarii in *alieno* versantur negotio, colonus in *suo.* Ad operarios *non attinet* qua prudentia administrentur res, merces divendantur; *omnis* negotii compositio atque ordinatio *pertinet* ad colonum. Quo pacto praeparentur arva frumentis, quibus fructibus conserantur agri, quot pecoribus majoris et minoris generis, quot fundis et pascuis constet rusticae expeditionis universitas : praecipua haec capita, quibus artissime conjungitur et copulatur spes fructus, ab ipso colono, eoque uno, ut rei magistro, definiuntur.

Qua igitur ratione tam dissimiles causas possis una

pensare trutina et agri locatores obligare ut aliquo modo in aleam eant negotiationis alienae?

Aies, colonos laborare in fundis alienis. — Sicut propolae tabernam exercent in domo aliena, sicut ipsi officinatores, vel maximi, officinam interdum conducunt et saepissime aliena pecunia negotiantur : quos tamen omnes dicemus suo periculo res administrare. Scilicet, colonus laborat in fundo alieno *quod ad dominium, id concedo ; quod ad usum, id nego :* hujus enim usus ad ipsum ex fundi locatione est addictus.

Neve afferas locum S. Pauli, *Epist.* 2 *Ad Timoth.* II, 6 : « Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. » Namque, ut aperte dicamus, locus iste parum nobis videtur huc facere, cum *litera* atque *intentio* scribentis ad dispar dirigantur argumentum. *Litera*, inquam : nec enim definite agit de agricola qui agrum conduxerit, nec quae portio imprimis ipsi debeat obtingere declarat ; nec comparat agricolam nominatim cum domino agri, cujus jus diceretur subsecivum. Intentio autem S. Pauli, quantum distet a nostra causa, fit perspicuum ex contexta oratione. Vult enim his similitudinibus hortari discipulum ad diligenter ac studiose curandum munus spirituale. Quod ni praestiterit, ipsi eripiendam fore coronam, non secus atque ille « qui certat in agone non coronatur nisi legitime certaverit (v. 5). » Quod si naviter procuraverit aliorum salutem, ipsum imprimis spiritualibus bonis esse laetaturum, quemadmodum agricola prius fruitur fructibus quam hi qui eos emptione vel alio titulo sibi comparaverint [1].

Non possumus ergo in hac re assentiri R. D. Pottier, qui n. 233, 234 fere has affert rationes. Ipse ceterum, n. 235, fatetur, ut aliquid manifestum, materiam stipulationis operarum et conductionis agrorum « esse diversam omnino ». Quocirca, ni fallimur, facile hanc alteram probabit defensionem colonorum, quorum profecto dignam judicamus causam quae bonorum sollicitet animos, quum non minus religione sua quam genere artificii maxime prosint reipublicae.

Quamvis, ubi nullum est stipendium, agi non possit de inferiore stipendii limite, non ideo tamen negandi sunt fines justi pretii, id est mercedis agrorum. Cfr. thes. XXV. Et profecto, nimia foret merces solvenda a colonis,

---

1 « S Paul veut dire que les évêques et ceux qui, sous leur direction, travaillent pour le salut de leurs frères, ne perdent pas leur peine. Le premier fruit de leur travail est pour eux. En travaillant, dans les dispositions convenables, au salut des autres, ils assurent par là même leur propre salut. » Drach et Bayle, *La Sainte Bible*, in h. l. Imo fuere qui, prementes vim vocis *Laborantem*, ita fere locum sunt interpretati quasi dixerit Apostolus : non otiosum sed laborantem agricolam oportet primum percipere de fructibus. Ita Bisping, Beelen, h. l.

si tanta statueretur ut ex agricultura, prudenter suscepta, proindeque in fundo non nimis exiguo nec sine sufficienti « capitali », communiter non valerent ipsi hos sibi colligere fructus quibus congruam haberent : a) Proprii laboris retributionem, b) Fenus consuetum capitalis, c) Ipsius aleae compensationem, i. e. spem lucri meri quo compensetur periculum damni.

Verum illud, ut jam monuimus, est commune jus omnium qui, negotium suscipientes, simul aedificium conducunt vel accipiunt mutuam pecuniam [1].

N. B. Patet posse colonum, ubi inconsueta fuerit sterilitas, uti privilegio quo ipsa lex definivit quid tunc acquitati sit deferendum.

CAPUT III

DE MUTUIS MAGISTRI ET OPERARII OFFICIIS POST FACTAM CONDUCTIONEM

Doutreloux, *Lettre pastorale sur la Question ouvrière;* **Liberatore**, *Principii di economia politica*, 2 p. n. 108-126; **Lehmkuhl**, *Arbeitersvertrag und Strike;* **Antoine**, *Cours d'économie sociale*, c. XII, art. 3, 4; c. XIV; c. XV, art. 5; **De Gryse**, *De Contractu conductionis*, p. 68-114; **Biederlack**, *Die sociale Frage*, p. 2, c. 2; **Dehon**, *Manuel social chrétien*, p. 1, c. 8; **Harmel**, *Manuel d'une corporation chrétienne;* **Périn**, *Le patron;* **Castelein**, *Le Socialisme et le Droit de propriété*, c. 9, p. 289 et sqq.; — *Institutiones philosophiae moralis et socialis*, p. 393, 395-403; **Pottier**, *De jure et justitia*, Diss. 3, et 184-191; **Ed. Capelle**, *Le problème actuel*, 3e p. c. 5; atque opus editum a coetibus catholicis Galliae (*œuvres des cercles catholiques*), praescripto hoc titulo : *Questions sociales et ouvrières. Régime du travail*, VIII. *Nature du contrat de travail*, p. 231, sq., p. 281.

ARTICULUS I. Conclusio cum notionibus et argumentis

THESIS XXX

Conductionis operarum communem rationem comitantur officia justitiae, hinc quidem incolumem servandi cum personam operarii, i. e. ejus corpus et animum, tum ejus honorem, illinc vero non laedendi res vel famam magistri.

---

[1] Simili plane modo de hoc argumento disseruere *Collationes Tornacenses*, nov. 1894, n. 351.

Eandem consequitur vinculum artioris cujusdam propinquitatis quo alter cum altero conjungitur ac debitum quasi-pietatis in hero, in operario autem observantiae.

Naturae apprime consentanea est imitatio quaedam herilis societatis.

455. I. Status quaestionis. 1. INTENTIO THESIS eo spectat ut perficiatur ratio stipulationis operarum, descriptis iis officiis mutuis atque habitudine quae huic generi pactionis aliquo modo conjunguntur et copulantur.

2. TRES THESIS ESSE PARTES ostendit formula conclusionis, quarum binis prioribus definiuntur officia, tertia vero illud quod naturae potius votis congruit quam ab ipsa stricte praecipitur.

3. Non una tamen est OFFICIORUM CUM ILLO CONTRACTU COMPARATIO. Quae enim afferuntur *justitiae* officia non tam ex pactione nascuntur quam per ejus occasionem, quatenus ipsum ea violandi periculum nos hortari debet ut ad illa exsequenda magis intendamus animum ; dum aliorum officiorum potest ipsa pactio praedicari mediate auctrix et effectrix.

4. SENTENTIAE. Omissa prima parte, contra quam magis est usu peccatum quam disputandi sit voluntas vel copia, binis aliis partibus simul adversantur *Socialistae* et *Liberales,* diversa tamen ratione. Socialistae enim, ex suo dogmate principali de absoluta hominum aequalitate, omnia respuunt praeter ea quae ad strictam justitiam referuntur ; liberalismi autem doctores diu silentio praeteriere alia heri officia quam promissam solvendi mercedem, discipuli vero nimis saepe plane neglexerunt eorumdem officiorum usum. Quod si interdum, in ista disciplina, commendatur quaedam humanitas, commodis temporalibus omnis res finitur, atque ita plerumque componitur ut nullam inducat majorem personarum animorumque conjunctionem.

Nemo *catholicus* nobis hic est *formaliter* contrarius. Quaenam tamen in *praeceptis* referenda sint, quaenam in *consiliis ;* atque, ex praeceptis, quaenam *justitia,* quaenam altera imperentur virtute, et qui modus sit opportunior

ea animis inculcandi et exigendi, id saepe relictum est in incerto vel ambigue dictum, nec est sine controversia. Quare de his in corollariis vel scholiis explicatius, pro posse, dicemus.

In hac dissertatione praecipuo utemur praesidio Encyclicae *Rerum Novarum.*

5. DECLARANTUR VOCES.

Conductionis operarum : Operas hic intelligimus quae magis presse dicuntur conduci, eo quod ipsam personam sub aliquo alterius ponant arbitratu et ductu. Minus ampla itaque est praesens consideratio, fereque circumscribenda famulis domesticis, iis qui in officinis vires exercent, amanuensibus atque officialibus qui inferioribus funguntur ministeriis.

Communem rationem : sic dicimus, tum ne videamur hic speciales tractare causas vel domesticorum vel eorum quibus herus ipsos quodammodo supplet parentes, tum ut significemus dicta convenire in quamlibet pactionem hujus generis.

Comitantur, i. e. adsunt concomitanter, non profecta a contractu sed a juribus personae humanae.

Officia justitiae, commutativae.

Hinc quidem, h. e. in heris vel magistris.

Incolumem servandi, i. e. nullum afferendi detrimentum cujus culpa merito in ipsum herum conferatur.

Quid hoc postulet, dicemus distincte in corollario, n. 464. Hic satis erit monere a nobis non aliam exigi curam positivam nisi quae recidat in exsecutionem officii negativi non laedendi proximi sive personam sive bona.

Cum personam operarii. Personam sumas cum iis scilicet quae ad eam ita pertinent ut partes, ut in nullius sint dominio nisi unius Dei. Proprii enim corporis et animae *usus* quidem nobis conceditur non autem ipsum *dominium.* Nam quae hominem possidentem constituunt, ab hoc simul possideri presse nequeunt.

Id est, ejus corpus, quod spectat ad pericula vitae et mem-

brorum integritatem; ad vires alendas, reficiendas; ad arcendos morbos et praematurum senium vel infirmitatem.

Et animum, sive ingenium intucaris sive vitam pressius moralem, humanis constantem actibus.

Tum ejus honorem, qui violatur conviciis et contumeliis. Honor jam ponitur in bonis proprie possessis.

Illinc vero, ex parte veluti contraria operarii.

Non laedendi: rursus ergo de negativa agitur praestatione,

Res, utputa instrumenta, animalia.

Vel famam magistri detractione vel calumnia, ad quam non raro moveri soliti sunt opifices ex quodam odio vel vindicta.

Eandem, pactionem dico qua operae conducantur.

Consequitur, mediate, ex iis quae proxime inducit.

Vinculum majoris cujusdam propinquitatis quo alter cum altero conjungitur. Ita ut in ordine et officiis caritatis priores extraneis habendi sint inter se magister et operarius. Porro, cum dicimus *cujusdam* propinquitatis, significamus ipsam hanc propinquitatem variare pro objecto contractus et familiaritate quae exigitur vel usu venire consuevit.

Ac debitum quasi-pietatis in hero. Praeter ergo specialis dilectionis ejusque *mutuae* officia, agnoscimus alterutrius partis officia *propria* quae nascuntur propter inaequalem locum quo, facta pactione, sic simul fatemur constitui rei magister et operarius. *Pietas* enim, quae virtus proprie regit ordinem inter parentes et filios, latius intellecta praeficitur ordini aliquo modo simili qui sancitur a natura inter superiores et inferiores.

In operario autem observantiae. Quo nomine proprie designatur virtus qua diriguntur ea quae superioribus sunt praestanda.

Officia ista, cum quasi-pietatis, tum observantiae, pertinent ad quartum Decalogi praeceptum.

Naturae apprime consentanea est. Hoc est, si fieri potest, natura, quamvis non stricte praecipiat, illud in votis habet atque hortari videtur ipsis initiis quae facta pactione demonstrantur contineri.

Imitatio quaedam societatis herilis. Societas proprie herilis contrahitur cum famulis qui in domum permanenter admittuntur. Estque haec societas extensio quaedam familiae, amplificatio societatis illius qua matrimonium atque ortus conjungit parentes cum filiis.

Societatis illius imitatio componitur majoribus studiis in commune utriusque bonum, universaliore quadam cura qua herus consulit bono operarii (*Institutions patronales*) ; et magis grato animo, fiducia, ac, quod fert facultas, benevolentia qua is herum prosequitur. Ceterum conabimur in corollario, n. 467, haec distinctius efferre.

II. **Probatio.**

456. A. PRIMAE PARTIS. *Conductionis operarum communem rationem comitantur officia justitiae, hinc quidem incolumem servandi cum personam operarii, id est, ejus corpus et animum, tum ejus honorem, illinc vero non laedendi res vel famam magistri.*

1. QUOD AD EA QUAE A MAGISTRO SERVANDA DICUNTUR OPERARIO.

Res plane constat, si modo parumper attendas :

Jus esse operarii ut haec serventur integra ;

Ipsum amorem proprium obstare quominus operarius judicetur cedere jure suo ;

In actione qua magister corpus vel animum opponit periculis vel lacessit honorem, inesse aliquam coactionem moralem, qua fit ut consensus externus non tollat involuntarium illud sine quo nulla est terminative injuria. Cfr. thes. IX.

2. QUOD AD EA QUAE AB OPERARIO DICUNTUR HERO SERVANDA.

Res non minus patet, quia et ipse etiam invitus et quodammodo coactus feret res suas fieri deteriores famaeque suae afferri detrimentum.

457. B. SECUNDAE PARTIS. 1. *Eandem consequitur vinculum artioris cujusdam propinquitatis qua alter cum altero conjungitur.*

Id jam colligitur ex *auctoritate theologorum*, qui de re ista consentiunt, et ex *sensu communi*. Est enim in vulgus pervagata illa notitia, ita ut in regionibus nondum socialismi contagio vitiatis, si qua re ipsis opus sit, ultro operarii ad magistrum confugiant ut ad magis conjunctum antequam adeant alios extraneos, et simul infortunia vel laudem magistri tanquam propriam vicem dolere vel laetari consueverint.

Praeterea *ratione* idem efficitur. Ordo enim caritatis ad proximum fundatur totus in unione, societate. Quamlibet autem conductionem operarum consequitur unio quaedam et societas in aliqua intenta operis exsecutione, superaddita unioni essentiali qua omnes copulantur homines. Accedit etiam ratio mutui beneficii, cum alter alteri serviat, quae ratio maxime conjungere solet homines.

2. *Ac debitum quasi pietatis in hero, in operario autem observantiae.*

Orietur enim illud debitum, statim atque conductio operarum ostenditur inaequalem facere conditionem operarii et magistri et quidem ita ut hic evadat quodammodo alterius superior.

Inducta enim illa habitudine, nascentur officia quorum ipsa est titulus.

A. Omnis conductio operarum hoc modo refert operarium ad magistrum. *E.*

Probatur minor. Est ea indoles istius contractus, ut *immediate* respiciat non ad fructum laboris personae, sed ad ipsum laborem, ipsas operas. Quae cum a persona divelli nequeant, per illum contractum traditur, ut jam docebat Schmalzgrueber, l. III. 18. n. 1, 2, 17, ipsa « persona alteri utenda », locatur « persona ad operas ». Inducitur ergo necessario relatio quaedam inter *personas* locantis et conducentis. Relatio autem illa est utentis et utendi; seu,

in ordine ad finem operis suscepti consequendum, causae principalis, moventis, dirigentis ; et instrumentalis, motae, rectae.

Herus ergo (per se vel mandatarium) fit in aliqua re principium gubernationis quod ad operarium. Sed (ex S. Th. II, II, q. 102, art. 1 c.) hic est ipsissimus titulus superioritatis seu dignitatis cui honor et cultus debetur, et quae se immunem facere nequit a consequentibus oneribus et officiis.

2. Ex promissis operis, exoritur quaedam heri et operarii conspiratio in unum finem. Sed conspiratio plurium in eumdem finem nequit esse efficax, nisi sit caput movens efficaciter, seu imperative. Jamvero id caput est hic necessario herus. Etenim et partes ejus sunt principaliores, quippe ordinantis totum negotium. Praeterea, ipse vel excogitavit inceptum, vel in inventoris locum successit, et ipsius periculo res regitur. Res autem perit domino. **E.** Ipse verissime dicitur, dominus rei susceptae. **E.** Et necessario ipsi, in ordine ad istam rem perficiendam, competit auctoritas.

His argumentis satis etiam ostenditur vanas esse excusationes quae afferri possint. Specialis enim ratio contractus particularis nequit tollere notam genericam essentialem locationis-conductionis operarum. Varia operarii conditio plane extrinseca est communi rationi operarii conducti qualem illam descripsimus. Varia denique societatis forma hoc efficit ut varia ratione constituatur vel exerceatur heri auctoritas ; non autem ut immutetur natura pacti inter herum et operarios exsistentis.

Confirmatur ostendendo directe titulos officiorum quasi-pietatis et observantiae.

a) *Quasi-pietatis*. Sicut enim operarius adultus qui rationem sui laboris definiret, quaedam positive observare deberet erga se, quae ad convenientem spectant cultum tum corporis tum animae ; ita, dum se tradit alteri ducendum, in hunc necessario transfert partem istius curae, quae in gubernatore pertinet ad quasi-pietatem.

b) *Observantiae.* Obsequium enim obedientiae et gratiae, quae pertinent ad observantiam, fundatur excellentia status cum quadam potestate. (S. Thomas, II. II, q. 102, art. 2 c.) Jam vero excellentia cum virtute, quae superiori competit quatenus est movens, non abest ab operarum conductore, quippe qui, in ipso procurando negotio, personas gubernet. Simul auctor est habendus beneficii, hac saltem ratione, quod attulit operario occasionem lucrandi.

458. C. TERTIAE PARTIS. ***Naturae apprime consentanea est imitatio quaedam herilis societatis.***

Praeter quam quod omnia quibus honestae amicitiae conglutinantur apprime respondent votis naturae, haec non potest non probare institutum cujus ipsa jecit semina fecitque initia.

A. In ipsa conditione heri atque opificis et necessaria habitudine deprehenduntur semina atque initia alicujus societatis herilis.

E. Hujus imitatio apprime consentanea est naturae.

Ad minorem. Operarius plerumque versatur in conditione humiliore, in qua variis premitur necessitatibus variisque obnoxius est seductionibus. Magister contra, his per se fruitur et ingenii cultura et opibus, quibus valeat esse utilissimo praesidio.

Porro, si bene servetur necessarius ordo vigens officinatorem inter et stabiliter officinae cuipiam addictum opificem, is pronus erit ad gratum fovendum animum fiduciamque exhibendam illi quem jam non unius beneficii novit sibi auctorem ; magister autem affectu humanitatis et benevolentiae feretur in operarium tanquam in utilissimum conatus sui adjutorem. Nonne ex illa capacitate et studiositate fluit prono alveo universalior quaedam providentia, artiorque conjunctio imitans societatem herilem cujus dici potest ampliatio ?

Confirmatur his verbis SS. Leonis PP. XIII scribentis, 10 jul. 1895, ad Episcopos Belgii : « Neque illud est ultimum efficere ut qua plane decet verecundia obtemperetur summis Dei consiliis, qui in communitate generis humani esse jussit classium disparitatem et quandam inter ipsas ex amica conspiratione aequabilitatem : ita, neque opifices observantiam et fiduciam ullo modo

exuant in patronos neque ab his quidquam erga illos desit justae bonitatis curaeque providae. »

Et jam ante, n. **238**, dedimus ex eodem Pontifice elegantem istam descriptionem consiliorum Dei : « Summa est : quicumque majorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse ut ad perfectionem sui, pariterque, velut minister Providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum. » Atque, eodem loco, idem documentum cepimus ex S. Petri 1 epistola, IV, 10.

459. III. Difficultates.

1. Herus, conducendo opificem, saepe nullatenus ad haec officia animum retulit. *E.* Ad haec non tenetur ob istam pactionem.

R. Nego suppositum : Intentionem requiri ad contrahenda debita quae vel non nascuntur ex pactione, vel necessario conjuncta sunt voluntati principali. « En prenant cet homme chez moi, je n'ai pas eu l'intention de faire ce pacte avec lui. — Mais Dieu l'a fait pour vous. » Ita nervose Bourdaloue, *Sermon sur les devoirs des maîtres et des domestiques*.

2. Quum societas agitur « anonyma », penes tam multos est potestas ; actionarii et operarii tam alteri alteris ignoti sunt, et tam saepe actiones mutant possessores, ut officia ista expleri nequeant, et conficta videatur relatio unde oriretur speciale caritatis debitum.

R. Sicut per communem actionem delegant administratores quibus defertur honor, et obsequium ; eadem ratione eos delegare possunt ac debent ad ista debita exsequenda.

Hoc est commune omnis societatis, ut pro ea agant quaedam personae physicae. Nec obstat frequens mutatio « actionariorum », cum singuli decessores sua in successores jura et debita transfundant. Et sive per fictionem quandam, sive aliter explices officia justitiae quae profecto competunt huic personarum moralium generi, non majore difficultate nec dispari ratione explicabis officia caritatis, et relationem cui innitantur. Singulorum ergo est « actionariorum », per suffragium suum in hoc intendere, ut ii operi praeficiantur, et tali mandato muniantur, qui possint et velint istis officiis satisfacere. Quod si per aliquem non stetit quominus id factum fuerit, is excusari poterit ab istis officiis quae *personaliter* pro rata parte adimpleri nequeunt : nisi forte ob

vetitam cooperationem ad malum, ipsas « actiones » possidere nequeat. De qua quaestione alibi. — Quid vero possint in hac re, ex recentibus exemplis perspicitur [1].

ARTICULUS II. Supplementa doctrinae

I. *COROLLARIA.*

460. Stabilitas officiorum quasi-pietatis et observantiae. Numquam ad talem aequalitatem legitime pervenietur, ut praeter quandam obedientiam istis qui negotium gerunt, operarii nulla jam debeant honoris signa. Neque etiam ex toto sinet natura perire in rei magistro officia quasi-pietatis. Fieri tamen potest ut haec ad valde pauca recidant ; et quia ambo ista officia se mutuo respiciunt, quod de uno detrahas tantumdem de altero remittas necesse est.

Imo nec res substantialiter mutatur, si forte negotium pertineat ad sodalitium operariorum. Tunc enim velut duplicem personam gerunt : in ipso conventu, communi suffragio de rebus agendis decernunt; sed extra istos coetus nullam habent potestatem ; et, qua operarii, gubernantur ab aliis quibus rem commiserint gerendam, fere ut in democratia populus subditur magistratibus, deputati ministris, etc. Reprobandae sunt etiam artes et insidiae, quae, quamdiu tenet justus contractus et rite observatur, prohiberent herum ne hac vel illa ratione ordinaret negotium. Atque etiam nullatenus honestari possunt illa operistitia, quae leviter decernuntur ; v. gr. statim atque multatus fuerit vel expulsus operarius, etc.

461. Quia **in locatione operis,** operarius suos ipse conatus regit in operatione, et locatori non tribuit nisi effectum opus, ex illo contractu nulla exoritur per se peculiaris relatio personarum.

462. Quia **facta tantum pactione operarius conductus humilicre loco constituitur,** per se, improbari nequeunt

---

[1] Cfr. illud v. gr quod dederunt sodalitia gallica ad exercendas vias ferreas. Refertur de eo in *Bien Public*, 7 maii 1896, 3e page.

conatus operariorum, qui eo consilio vires conjungunt, ut possint revera quasi aequales magistri deliberare de variis contractus conditionibus, utputa de salario, etc. Nec justitiae de se repugnat, ut in ipso contractu quaedam caveant de ipso modo administrandae rei, quae arbitrantur in suum bonum cessura. Sed rei peritorum est investigare quaenam concessa ex stipulatione vel immixtio operariorum vel deminutio arbitrii heri sit suadenda, nec nimis impeditura sit bonam rei susceptae administrationem.

463. Officia operarii conducti, si velimus in universum verbis complecti, continent :

1. *Observationem justitiae* in pactione cum facienda tum exsequenda. Ad hoc caput referendum est *secretum* de exercenda arte quod vel formaliter vel tacite non raro pars est promissae fidelitatis. Haec enim inter res est magistri quas justitia vult diligenter ab operario custoditas. Onus tamen illud servandi secretum, cum debitum sit justitiae, est per se dignum quadam mercedis accessione.

2. *Artiorem caritatem.*

3. *Officia observantiae :* honorem, reverentiam, gratum animum, obedientiam in his quae contractu promittuntur.

464. Officia magistri erga operarium adultum. Aliquid praecipuum in hac re, praeter officiorum notitiam, est ipsa eorum distributio, quo clare innotescat ad quam quodque ascribendum sit virtutem.

Quare in genera ea nunc apte cogere conabimur.

1. De officiis justitiae. a) *Regulae quibus de his judicium ferre queat* sic videntur proponi posse :

α) Injuria committitur si onus aliquod imponitur quod nullo commodo seu majore retributione compensetur : Namque parum verisimile est talia gratis, spontanea voluntate, suscipi.

β) Omne onus quo operarius damnum accipit in bonis animae vel corporis pro injusto habendum est, si, *praeter*

formalem stipulationem [1], *virtualiter* imponitur voluntate heri, vel si operarius est damni futuri nescius. Invitus enim censetur, quominus haec susceptis obligationibus addantur ; atque ignoratio non minus tollit voluntarium quam ipse metus.

γ) Stipulatio rei etiam illicitae, etsi turpis et destituta moralis obligationis effectu, non est tamen injusta, si modo omnis oneris aequum promittatur pretium. Hic enim valet illud : *Consentienti non fit injuria.*

b) Quocirca, *de variis causis* ita dicemus :

Justitiae adversantur *contumeliae* quarum vel ipse officinator vel ejus ministri, ipso permittente, rei fuerint. Hinc enim sunt extra pactionem, nec pretio compensantur ; illinc qui operario addicit locum exercendi artem simul spondet moralem diligentiam ad has injurias avertendas.

Ex justitia, ob similem causam, debet officinator curare ne, ex officinae dispositione, laboris ordinatione, aliquod impendeat *periculum valetudini, vitae vel membris operarii,* quod morali diligentia, pro natura operae faciendae et artium inventis, amoveri valeat. Quamvis enim praeceptum non laedendi sit negativum, continet tamen obligationem moralis diligentiae ne ex facto tuo inferatur damnum. *Moralis* porro diligentia ea est quae, pro rei praestantia, a viro prudente sine nimia difficultate praestari potest. Quae vero detrimenta moraliter auferri nequeunt, majore saltem stipendio sunt rependenda.

Ex justitia debet etiam cavere ne ex ratione qua res componuntur, vel ex licentia aliis permissa, operarii versentur *in proxima peccandi occasione.* Hanc enim non arbitrandus est sponte sua adire opifex, nec delectum habet sociorum et adjunctorum in quibus exercet vires.

Labor suscipiendus die festivo : α) Majore pretio est compensandus ; β) Post pactionem, eaque durante, imponi

---

[1] Sedulo itaque distinguenda sunt quae ante factam pactionem proponuntur exsequenda et quae ad factam pactionem adjiciuntur.

nequit sine necessitate ; γ) Si de eo fit pactio, haec, etsi saepe improbanda, non tamen repugnat ipsi justitiae.

Haec, a fortiori, transferenda sunt in onus *omittendi sacrum*.

De *labore nocturno vel nimis diuturno vel aliqua ratione consumente vires* idem dicendum est quod de onere praestandi operam die festivo.

2. De officiis caritatis. Ex communi ratione qua debito tenemur prius consulendi magis proximis, et qua etiam, ut quisque majore pollet auctoritate, eo gravius committit scandalum pravo suo exemplo, nascitur in hero strictius officium cum *negativum, ne sit* ipse *scandalo,* tum *positivum correctionis fraternae* et *subsidii :* haec pro viribus et operarii indigentia. Officio correctionis excusabuntur magistri, si frustranea praesentiatur aut grave pariat incommodum, praesertim quod conjunctam habeat modicam spem fructus : ut si saepe mutandi forent operarii, nec se continerent nisi ad horam et sub oculis tuis.

3. De officiis quasi-pietatis. Huc spectat cura *positiva* de religione, de moribus, de valetudine, de viribus operarii, quo nihil nimium imponatur, atque, attentis adjunctis et necessitate, ita res ordinentur sicut in causa sua prudens opifex facere deberet ne sibi deesset in officio diligendi ordinate seipsum.

465. De officiis erga feminas adultas. « Quod facere enitique vir adulta aetate beneque validus potest, id a femina puerove non est aequum postulare... Sic certa quaedam artificia minus apte conveniunt in feminas ad opera domestica natas : quae quidem opera et tuentur magnopere in muliebri genere decus, et liberorum institutioni prosperitatique familiae natura respondent. »

Ita sapientissime Pontifex Enc. *Rerum Novarum*. Nihilominus, si mulier est sui juris, fere hic valent dicta de opifice adulto, ita ut tunc tantum committatur *injustitia*, quum iniqua onera *praeter pactionem* aut *sine compensatione* ipsi imponantur ferenda. Excipe tamen si certum laboris

genus damnum videatur allaturum mox nasciturae proli. Hujus enim jura nullo parentum consensu tolli possunt.

Ex *quasi-pictate* vero, rerum magistro incumbet cura ut ab improbo labore arceantur mulieres, et, secundum S. Pontificis documenta, ad sui sexus simul debilitatem et honestatem componatur tota ratio negotii in qua partem habent.

466. De officiis erga pueros. Longe dispar est causa puerorum, quos ipsa levitas et imprudentia inhabiles efficit ad valide consentiendum in onera nimis contraria eorum animae vel corpori. Nec assensus parentum minus inviolabile facit jus puerorum vel excusat officinatorem. Quare, in *justitiam commutativam* committit, qui operas nimis graves, vel nimis diuturnas, vel nimis mentem hebetantes postularit ab adolescentulis, ita ut vires minuantur, vel ingenium incapax fiat decentis cultus [1]. Quid dicam de morum corruptione, quae quo facilius reperit occasionem inficiendi juvenilem aetatem, eo sollertiorem atque intentiorem imponit curam?

Non satis erit *pietati* amovere proximas occasiones ruinae corporalis vel spiritualis. Ea movebit officinatorem ut, per tempus quo ipsi traduntur regendi adolescentuli, diligentis parentis suppleat providentiam.

Maxime vero laudandi sunt ii qui ad ipsam puerilem institutionem operam conferunt; et conantur, dum moderate utuntur adolescentum viribus, eos simul ad virtutem, artem et literas informare.

467. Imitatio societatis herilis respicit intimiorem conjunctionem, qua, praeter debita obsequia, operarii fere pro suo bono ac lucro habent quicquid emolumenti obtingit hero, ac salvam, honoratam volunt ipsam ejus personam domumque totam; et vice sua herus affectu fere paterno fovet subditos eorumque uxorem ac natos.

[1] « De pueris valde cavendum, monet SS. Leo PP. XIII, ne prius officina capiat, quam corpus, ingenium, animum satis firmaverit aetas. Erumpentes enim in pueritia vires, velut herbescentem viriditatem, agitatio praecox elidit: qua ex re omnis est institutio puerilis interitura. »

Huc spectarent *sodalitia mixta* heris atque operariis, nisi civilia odia et ipsa jam conditionum disparitas optabiliorem faceret hanc alteram rationem qua, ex divisis magistrorum et operariorum collegiis, pauci numero seligerentur utriusque ordinis ad mutua consilia communicanda[1].

Huc spectant sollemnia quaedam communia, tum sacra tum profana, et varia instituta quibus inducitur animorum consensus.

Huc consilia et artes quibus removeantur pericula quae intenduntur sive a pravis sociis vel ephemeridum scriptoribus, sive ab usurariis et iniquis negotiatoribus quaestum exercentibus ex pauperum simplicitate, vel quae ex propria nascuntur incuria aut passionibus.

Huc denique faciunt omne genus subsidiorum et varia documenta ac mores quae, a majoribus accepta, etiam hodie tueri conantur magistri vere christiani. De his latius excurrunt plura opera v. gr. DD. Harmel, Dehon, opp. cc. vel R. P. Castelein, *Le Socialisme et le Droit de propriété*, p. 289 sqq.: *Les traditions du bon patronat.*

II. *SCHOLIA.*

468. De interventu potestatis publicae. 1. INITIA DICENDI. Varia quae hactenus attigimus ejus esse rationis de qua publice gerenda sit cura, aperte docemur Enc. *Rerum Novarum* et per se ambigi nequit si parumper teneas rectam societatis perfectae definitionem. Sive enim consideres agi hic bonum cum physicum tum morale ordinis qui numero est maximus in civitate, sive animum attendas quantum directe sit e re publica « pacatas esse res et compositas : item dirigi ad Dei jussa naturaeque principia : omnem convictus domestici disciplinam observari et coli religionem : florere privatim ac publice mores integros : sanctam retineri justitiam, nec alteros ab alteris impune violari ; validos adolescere cives, juvandae tutan-

[1] Cfr. dicta in nostro *Manuel social*, p. 486. De sodalitiis praeclare disseruit Ill. D. Doutreloux in cit. epistola pastorali.

daeque, si res postulet, civitati idoneos » (Enc. *Rer. Nov.*), dubitare nequeas quin hujusmodi sollicitudinem ad propriam imperantium ascribas provinciam.

Ne tamen statim inde appelles leges quibus haec omnia definiantur. Triplex enim causa subesse potest ob quam legum sanctionibus sit abstinendum : a) Sive quia legale remedium praesentiatur *inefficax*, cum plus impedimenti quam praesidii soleat inesse in praeceptis quae non observantur vel suo frustrantur effectu ; — b) Sive quia *non* sit *necessarium*, cum « non plura suscipienda legibus, nec ultra progrediendum, quam incommodorum sanatio vel periculi depulsio requirat » (Enc. *Rer. Nov.*). Quare, si vel ex cultu moribusque res sponte sua satis apte sint compositae ; vel privatis conatibus videatur malis occurri posse, satius est ut Princeps addat his moliminibus suam tutelam quam ad se omnem revocet causam ; — c) Sive quia *nimis difficile* videatur rem legibus definire, ita ut pertimescendum sit ne quid deterius consequatur publicas sanctiones.

2. Conclusiones ita videntur nobis compresse proponi posse.

a) Cum de iis agitur *qui aetate vel sexu sunt debiliores,* opportunae sunt sanctiones quae hanc tantum permittant rationem operarum, haec statuant intervalla ac requiem, has praescribant cautiones quae universe requiruntur ad pueritiae et adolescentiae vel muliebris conditionis [1] rationes. Namque in hac fidei et morum corruptione, quae spes est ut moribus atque usu satis protegantur inermes isti atque imbecilliores ?

b) Maturiore opus est consideratione antequam ipsi *adultorum labori* praefiniantur tempora et regulae. Miserabiles enim conditiones in quibus exercentur nonnulla

[1] Huc prudenter tendendum est, ut non jam alias partes habeant mulieres in exercendis industriis, nisi quae cum curis domesticis et sexus decentia plane congruant. Vere dici sic potest mulier *restituenda domui suae.*

artificia, si causam habent necessitatem cui ipsi obnoxii sunt officinatores ex nimia aemulatione et usibus universalioribus, vix lege tolli poterunt nisi prius inter varias gentes res conventa fuerit ; si vero ab humiliore loco quo sunt operarii, non raro, ex conjunctis in sodalitia viribus, idonei evadent qui duriores leges respuere valeant : ita ut lex careat necessitate.

Quare minus obstare videtur quominus decreta ferantur de iis quorum modus est magis stabilis et omnibus idem, praesertim si accedat ratio quaedam superior, ut in observantia festorum dierum. Namque alia quae accommodanda sunt ad adjuncta quae varia sunt et in motu, tutius per se permittentur arbitratui eorum quorum interest, atque huc potius spectabit utilis interventus potestatis publicae, ut tutelam recipiat collegiorum et institutorum, quibus, in deliberanda pactione, loco magis aequali ponuntur operarii.

Huc facit istud ex Enc. : « Verumtamen, in his similibusque caussis, quales illae sunt in unoquoque genere artificii quota sit elaborandum hora, quibus praesidiis valetudini maxime in officinis cavendum, ne magistratus inferat sese importunius, praesertim cum adjuncta tam varia sint rerum, temporum, locorum, satius erit eas res judicio reservare collegiorum, de quibus infra dicturi sumus, aut aliam inire viam, qua rationes mercenariorum, uti par est, salvae sint, accedente, si res postulaverit, tutela praesidioque reipublicae. »

Nihilominus, alia seclusa via, non prohibetur Princeps directe mederi ingruentibus malis : « Si quando fiat, observaverat ante SS. Leo PP. XIII,... ut religio in opificibus violetur, non satis impertiendo commodi ad officia pietatis : si periculum in officinis integritati morum ingruat a sexu promiscuo, aliisve perniciosis invitamentis peccandi : aut opificum ordinem herilis ordo iniquis premat oneribus, vel alienis a persona ac dignitate humana conditionibus affligat : si valetudini noceatur opere immodico, nec ad sexum aetatemve accommodato, his in caussis, plane adhibenda, certos intra fines, vis et auctoritas legum. »

N. B. 1. Sapienter cautum est recentibus legibus Belgii quae de operis puerorum et mulierum ac de tutanda incolumitate operariorum in universum sunt nuper [1] latae, ut

[1] Sunt potissimum, lex 13 dec. 1889, 15 jun. 1896, 2 jul. 1899, 7 martii 1900, de quibus adesis nostrum *Manuel social*, parte 1.

definitiones magis particulares committerentur Regi, facta simul quadam dispensandi copia.

2. Ab aliquot annis conatus coepti sunt fieri ad elicienda *foedera gentium* de prudenti operariorum protectione. Ad exitum aliquem res nondum pervenit. Quo loco sit in praesentia disserit D. Brants in art. inserto in *Revue sociale catholique* [1], jan. 1900. Recens autem, in congressu Parisiensi 1900, sodalicium [2] conjunctum est ad haec magis promovenda. Cfr. *Musée social*, 1900, n. 8, ubi referuntur statuta, et varia documenta.

469. Comparatio disciplinae catholicae, liberalis, socialisticae.

1. SOCIALISTAE negant et reprobant ordinum varietatem, proletariorum praedicant jura silendo de officiis, et, dum ex omni praesenti re pejora interpretantur, simul animo fingunt aetatem auream, ubi, inducta aequalitate, futurum sit ut sine exteriore coactione, sine abnegatione propria vel cura ingrati officii, naturali animi propensione omnia ad perfectam redigantur concordiam. Quae vana somnia jam supra a nobis sunt revicta.

2. LIBERALES, contra, retinent ordinum varietatem, disparia autem jura nimis ad proprium dirigunt bonum, positivam de mutua caritate sollicitudinem gerunt nullam; divitiores ac potentiores docent frui suis juribus, eadem in aliorum bonum convertere non docent; nimisque omnia in meliorem partem rapientes, existimant res veluti sponte sua deduci in optimum statum si unicuique sibi consulendi detur libera optio. Quod si commodis quibusdam student tenuium hominum, haec fere continentur pecunia vel bonis temporalibus, nec raro sunt arma ista, utputa literarum cognitio, quorum simul prudentem tradere usum omittunt quamvis incaute utenti possint esse funestissima.

3. DISCIPLINA denique CATHOLICA :

a) Utriusque ordinis nec *jura* nec *officia* praetermittit.

---

1 *Où en est la législation internationale du Travail.*
2 *Association internationale pour la protection légale des travailleurs.*

b) *Jura* ipsa, in singulis qui possident, refert ad finem commodo temporali nobiliorem, ad ultimum dico personae humanae. Ita requies festiva non jam est mera vacuitas quaedam laboris, sed ipsius otii docet catholica disciplina sanctum usum, alienum a mala libidine.

« Id, hoc est necessaria operum et laborum requies per festivos dies, id, inquit SS. Leo PP. XIII, nemo intelligat de majore quadam inertis otii usura, multoque minus de cessatione, qualem multi expetunt, fautrice vitiorum et ad effusiones pecuniarum adjutrice, sed omnino de requiete operum per religionem consecrata. Conjuncta cum religione quies sevocat hominem a laboribus negotiisque vitae quotidianae ut ad cogitanda revocet bona caelestia, tribuendumque cultum numini aeterno justum ac debitum. » Enc. *Rerum Novarum.*

c) Quin imo, eadem jura ac dotes quaecumque vel divitias non ad unam possidentis utilitatem, sed ad ceterorum et civitatis commune bonum ostendit esse dirigendas. Itaque *ordinum varietas,* quam odio habent et frustra impugnant socialistae, quae videtur esse sine causa et invisae superbiae fons, ut intelligitur a liberalibus, ex placitis catholicorum, coagmentat pacem fitque ipsis humilioribus grata, et communis felicitatis non minima fautrix.

Jam supra, **180** et **238**, dedimus locos quibus in Enc. *Rerum Novarum* dicuntur omnes qui aliqua re praestant ministri esse Providentiae divinae ad procurandam etiam aliorum utilitatem, et ut capitale malum denunciatur error de naturali ordinum conflictione, « Quod adeo a ratione abhorret et a veritate, ut contra verissimum sit, quomodo in corpore diversa inter se membra conveniunt, unde illud existit temperamentum habitudinis, quam symmetriam recte dixeris, eodem modo naturam in civitate praecipisse ut geminae illae classes congruant inter se concorditer, sibique convenienter ad aequilibritatem respondeant. Omnino altera alterius indiget: non res sine opera, nec sine re potest opera consistere. Concordia gignit pulchritudinem rerum atque ordinem. »

d) Nec disciplina catholica satis habet ut absint odia, verum perfectam vult hominum amicitiam cujus justitia est initium, amicitiam, inquam, quae in *fraternum* recidit *amorem.*

« Quos tamen (fortunatos et infimos) si christianis praeceptis paruerint, parum est amicitia, amor etiam fraternus inter se conjugabit. » (Enc. *Rer. Nov.*)

Ad summam, ordini justitiae superstruit disciplina christiana *excelsiorem universalioris caritatis* in qua praecipuam habet positam spem : « Optata quippe salus exspectanda praecipue est ex magna effusione caritatis » Enc. *Rerum Novarum*, in fine.

QUAESTIUNCULA RESIDUA

DE OPERISTITIIS

Liberatore, Principii di economia politica, p. 2, c. 6, art. 4 ; **Lehmkuhl**, *Arbeitervertrag und Strike* ; **Antoine**, *Cours d'économie sociale*, c. 15, art. 6 ; **Cauwès**, *Cours d'économie politique*, III, n. 847 sqq. ; **Rutten**, *Nos grèves houillères et l'action socialiste* ; **Pottier**, *De jure et justitia*, Diss. 3, n. 169-183.

470. Variae notiones. 1. OPERISTITII NOMINE appellamus, non unius quidem vel paucorum recusationem, sed *communem multorum operariorum secessionem ex composito*.

2. FINES ALLEGATI, ut omittamus clandestina turbatorum vulgi consilia, interdum spectant *rempublicam*, ut in ea plus valeant plebis suffragia ; plerumque vero *privatas querimonias* sedandas, vel explendas *cupiditates*. *Querimonias* quidem : puta operarios conqueri fidem laesam, aut iniquam stipulationem, vel non ferre quosdam ex suo ordine dimitti aut durius tractari ; *Vota* autem et *cupiditates*, quae huc fere tendunt ut labor fiat minus gravis, minus diuturnus, aut majore mercede commutetur.

3. IMPULSUS autem quibus animi vel *remote* disponuntur ad istas tentandas artes, vel irae *proxime* erumpunt, sunt :

a) *Vera mala* et indignitates quibus opifices sint obnoxii ;

b) *Animi infensi* fortunatis, sive ex superbia, sive ex malis quae diu sed aegre sunt tolerata ;

c) *Vera* operariorum *vota ac spes ;*

d) Saepissime *caeca fiducia* quam plebs habere solet *concitatoribus* qui studia affectant popularia et norunt in plebis coetibus omnia arbitratu suo regere. Quoties evenit ut ipsam causam cur operas negent lateat plerosque!

4. Effectus, a) *Quod ad operarios :*

Immediate, non paucos, suppresso stipendio, redigunt operistitia ad inopiam nec parum ipsorum affligunt domum ; — inducunt otium virtuti ac moribus plurimorum valde periculosum ; — efficiunt interdum caritatem rerum quibus ipse populus maxime utitur, vel aliorum negotiorum artificiorumve fructibus officiunt.

Mediate, secessiones singulae, majorem partem, ad irritum cadunt ; nonnullae ex sententia operariorum geruntur. — *Universe* tamen ipsas non parum profuisse temporalibus commodis operarii ordinis non videtur negari posse. Ex quo enim magistri norunt operarios paratos ad extrema ista confugere, facti sunt, in negotio componendo, magis solliciti ne qua parte locum darent justae querelae. — *Omnibus vero,* sive prospere sive secus cesserint, acuuntur irae et odia quibus tenues homines abhorrent divitiores, ita ut praecipuae sint fautrices novarum rerum.

b) *Quod ad magistros :*

Immediate, deminuunt eorum lucra nec leve solent afferre damnum ipsorum rebus ;

Mediate, movent ipsis stomachum, persuadent foedera ista contraria, *lockôut* dico, quibus pejor fit omnium rerum perturbatio, ipsorumque animos faciunt alienos ab operariis eorumque institutis vel coetibus. Imo, si copia datur, quandoque cum suis fortunis alia quaerunt caela ubi securius rebus et negotiis vacare queant.

471. Judicium oeconomicum. Incunctanter in malis et quidem ingentibus numeranda sunt operistitia, quippe quae odio dividant cives, religionem ac mores corrumpant, inducant calamitates, et sic numquam non afferant detrimentum reipublicae.

Quare sapienter S. S. Leo PP. XIII : « Genus istud cessationis non heros dumtaxat atque opifices ipsos afficit damno, sed mercaturis obest reique publicae utilitatibus, cumque haud procul esse a vi turbisque soleat, saepenumero tranquillitatem publicam in discrimen adducit. » Enc. *Rer. Nov.*

Fieri tamen potest ut hac una via sibi consulere queant operarii.

472. Judicium morale. Quia bonum est ex integra causa, non ideo jam existimanda sunt licita, quod neque ex *fine* neque ex *modo* sint injusta, sed, quemadmodum de bellis et de justa sui defensione jam dicebant theologi, oportet praeterea ut *nulla altera* videatur suppetere *via* consequendi boni satis gravis [1] quod tanto sit dignum pretio.

Quare paucis jam de singulis capitibus videtur disserendum.

473. Ex fine *illicita* sunt :

a) Operistitia quae fiunt *ad perturbandam civitatem.* Qui tunc, illius finis conscii, in iis partem habent (nisi graviore malo excusetur aliqua ratio cooperationis), « peccant cooperantes gravissimo peccato perturbatae publicae tranquillitatis. » Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum,* tr. 8, p. 3, c. 2, n. 336.

Atque in universum loquendo, nisi valde aequa fuerit expostulatio et manifesta hujus medii necessitas, vituperandae sunt *secessiones politicae* atque arguendae *impictatis in patriam.* Hinc enim, solent esse majores et graviores, illinc autem bono communi plurimum adversatur, si viis non consuetis nec legitimis, sed popularis tumultus coactione, leges et publica instituta emendentur.

b) Quae fiunt ad *extorquendam mercedem ultra summam justam,* vel quaslibet iniquas conditiones. Et haec adversantur *commutativae justitiae.*

Quae vero fiunt ad obtinendam mercedem majorem, sed justam, licet fortasse summam, *ex hoc capite non sunt inhonesta.* Quare R. P. Lehmkuhl, op. cit. permittit ut operarii conentur hanc stipulari mercedem qua lucrum

---

[1] Illud intelligas sive *proxime* sive *mediate.* Etenim fieri possit ut causa, in se non adeo gravis, maximi evadat momenti si modo generaliori majorem inducat respectum utilitatum operariorum. Neque illud negligendum est, quinam provideantur secessionis fines, quaenam diuturnitas, ut justa subducatur ratio damnorum.

quod conjunctis viribus capitalis atque operarum est tribuendum, maximam partem cedat ipsis operariis. Pariter, fas est operariis nolle mere locare operas, et postulare ut, inducta justa quadam societatis ratione, negotii fiant aliquo modo socii ac participes. Non minus tamen magistris licebit, intra eosdem fines, pro suo certare commodo.

474. Ex modo, *contraria sunt justitiae commutativae :*

a) Quum *ante tempus* libera conventione statutum, operarii intermittunt promissas operas, nisi id fecerint ad se redimendum ab *injusta* vexatione, quod ad pretium vel laboris conditiones. Huc enim transferendae sunt regulae *de justa defensione.*

b) Quando exercetur *injusta aliorum coactio.* Operae pretium est hanc pressius definire.

α) Injusta est coactio, qua vi, fraude, minis vel *mediis stricte damnosis* (quae laedunt alicujus personam vel bona) ceteri operarii labore prohibeantur : His enim jus est exercendi et locandi vires eo qui ipsis placuerit pretio ac modo.

Neque ullo modo coactio ista excusari potest quodam jure defensionis, adversus eos qui, duris assentiendo conditionibus, ceteris quasi eriperent gladium quo solo se tueri possent. Nullum enim est jus defensionis, nisi sit *injustus* aggressor cujus *praesens* impetus declinari aliter non possit quam vim vi repellendo. Hic autem, qui iniqua mercede laborant, fortasse derogant aliquid de caritate, nullius tamen injuriae, ne specietenus quidem, sunt rei. Multo minus praesens aliqua personae vel rei fingi valet invasio. Nec quia indirecte sic aliis occluditur via obtinendi quod aequum sit, ideo artes istae evadere possunt justae, cum perpetuum sit illud effatum : non esse alicui injuriosum qui jure utatur suo. — Praeterea, si vera foret ratio facta, non minus injuriae damnandi forent mercatores qui nimis vili pretio merces suas divendunt, ita ut alii mercatores, quibus illud est ingratum et invisum, excipere etiam possent jus defensionis ad exercendam vindictam. Bonum tamen commune non sinit tam frequentes esse occasiones ultionis privatae. Atque in hac praesenti causa, eo minus tale quid sanciri potuit natura, quo magis etiam temere facta operistitia a decepta plebe existimantur aequissima violati cujusdam juris vindicatio. Nisi ergo firmissime teneamus jus esse aliorum perseverandi in operis faciendis, inermem optimum quemque operariorum objiciemus seditiosae factionis vel concitatorum libidini.

Quid, quod sententia ista vix non repugnat decretis Sanctae Sedis, quae, in casibus maxime speciosis, negavit exceptionem defensionis illi qui, ne fortunas, honoremve perderet, cogeretur duellum acceptare [1]; et in causa magis nostrae vicina et finitima, ubi, secundum multos, de iniqua agebatur oppressione colonum, C. S. Officii reprobavit artes, quamvis non aperte injuriosas, quibus ad tuenda jura sua, Hiberni coloni alios cogere volebant ne pensiones solverent vel agros conducerent. Proposito siquidem dubio « Utrum liceat, in controversiis inter locatores et conductores fundorum seu praediorum in Hibernia, uti mediis vulgo appellatis *the Plan of Campaign* et *the Boycotting?* Ab Emis Patribus re diu ac mature perpensa, unanimi suffragio responsum fuit, *Negative.* » In subjectis autem rationibus, C. Monaco haec scribit quae maxime faciunt ad rem nostram : « Denique, a naturali justitia et christiana caritate est omnino alienum ut nova quadam persecutione et interdictione saeviatur sive in eos qui contenti earum pensionum, de quibus cum dominis praediorum convenerant, eas potius solvere parati sunt ; sive in eos qui vacuos fundos, utentes jure suo, conducunt. » (*Ex literis* C. Monaco, 20 apr. 1888 quibus responsum S. Officii est missum ad Episcopos Hiberniae.)

Quare nullatenus astipulari possumus R. D. Pottier qui, *Diss.* 3, n. 180, videtur rem istam in controversiam vocare. Qui locus ceterum ejus operis parum etiam placuit iis qui de eo retulerunt, v. gr. in *Civiltà cattolica* et *Science catholique,* 1900.

β) Nec licita est nec vacua ab injuria, *coactio* talis *qua quis virtualiter interdicatur ab aqua et igne,* negata omni civili communicatione. Hoc enim genere coactionis utebantur Hiberni in suo *boycotting* et *plan of campaign.* Namque videtur jus esse uniuscujusque ut eo fruatur civili convictu quo humanam queat ducere vitam.

c) His autem mediis seclusis, *licet,* in causa justa et gravi, *moralem aliquam adhibere coactionem,* qua mere bono quodam indebito excludantur ii qui nolint communes tueri rationes. Huc pertinet multa quae statuatur secundum sodalitii leges, expulsio ex sodalitio, negatio subsidiorum in necessitate non extrema, etc.

N. B. Merito R. D. Pottier, n. 176, obligat in solidum operarios ad sarcienda damna injusti operistitii. Saepe

[1] Cfr. prop. damnatas a Benedicto PP. XIV, Bulla *Detestabilem,* 1752.

tamen, cum de *restitutione* agitur facienda ipsi magistro, poterit, constituta pace, praesumi quaedam debiti condonatio, ejus saltem quo vulgus obstringeretur. Non perinde dixerim de concitatoribus.

475. Ex effectibus odiorum et ruinarum operistitia, etiam si justa, *graviter adversantur caritati et pietati in patriam,*

a) Quando *bonum* cujus spes datur *non tanti* est *momenti;*

b) Quando de talis *medii idoneitate* merito dubitandum est;

c) Quando *via suppetit* suavior et *melior* assequendi intentum finem.

476. De Lockout quibus officinatores contraria foedera jungunt non conducendi operarios nisi certa lege, perinde dicendum est, sed inversa ratione, ac de operistitiis.

477. De legitimo interventu potestatis publicae.

1. Nemo ambigit quin ad rempublicam pertineat, pro viribus, causas amputare operistitiorum, vel ea fovere instituta quibus querelae et dissidia pacifice componantur. Apposite S. Pontifex: « Qua in re illud magis efficax ac salubre, antevertere auctoritate legum, malumque ne erumpere possit prohibere, amotis mature caussis. » Enc. *Rer. Nov.*

2. Nec minus constat ab ipsa compescenda esse delicta et injurias quae in his tumultibus frequentari consuescunt.

3. Ex dictis n. 475, perspicuum etiam est omni opera cavendum esse ut sartum et tectum sit jus laborandi, proindeque satis libera permittatur optio iis qui nolint in operistitio habere partem.

4. Quod si ex aliqua secessione proxime impendeant tumultus turbae atque injuriae, haec mala avertendi, etiam prohibito operistitio, manifestum est jus imperantium. « Intersit igitur reipublicae auctoritas, monet Enc. *Rer. Nov.* injectoque concitatoribus freno, ab opificum moribus corruptrices artes, a legitimis dominis periculum rapinarum coerceant. »

5. *Quaeritur* autem an *generali statuto* prohiberi possint ipsae pactiones de operis negandis.

Sunt qui negent hoc licere : integrum enim esse unicuique operas vel negare vel locare. Verum istud in praesens non agitur, sed utrum possit civitas, sicut irrita facit plura pacta conventa, hoc etiam genus pactionum, quia bono communi nimis periculosum, inhibere, eosque multare qui fautores sint operistitiorum.

Ut aperte dicamus quid in hac re sentiamus, parum aequum nobis videretur illam defensionem eripere operariis, nisi simul provideretur ipsis aliud medium, quo valerent jura sua persequi.

Quod si praesto sit tale medium, non excesserit modum Princeps qui opportunum ducat in secessiones istas, ut per se damnosas bono communi, legibus animadvertere [1], et illas procul dubio reprobare possit quae fiant antequam controversia deferatur dirimenda ad prudentes arbitros. Ad rem fortasse pauca ista ex Enc. *Rer. Nov.* « Cui (operistitiorum) incommodo usitato et gravi medendum publice. »

Verum ex adverso, id etiam judicio legislatoris est permittendum, utrum necne expediat *collegiis artificum* potestatem facere indicendi operistitia, ita ut sociis necessitas quaedam incumbat parendi his decretis. Si enim sapienter constituantur hujusmodi collegia, praesertim si christianam habeant indolem nec in potestatem venire possint paucorum turbulentorum, minus tunc reipublicae videtur ex his decretis timendum. Rem tamen non vacare periculo per se satis est manifestum.

---

[1] Ita, post perturbationem Galliae, satis diu vetitum fuit ne operarii societates facerent ad conveniendum de laboris pretio ac conditionibus.

QUAESTIO UNDECIMA

DE AEQUITATE

Aristoteles, *Ethicorum*, l. 5, c. 10; ***S. Thomas***, In l. 5. *Ethic.*, lect. XVI; I. II. q. 96 art. 6; II. II. q. 80 et 120; ***Lessius***, l. 2, c. 47, d. 9.

ARTICULUS I. Aditus disputationis

478. Quaestionis opportunitas. Considerationem proprie dictae justitiae ordine excipit disputatio de virtutibus quae ei adjunguntur. Duo porro sunt ex quibus perspicitur quantum nostra intersit nobis distinctam comparare *aequitatis* notionem :

a) Usus perpetuus quem, in rebus et controversiis suis, verbi *aequitatis* facere solent homines, qui tamen, si interrogarentur de aequitatis essentia et propria vi verbi, plerumque valde haererent dubii ;

b) Appellatio aequitatis in causa salarii, ab iis qui confusis rationibus effugientes id de quo est disputatio, dum se putant nodum expedivisse, prohibiti sunt a seipsis videre verum.

479. Quid sonet vox aequitatis. Ut fere fit, ex variis rebus quae eidem verbo subjiciuntur non parva profecta est rei obscuritas. Quare has imprimis verbis dividere et declarare juvabit :

1. Aliquando significat aequitas *justitiam naturalem,* quatenus, olim praecipue, opponebatur *legi civili,* quam supplebat vel corrigebat. Unde Romae, v. gr., praetores, ex illa aequitate paulatim per edicta mitigarunt legis acerbitatem ; distinguebantur causae *stricti juris* et *bonae fidei,* etc. Sic intellecta aequitas, parit jura et officia strictissime

sumpta, nec specialem postulat disquisitionem, cum sit idem quod ipsius justitiae genus.

2. Inde translata est vox ad designandam illam legum interpretationem atque observantiam quae contra verba legis mentem sequitur legislatoris, diciturque saepius *epiikia*. Ac sic potissimum usurpabatur a veteribus et scholasticis. De illa disseremus in scholio.

3. *Hodierno more* solet aequitas designare *congruam quampiam moderationem* quae, *in aequitatis studioso*, dicit aliquam juris remissionem; et, *in eo cui prodest*, titulum quemdam imperfectum ad hanc postulandam, vel exspectandam. Agedum, in ea ratione accurate explicanda versatur praesens quaestio.

480. Sententiae. Cum *scholastici* fere unam considerent epiikiam, et *recentiores* valde jejuni sint in hoc argumento tractando, non tam convellendae sunt opiniones diversae quam discutienda est caligo, quo occasio amoveatur importune appellandi aequitatem.

ARTICULUS II. Formula et argumenta conclusionis

THESIS XXXI

Aequitas est virtus specialis, media inter justitiam et caritatem justitiaeque pars potentialis, qua animus inclinat ad humanum juris usum.

481. I. Status quaestionis. 1. INTENTIO THESIS huc spectat ut distincte proponatur quae res subjiciatur usitatissimae voci *aequitatis*. Hac porro cura arbitramur defungi, dum brevi illa formula aequitatem dicimus *virtutem specialem*, ipsi in virtutibus assignamus *locum*, ejusque simul declaramus *formalem honestatem* et *subjectum*.

2. EXPLICANTUR VOCES.

Aequitas, usu qui hodie est frequentior,

Est virtus specialis, eo scilicet modo quo justitia (26). Namque tribus eam constare speciebus dicemus in corollario.

Media inter justitiam et caritatem, quatenus concreta est utriusque imperfecta ratione, et posita inter utramque ut quaedam prioris consummatio, alterius autem initium.

Justitiaeque, virtutis dico cardinalis,

Pars potentialis, proindeque magis cum justitia quam cum caritate conveniens, et tamen ab ejusdem ratione deficiens, ita ut dialectico ordine ad justitiam ut ad virtutem principaliorem ascribatur,

Qua animus, voluntas videlicet, in qua consedit facultate,

Inclinat : Hic describere instituimus *formalem* virtutis hujusce honestatem.

Ad humanum, id est dignum homine, ratione habita termini juris, qui est alter homo : ille, inquam, qui tenetur officio justitiae.

Juris usum : his verbis simul indicamus *subjectum* illius virtutis esse hominem qua *creditorem,* non autem qua *debitorem;* i. e. hominem qua *jura* possidet, non autem qua *justitiae* debito obstringitur.

482. II. **Probatio.** ***Aequitas est virtus specialis, media inter justitiam et caritatem justitiaeque pars potentialis, qua animus inclinat ad humanum juris usum.***

Argumentatio, cum sit de genuina vocis ratione, tota quanta continetur dialectica analysi usus vulgaris. Sic autem videtur posse expromi.

Aequitas communiter intelligitur,

a) *Esse quaedam stricti juris mitigatio,* apicis juris mollimentum, moderatus usus ; vel quaedam, sine indicatione legali vel conventionali, valde tamen congrua praestatio.

Id testatur Philosophus l. 5. *Ethic.* c. 10 in fine, ita scribens : « Qui non nimis urget jus (suum) summum, (ἀκριβοδίκαιος) neque in deteriorem partem, sed de jure suo concedit potius, etiamsi legis auxilio niti possit, is est aequus et bonus : atque hic habitus aequitas appellatur ; » id testantur lexica : « Ce mot signifie quelquefois, ait *Dict. de l'Acad. fr.* v° *Équité*, La justice exercée non pas selon la rigueur de la loi, mais avec une modération et un

adoucissement raisonnables. » Sic autem Freund, *Grand dictionn.*, reddit vocem : « Manière d'agir droite, légale, affable, équité, moderation..... qui se laisse guider par le sentiment du devoir, tandis que *justitia*, la justice n'accorde que ce qui est dû aux termes de la loi. »

b) *Pertinere ad illum qui jus habet active.* Ita non tam subditus qui omittit legem ex *epiikia* dicitur aequus, quam princeps, judex, qui opportune v. gr. non exigit paenam, et similiter ille qui sponte sua aliquid de jure suo remittit : ut cum negotii magister magnum lucrum non sibi totum retinet, sed cum operariis communicat.

c) *Esse affinis justitiae et caritatis. Justitiae :* ubinam enim conjiciunt sermonem de aequitate nisi in juribus definiendis, in declarandis legibus et pactionibus ? Ad aequitatem quis provocat nisi qui novit se ex juris rigore casurum causa ? — *Caritatis :* celebratur enim ut talis ratio utendi jure qua nemo offendatur, ut lenimentum quoddam quo planior reddatur praestatio debiti, et sic praeparetur facilis animorum conjunctio.

d) *Vicinior tamen esse justitiae quam caritatis.* Dum enim caritas nititur unitate quadam personarum, priusque est ad seipsum quam ad alios aequales, non ex ratione agendi erga se, sed ex modo quo ceteros tractat, aliquis laudem aequitatis adipiscitur. Qui confugit ad praesidium aequitatis, *in scipso* autumat inesse causam quandam, seu titulum fere juridicum, cur ipsi aliquid sit concedendum vel addicendum. Ac, si bene attendamus animum, praestatio illius quod est aequum ideo dicitur congrua, quia *ad alterius personalitatem* videatur apposita. Recolas exempla usitatissima. Aequa dicitur quaedam mora concessa debitori, quando creditori non nocet, debitorem autem magna expedit angustia. Quid aliud hic habetur nisi imperfectum quoddam jus necessitatis ? Aequa dicitur quaedam communio lucri extraordinarii inter magistrum et operarium. Cur, nisi quia in hoc quasi-jus est ad fructus ex labore colligendos ?

e) *Recedere nihilominus a perfecta ratione justitiae.* Haec enim reddit *jus.* Qui autem appellat *aequitatem*, fatetur sibi jus non favere. Et omnes sentiunt minus deberi quod mere aequum sit quam quod justum.

A. Haec ostendunt rectam esse conclusionem nostram de aequitatis essentia. *E.*

Ad min. Ex his enim habemus, aequitatem usu vulgari *poni inter justitiam et caritatem* (c) ; potiusque *ad justitiam referri* quamvis ab ea nonnihil discrepet, ita ut sit *pars ejus potentialis* (d et e) ; *per eam animam inclinare ad humanum juris usum* (a et b).

Restat ut demonstretur *virtus specialis.* Et jam magnificae quibus cumulatur laudes non ambiguum sunt peculiaris honestatis documentum. Idem breviter sic efficitur :

Virtus specialis habetur, ubi probatur adesse *honestas* quae *propria* sit *et conjuncta cum difficultate.* **A.** Uti jure suo eo modo qui congruit alterius personae et parat amicitiam, quid *honestius* et magis consentaneum recto ordini, quo imperatur personarum observantia et suadetur earum societas? Quid *honestius* etiam, ut alio quasi nomine idem probemus, quam satisfacere titulis etiam minus perfectis debiti cujuspiam naturalis ? — Honestatem porro illam esse aequitatis *propriam*, eo constat quod pertinet ad ordinem peculiarem quo specialis materia, usum dico jurium, dirigitur ad rectum convictum hominum inter se. — Nec abesse vincendam *difficultatem*, patet bifariam : tum quia agitur de temperando usu juris, i. e. facultatis, quo genere, cum sit in bonum nostrum, insolenter abuti solent homines ; tum quia praestatio cedit in alterius commodum, ad quod procurandum, repugnante falso amore proprio, non adeo sumus propensi.

483. III. Difficultates.

1. AEQUITAS NON EST VIRTUS. Nulla enim virtus est virtuti contraria. *A.* Aequitas contraria est justitiae, cum velit detrahi de juribus quae justitia tuetur. *E.*

R. Nego assertum. Ad ejus confirmationem, C. maj. Nego

min. et ejus rationem distinguo. Aequitas vult aliquid detrahi de juribus etc. *nego ;* vult ea moderate exerceri, summum, sponte aliquid de eo remitti, *conc.*

Nullam esse contrarietatem, jam perspicitur ex disparitate subjecti. Subjectum justitiae est debitor, aequitatis creditor. Is, quatenus urget jus suum, non exercet virtutem justitiae ; nec, quatenus aliquid remittit de jure suo, ideo minus justitiam observat ; debitor contra, cujus est exercere justitiam, dum postulat remissionem non exercet virtutem aequitatis.

2. NON EST VIRTUS SPECIALIS. Haec est enim manifesta positio Philosophi scribentis l. 5 *Ethic.* c. 10. « Aequitas justitia quaedam est, non alius quidam habitus. »

R. Nego et rationem distinguo. Philosophus ibi potissimum agit de *epiikia*, quae revera, ut videbimus, non secernitur a justitia legali. Quod si idem reponas, dicendo praesentem aequitatis rationem etiam attingi, expedita est responsio, aequitatem non esse alium habitum, quatenus saltem, ut pars ejus potentialis, non refertur ad alteram virtutem quam ad justitiam.

3. NON EST PARS POTENTIALIS JUSTITIAE. Namque :

a) Videtur pertinere ad amicitiam. Amicorum enim est non stricte pensare jura mutua.

R. Dist. assert. Videtur pertinere ad amicitiam late sumptam, quae est quaedam affabilitas et pars potentialis justitiae [1], *conc. vel transm.* — Ita dicit S. Thomas, II. II, q. 80, ad 3. — Ad amicitiam presse sumptam, *nego.*

Et re quidem vera, etsi aequitas quibusdam imitatur amicitiam, alia tamen movetur intentione. Non enim specialis aliquis affectus ad personam dirigit aequitatem, cum parata sit omnibus, notis et ignotis, eadem praestare in quibus deprehenderit titulum imperfectum de quo sermo fuit.

b) Videtur esse pars temperantiae. Temperantia enim est quae modum imponit appetitui. Hic autem quid aliud, nisi modus aliquis habendus in actione, refraenandus appetitus rei suae.

R. Nego assertum. Rationem distinguo. Temperantia est

---

1 De hac Philosophus, l. 4. *Ethic.* c. 6.

quae imponit appetitui modum commetiendum cum agente, *conc.;* commetiendum cum ceteris, *nego.* Temperantia enim ordinat hominem in semetipso. *Contrad. min.* Hic autem modus est accommodatio actionis ad agentem, *nego;* actionis ad ceteros, *Conc.*

Respiciuntur enim tituli qui in his sunt. Imo ipsum aequitatis nomen indicat aequalitatem proindeque duo distincta supposita, cum nemo sibi fiat aequalis.

ARTICULUS III. **Supplementa doctrinae**

I. *COROLLARIA.*

484. Tres videntur esse species aequitatis, Sicut triplex vidimus esse jus cui tres specie distinctae respondent justitiae, ita tres videntur esse moderationes juris atque aequitates. *Prima, in privatis,* remittit aliquid juris proprii ut non ultra quam par est exigat debita justitiae *commutativae; altera,* etiam *in privatis,* sinit, sine invidia, *distributionem* bonorum communium fieri non stricte aequalem, pro aliqua utilitate communi vel privata alicujus ratione quam decet observare; *tertia* denique, in ipsa *communitate,* exercetur ab iis qui pro ea agunt, cum apte temperant severitatem legum ne nimii sint in exigenda lege vel paena. Haec tamen moderata exigentia, quia simul pertinet ad rectam rationem fungendi munere suo, ponit in magistratu officium justitiae commutativae. Hoc est, ex justitia commutativa, qua tenetur *erga societatem,* debent judex et princeps cum congrua moderatione urgere leges.

485. De ordine medio quem tuetur aequitas. Praeter ea quae ita cum bono personae humanae copulantur ut ejus participent inviolabilitatem ejusque efficiant *jura,* presse talia, alia sunt quae hinc quidem valde *congruunt personae,* illinc tamen stricte ab ea exigi non possent sine majore detrimento boni communis et hominum convictus, qui finis superior est ad quem diriguntur jura et officia. Facultas itaque inviolabilis illa faciendi vel exigendi non conceditur a natura; imo haec sancit jus contrarium illa

omittendi, cujus usus manet validus, etsi fortasse illicitus. Si tamen praestantur, res non est mere gratiae et amicitiae, cum titulus sit *in altero qua tali*. Jam vero, hunc ordinem medium procurat aequitas.

Plenior ista declaratio provinciae aequitatis nobis simul videtur confirmare conclusionem. Illud enim suspicari poteramus, inter ea quae *stricte* et alia quae *nullo pacto* debeantur alteri, plura esse quae debeantur *imperfecte* ex juris quodam initio et adumbratione, ita ut certis gradibus a justitia veniatur ad caritatem ; virtutemque haberi quae in hanc honestatem intendat. Agedum, haec est specialis laus aequitatis.

486. Aliae aequitatis definitiones seu rationes. Non minus recte definiri posset aequitas : *perfectior justitia quae adaequat usum jurium ad titulos imperfectos et quasi inchoata jura quae sunt in altero*. Imo, definitio ista priore praestat eo quod magis consentanea est vi propriae verbi *aequitatis*, quod dicit aliquam aequalitatem. Eam tamen non dedimus in conclusione, ut haec magis congrueret cum ratione vulgari qua aequitas effertur ut aliqua juris proprii quasi-temperantia.

Non inepte etiam dicitur cum Andronico, laudato a S. Thoma, q. 80 ad 4, *voluntaria justificatio*. Elegantissima est haec descriptio S. Cypriani : *Justitia dulcore misericordiae temperata*. Nec male Abbas Panormitanus [1] hanc alteram adjungit, loquendo de judice : *Aequitas est quaedam continentia et quoddam temperamentum recedens ex causa a communibus regulis juris*. Vel, ut audiamus J. Andream, est « *Rationabilis modus continens misericordiam et rigorem.* » Quare haberi etiam possit ut *propria temperantia jus habentis*.

487. Aequitatis obligatio. Obligatio aequitatis, cum media sit inter rigorosum justitiae debitum et spontaneam caritatis praestationem.

---

[1] In c. Ex parte tua 11, *De transactionibus* (I. 36), ubi, n. 6, affert ex Jo. Andrea locum S. Cypriani.

1. *Non inducit debitum restitutionis* erga illum qui in se violatam conqueritur aequitatem. Hujus enim non est laesum aliquod jus.

2. *Nec, ex genere suo, obligat sub gravi.* Si quando enim praestationis facilitas et notabile incommodum proximi, locum dant gravi hujus offensioni, ex accessione violatae caritatis repetendus est mortalis reatus.

Haec intelligas quantum est ex *propriae aequitatis ratione.* Vidimus enim a magistratu qui urgeat legem contra aequitatem, derogari de iis quae ex *commutativa* justitia debet civitati.

Hoc confirmatur a S. Thoma, qui, dum nostram aequitatis rationem refert ad amicitiam, simul addit eam « parum habere de ratione debiti. » Cfr. II. II, q. 80, art. unum, in corp., ad 2 et ad 3.

Miraberis fortasse levem tantum induci obligationem a virtute quae media ponitur inter duas virtutes quibus gravis ex se conjuncta est necessitas. Verum ita est inter utramque ut extenuatam ambarum participet rationem. Ut enim refertur ad justitiam, minus est, ex genere suo, posthabere juris initium quam jus perfectum; comparata autem cum caritate, rigor nimius, quo aequitas violatur, non proficiscitur ab intentione formaliter caritati contraria, aliquo inquam proximi odio, sed potius affectu nimio ad proprium jus. Hujus praeterea remissio, cum per se sit incommoda, speciem habet excusationis quae saepe aufert obligationem caritatis: haec enim non obligat per se cum gravi incommodo. Addas tandem altiores istas rationes difficilius capi a pluribus: quae obscuritas etiam detrahit de reatu.

488. Comparatio aequitatis et affabilitatis. Etsi S. Thomas, q. 80 ad. 3, videtur incidenter ad affabilitatem referre nostram aequitatis rationem, ex his duobus tamen non possumus facere unum. Affabilitas enim qua fit ut in sua conversatione homo, quasi medio habitu inter *adulationem* et *morositatem,* ea tantum probet in aliis quae probanda

sunt vitetque inutilem aliorum offensionem, ad nullum respicit titulum qui sit in alio, sed mere ad honestatem quae per se praefulget in ea accommodatione morum ad veritatem et merita. Cfr. Aristot. l. 4 *Ethic.* c. 6, et S. Thomam, in hunc lib. lect. XIV.

489. Quaenam aequitas appelletur in Enc. *Rerum Novarum.* Haec nobis videtur esse interdum saltem, ipsa justitia naturalis ; ut cum dicitur : « Illa... proletarium attingunt : quod libere et cum *aequitate* pactum operae sit, id... reddere... Illud eminet, justa unicuique praebere. Profecto ut mercedis statuatur ex *aequitate* modus, caussae sunt considerandae plures... Jubet igitur *aequitas* curam de proletario publice geri... Suam utrique facultatem agendi permittere, *aequum* est. » (Pag. 20, 22, 38, 40 editionis Desclée).

II. ***SCHOLIA.***

490. Aequitatis praestantia. Praestantia illius virtutis apparet tum ex altiore prudentia qua dirigitur, tum ex ultroneo motu quem habet. Observatur enim nulla praecipiente lege humana, nullo cogente stricto jure.

491. De effato, *Summum jus summa injuria.* a) Effatum illud est verissimum ubi aequitati dictae de *justitia naturali* opponatur contrarium jus *positivum.* b) Verum est etiam de spuria interpretatione legis quae rejiciat *epiikiam.* c) Deminute tantum transferri valet in violationem *aequitatis proprie talis.* Fieri enim nequit ut praetermissio debiti imperfecti summa evadat injuria.

492. De epiikia. 1. *Epiikia*, quae olim dicebatur aequitas observantiam verborum legis moderans (II. II, q. 120, ad 3), talem suadet interpretationem legis humanae, quae, contraria verbis legis, menti tamen legislatoris plane est consentanea.

2. *Causa* ejus est, non vitium aliquod humanae legis, sed generalitas, quae ad plerosque casus est aptata, in paucis tamen ita deficere potest ut literae observatio fiat inutilis imo mala.

3. *Non versatur in lege naturali.* Haec enim non praescribitur formulis istis universalibus quibus, propter nostram utilitatem, eam efferre solemus, *Non homicidium facies,* etc., et quae deficiunt, ut ipsae sanctiones positivae, in quibusdam particularibus adjunctis, sed est ipsum dictamen rationis quod, omnibus perpensis, est ferendum de singulis actionibus. (Cfr. Suarez, *De legibus*, l. 2, c. 16).

4. *Rectus* ejus *usus* est : a) *Necessarius*, si lex in casu particulari fieret iniqua aut justo gravior. Tunc malum esset sequi legem positivam contra jus commune ; b) *Mere licitus*, quum prudenter conjicitur legislator noluisse in aliquo casu obligare. Quod potissimum colligetur ex usu vel modo quo lex communiter intelligitur.

5. Interpretatio illa fit secundum *principia superiora,* attendendo ad ipsos legis fines. Quare indicationes pertinent ad partem prudentiae quae dicitur *gnome.*

Merito Lessius observat multis deesse prudentiam ad *epiikiam* requisitam, vel ob scrupulos quibus nimis ipsis verbis legis percelluntur, vel ob judicii tenuitatem.

6. Quia justitia legalis, adaequate spectata, virtus non esset nisi talem imperaret legis observantiam quae satis ad ipsam legislatoris mentem attenderet, perspicuum est *habitum epiikiae* esse *re idem* quod *justitia illa* cujus ab initio descripsimus naturam et munus.

QUAESTIO DUODECIMA

DE GRATIA SEU GRATO ANIMO

Aristoles, *Ethicorum*, l. 9, c. 7; **Seneca**, *De beneficiis*; **S. Thomas**, II, II, q. 106 et 107; ***Lessius***, l. 2, c. 47, d. 1, 2, 3.

ARTICULUS I. **Notiones**

493. Cur de gratia scribamus. Duplici causa inducimur ut pauca quaedam disseramus de hac virtute: tum quia peculiaris tam laudati habitus aequalitas non sine utilitate dignoscitur, praesertim quum ipsa rei affinis collatione illustranda videatur propria justitiae ratio; tum quia, revicta opinione modernorum qui contendebant in pactionibus commutari officia, indicari oportuit quaenam nobilior merces congruat cum ingenita actus humani dignitate.

494. Quid beneficium. *Beneficium* est *indebita et utilis praestatio, gratis alicui facta, ex affectu benevolentiae.*

Indebita: quare Seneca, l. 3. *De Beneficio*, c. 21. « Quamdiu praestatur quod a servis exigi solet, ministerium est; ubi plus quam a servo necesse est, beneficium est. »

Utilis: quare « ille qui alicui auxiliatur ad peccandum, non confert beneficium sed magis nocumentum. » S. Th. q. 107, art. 1 ad 1, qui sapienter addit: « Et ideo non debetur ei gratiarum actio, nisi forte propter voluntatem bonam, si sit deceptus dum credidit adjuvare ad bonum, et adjuvit ad peccandum. »

Gratis facta ex benevolentia, unde inditum nomen gratiae. « Gratia autem est, quia gratis datur. » S. Th. q. 106, art. 2 c. « Multum interest utrum aliquis beneficium nobis det

sua causa, an nostra; an sua et nostra. » Seneca l. 6, c. 12, qui merito, c. 13, monet, deberi gratiam si quando *sibi* et *mihi* voluerit aliquis consulere. « Si duos cogitavit, ingratus sum, non solum injustus, nisi gaudeam hoc illi profuisse quod proderat mihi. »

Interdum beneficium designat *latius* quicquid utiliter praestitum fuerit, quamvis ejus repensatio debeatur ex justitia commutativa, aut pertineat ad impropriam illam amicitiae rationem quae *utilis* dicitur nec postulat amorem benevolentiae, sed aliquam communionem causae et utilitatis. II, II, q. 106, art. 5, c.

Neque immerito beneficii nomen in hoc genus transfertur. Qui enim sibi conscius est se operam navare alteri utilem, quamvis obligatus promissione, praesumendus est etiam benevolentia nonnihil moveri. Quare aequum duximus mutuam aliquam gratiam referri ab operariis et heris ex fideli praestatione eorum quae locato-conducto operarum sunt comprehensa.

495. De ingratitudine materiale et formali. *Materialiter* ingratus est, qui, beneficii immemor vel incuriosus, ejus ratione non movetur ut gratiam exsolvat vel abstineat studiis quae adversantur benefico viro. *Formaliter* vero, qui non vult beneficio obligatus videri, et ideo beneficium contemnit vel benefactoris animum, v. gr. sinistra benefacti interpretatione. Cfr. Lessium, l. c. n. 15, 17.

ARTICULUS II. Formula et argumenta conclusionis

THESIS XXXII

Gratia est virtus conjuncta justitiae, quae exaequat cum affectu auctoris voluntatem illius qui beneficio est provocatus.

Ingratitudo formalis, non autem, saltem immediate, materialis, est peccatum mortale ex genere suo.

496. I. Status quaestionis. 1. INTENTIO THESIS eo spectat, ut virtutis gratiae declaretur *essentia*, et *reatus contrarii vitii*. Quod binis partibus brevi conficere conabimur.

2. Declarantur voces.

Gratia, seu habitus quo, recepto beneficio, animus inclinat ad reddendam vicem,

Est virtus : Propensionem itaque illa dicimus laudabilem, cui honestatis insit necessitas, non mere indifferentem,

Conjuncta justitiae, ita ut sit ejus pars potentialis,

Quae exaequat : Hic ergo reperimus aequalitatem illam quae justitiae est propria nota.

Cum affectu, benevolentiae dico. Non ergo, quemadmodum justitia, respicit ad effectus, sed potissimum ad animum, voluntatem quae effectibus manifestatur.

Auctoris, i. e. ejus qui contulit beneficium,

Voluntatem, seu affectum,

Illius qui beneficio est provocatus, seu ad quem dirigebatur affectus auctoris beneficii. Namque effectus interdum habet alium terminum materialem, ut cum alterius causa aliquem comiter excipimus, donis prosequimur.

Ingratitudo formalis, seu quae continet beneficii contemptum,

Non autem materialis, quae est mera istius debiti praetermissio,

Saltem immediate. Hoc addimus, quia cum non negemus beneficentia induci artiorem propinquitatem, quae strictius ponit debitum, ex se grave, caritatis, ita mediate ex recepto beneficio gravis obligatio nasci potest.

Est peccatum mortale ex genere suo. Quod tamen ex imperfectione actus, quo nomine intelligimus etiam materiae exiguitatem [1], evadit veniale. Illud, contra, quod ex genere suo est veniale, non fit grave nisi ex alia specie superaddita.

3. Sententiae. Rursus potius hic agitur minus de dissolvenda controversia quam ambiguitate. Quod de reatu dicimus, confirmatur auctoritate Lessii.

---

[1] Cfr. *De Peccatis*, in 1ore volumine.

II. Probatio.

497. A. Prioris partis.

1. *Gratia est virtus.*

Specialis honestas istius habitus comprobatur jam evidentissimis documentis *sensus communis*, quo laudibus afficitur gratus animus, ingratus autem ita vituperatur ut nemo sit quin hanc invidiam a se propulsare omni opera conetur. Atque ex ipsa sapientia quae verbis inesse solet, ille cui gratia est facta *beneficio* dicitur *vinctus, obligatus.*

Idem *directe* apparet :

a) Quia gratia jungit amicitias, quo nihil est optatius naturae ;

b) Quia observat specialem propinquitatem qua effectus necessario cum causa conjungitur et copulatur.

Speciali habitudine effectum referri ad suam causam est manifestissimum. Agedum, qui beneficio afficitur, *secundum quid,* id est quod ad illam intellectus notitiam, voluntatis bonum motum, vel laetitiam quae ipsi inest a viro benefico, cum isto sicut effectus cum causa comparatur.

c) Quia causa alicujus materialis effectus hunc jure ac merito dicit suum. Sic vidimus fructum operae pertinere ad eum cujus viribus propriis est procreatus. Sane, qui recepit beneficium, cum sit persona, non potest quidem ab altero proprie possideri. Quia tamen in se expertus est alterius bonam actionem, oportet ut nobiliore modo, affectuosa dico et pia animi inclinatione, agnoscat se aliquid ab altero habere et se esse quodammodo alterius. Participat itaque gratia honestatem *pietatis in parentes.*

Ita videmur declarasse breve argumentum S. Thoma II. II. q. 106 art. 3, c. « Omnis effectus naturaliter ad suam causam convertitur. Semper enim oportet quod effectus ordinetur ad finem agentis [1]. Manifestum est autem quod benefactor, in quantum hujusmodi, est causa beneficiati. Et ideo naturalis ordo requirit, ut ille qui suscepit beneficium, per gratiarum recompensationem, convertatur ad benefactorem secundum modum utriusque ».

---

[1] Effectus enim est aliquid agentis. Agens autem est totus propter finem (bonum) agentis.

2. *Conjuncta est justitiae.*

Namque simul et refertur ad justitiam, cum satisfaciat titulo qui est in altero ; et deficit a justitiae perfecta ratione, eo quod beneficium est *liberalis* praestatio, a qua nequit jus fluere. Qui enim jus sibi comparare vellet ad pretium aequivalens, ille venderet, permutaret, non autem foret beneficus. Quod si mere voluerit sibi conciliare alterius voluntatem, haec non numeratur in rebus in quas jus haberi potest commutativae justitiae.

3. *Exaequat cum affectu auctoris voluntatem illius qui beneficio est vinctus.*

Aequalitatem enim intendi *affectuum, non* autem *effectuum :*

a) Testatur *consensus doctorum* [1], et ipse *sensus communis :* In ipso aestimando beneficio jam solent attendere potissimum ad voluntatem dantis ; post beneficium autem dicunt deberi *mutuam gratiam, benevolentiam ;*

b) *Probat* distinctio inter gratiam et justitiam : si enim res cum re compararetur, intenderetur in arithmeticam illam aequalitatem quae proprietas est justitiae commutativae (68) ;

c) Nec minus eo apparet quod reddendi rei aequalis saepissime desit vel copia vel opportunitas : ut si gratiae debitor sit inops, auctor autem nihil opus habeat ; virtus tamen non nititur formaliter in ea quae per se fieri non possunt vel non expediunt ;

d) Efficitur etiam hac ratione, quod gratiae retributio debetur beneficio prout est *laudabile.* Agedum, qua tale, beneficium consistit materialiter quidem in effectu, sed formaliter et principaliter in voluntate. Nam beneficium agitur stricte dictum, quod fit, non ex intuitu alicujus percipiendae utilitatis, sed gratis seu ex affectu benevolentiae. Ergo, quo major affectus fuerit, eo majore

---

1 Ita Seneca l. 1. *De Beneficiis* c. 6 : « Beneficium, non in eo quod fit aut datur consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo ; » et Cicero, *De Officiis* l. 1 : « Acceptorum beneficiorum sunt delectus habendi, et, imprimis quo quisque studio et benevolentia fecerit, ponderandum. »

dignum erit laude. Cfr. S. Th. q. 106, art. 5, c. et ad 1; Lessium, n. 6.

498. B. ALTERIUS PARTIS.

1. *Ingratitudo formalis est peccatum mortale ex genere suo*

a) *Est peccatum mortale.* De se enim inducit gravem proximi offensionem. Magis, ut notat Lessius n. 16, laeditur caritas, contemptu benevoli affectus benefactoris et sinistra interpretatione beneficii, quam judicio temerario, quod ceteroquin his continetur.

b) *Ex genere suo.* Nam in ipso contemptu varii sunt gradus, et e spreto parvo beneficio non videtur per se occasio data gravi offensioni. Lessius ibid.

2. *Ingratitudo materialis non est, saltem immediate, mortalis ex genere suo.*

Mera enim negligentia vel oblivio non habet de se motum caritati contrarium, nec affert per se gravem molestiam ei qui bene est meritus. Fieri tamen potest ut hujus inopia pariat obligationem auxiliandi quae ex ipsa propinquitate evadat gravis. Detrectatio subsidii foret tunc gravis praetermissio officiorum caritatis, cujus pondus aestimaretur etiam ex debito grati animi. Quare *immediate* tantum levem diximus materialem ingratitudinem. Cfr. Lessium, n. 18.

499. III. **Difficultates.** (Plura cfr. apud S. Thomam, hoc loco).

1. GRATIA NON EST VIRTUS SPECIALIS. Nam congrua retributio rei acceptae pertinet ad justitiam commutativam.

R. Retributio quae directe et principaliter a virtute intenditur, quae fit secundum juris necessitatem, et ad quantitatem rei acceptae accommodatur, *C.*; illa quae secundario intenditur, quae a jure non exigitur et affectu metienda est, *N.*

Retributio, ut dictum est, non est modus unus vel principalis quo quis se gratum probat. Secus, pauper a debito referendi gratiam excusaretur. Cetera clara sunt ex traditis notionibus.

Inst. A. Ipsae gratiae reddendae, ipsa agnitio beneficii, pertinent ad justitiam commutativam.

R. Nego, quia deest ratio formalis debiti justitiae commutativae, jus alterius strictum.

De hac difficultate, cfr. S. Th. q. 106, art. 1 ad 2; art. 3 ad 5; art. 5 ad 2; q. 107, art. 1 ad 2.

2. VIDETUR BENEFICIUM REPENSANDUM SECUNDUM EFFECTUM, POTIUS QUAM AFFECTUM. Etenim:

a) Repensatio debetur beneficio. *A.* Beneficium in effectu consistit. *E.* (S. Th. q. 106 art. 5 ad 1.)

R. C. maj. D. min. Consistit in effectu materialiter, *C.* formaliter et principaliter, *N.* Illud etenim quod datum est non est stricte beneficium, nisi prout informatur voluntate benevola.

b) Repensio nequit fieri secundum affectum, cum interior affectus hominem lateat. S. Th. ibid. ad 3.

R. D. min. Interior affectus hominem latet per se, sed per plura signa manifestatur; ut sunt, in casu, promptus et alacris animus, superata obstacula in reddendo beneficio, et alia adjuncta quae factum comitantur. Imo, ne huic positioni opponas, beneficium quod re fuerit majus communiter majore laude et affectu videri repensandum, fac advertas in majore dono contineri de se majorem affectum. Ceterum non negatur etiam considerandum esse momentum rei quae praestatur. Cfr. corollarium, n. 503.

3. OMNIS INGRATITUDO, ETIAMSI MERE MATERIALIS, EST PECCATUM MORTALE. Namque omnis repugnat caritati. Cfr. S. Th. q. 107, art. 3 ad 2.

R. Nego. Ad rat. Dist. Quatenus est praeter caritatem, et excludit aliquem actum caritatis, *C.* quatenus ipsius est proprie contraria et tollit ipsum habitum caritatis, *N.*

ARTICULUS III. Supplementa doctrinae

I. *COROLLARIA.*

500. Triplex officium grati animi [1]. Quamvis gratia

[1] De officiis istis, quae in quinque distribuit, explicatius dicit Lessius, n. 17.

formaliter intendat aliquam voluntatum aequalitatem, tria tamen complectitur officia : « Primum est quod homo acceptum beneficium *recognoscat;* secundum est quod *laudet* et *gratias agat;* tertium est quod *retribuat* pro loco et tempore *secundum suam facultatem.* » S. Thomas, II, II, q. 107, art. 2 c. Beneficii enim *agnitio* est ipsius benevolentiae veluti *initium* et necessarium principium ; *laudes* et *opportuna retributio* sunt ejus naturales *effectus.*

Opportuna autem jam non est retributio nisi fiat suo tempore. In qua re, cum mora tum ipsa festinatione peccari potest. Namque, ut monet Seneca, op. c. l. 4, « Qui festinat reddere, non animum habet grati hominis, sed debitoris. » Quod improbandum est : « Nam non videtur (is) aestimare, id quod in beneficio est praecipuum, scilicet gratuitum animum benefactoris : ita enim solvit ac si ille non gratis, sed intuitu compensationis dedisset. » Lessius, n. 7. Deinde, dum statim conatur exuere hanc obligationem, videtur invitus debere, « et qui invitus debet, ingratus est. » Seneca ibid. De hac re, cfr. S. Th. q. 106, art. 4.

501. Mensura officiorum. a) De mensura *formali* jam diximus. Eam sic proponit S. Thomas. « Sicut in justitia, quae est virtus cardinalis, attenditur aequalitas rerum, ita in gratitudine attenditur aequalitas voluntatum. » S. Th. II. II, q. 106, art. 6 ad 3.

b) Verum, ex eadem ratione, quod obligatus id studet ut pari voluntate vicem rependat benefactori, concludit S. Thomas, quod ad mensuram *materialem*, oportere, ut quis ita sit dispositus, ut *plus* paratus sit exhibere *quam acceperit.* Etenim qui reddit ad aequalitatem videtur debitum praestare. Jam vero benefici viri haec fuit voluntas ut faceret aliquid cujus nulla obligatione tenebatur. S. Th. q. 106, art. 6 ; Less. n. 8.

Hoc minime perceperunt recentiores legum interpretes, qui, dum *donationem remuneratoriam* hanc tantum intelligunt esse qua obsequium salario dignum ad aequalitatem repensetur, videntur pervertere hujus rationem, ita ut non sit jam nisi quoddam

stipendium de quo expressa pactione conventum non fuit. Compares dicta a Molina, d. 292 et a Baudry-Lacantinerie, *Précis de droit civil*, II, 521.

Quod si objicias hac ratione induci processum in infinitum, cum sic retributio foret novum beneficium gratia repensandum, accipias responsum illud magno Angelici Doctoris animo plane dignum : « Debitum gratitudinis ex caritate derivatur, quae quanto plus solvitur, tanto magis debetur, secundum illud (ad Rom. 13) : *Nemini quicquam debeatis nisi ut invicem diligatis.* Et ideo non est inconveniens si obligatio gratitudinis interminabilis sit. » II. II. q. 106, art. 6, ad 2.

502. Debitum non removetur concessione auctoris beneficii. Etsi hac quasi *lege superiore* regitur beneficium, quam eleganter sic reddidit Seneca, op. cit. l. 2. c. 10 in fine : « Haec beneficii inter duos lex est ; alter statim oblivisci debet dati, alter accepti numquam, » aliquo modo fortius tenet gratiae debitum quam strictae justitiae obligatio. Haec enim juris cessione aufertur, dum nulla abdicatio [1] supprimit debitum quod non respicit ad jus.

Summum, ergo, auctor beneficii valet eum qui obligatur liberare praestatione quadam materiali, quam secus formalis gratitudo juberet fieri.

503. Debitum gratiae consequitur beneficii effectionem, non mere intentionem beneficam. Quamvis gratia interdum reddatur mere *affective*, ejus *debitum* non nascitur nisi ex beneficio *revera percepto*. Donec enim aliquis beneficium revera contulerit, non habet rationem principii respectu alterius [2], quae ratio est causa obligationis. Cfr. demonstrationem. Quare dicebamus in beneficii aestimatione negligi non posse ipsum doni momentum.

---

[1] Id tamen intelligas non suscepto contrario affectu. Mutata enim voluntate, seu concepto odio, videtur ipse beneficii auctor quasi rescindere beneficium. Cfr. Senecam, l. 3, c. 13.

[2] Huc pertinet pulchra disquisitio quam instituit Philosophus l. 9. c. 7 *Ethicorum* de hac quaestione : cur vehementiore affectu amoris feramur in eos de quibus bene meriti sumus quam in eos a quibus recepimus beneficia.

504. De ingratitudine. 1. In *omittendo*, tres apparent esse ejus rationes, cum triplex sit officium positivum gratiae : beneficium *non recognoscere, non agere gratias, non retribuere*, pro copia data [1].

Tres etiam numerantur gradus ingratitudinis, qui *in committendo* consistunt, et hoc quidem ordine : *Retribuere mala* pro bonis : cujus gravitas e rei momento aestimanda est (S. Th. l. c.); *Vituperare beneficium; Reputare beneficium loco maleficii*. Hi duo posteriores modi pertinent jam potius ad ingratitudinem formalem. Less. l. c.

II. *SCHOLIA*.

505. An fas sit declinare beneficium ?

Non solum post acceptum beneficium honestatis regula exigit gratum animum, sed etiam videmur non posse temere declinare beneficium sincera intentione oblatum, ut sic obligationem ipsam effugiamus. Etenim « Debitum gratitudinis ex debito amoris derivatur..... Unde quod aliquis invitus hoc debitum debeat, videtur provenire ex defectu amoris ad eum qui beneficium dedit » (vel offert). S. Th. II. II, q. 107, art. 1 ad 3. Quam vera haec sint, quotidiana experientia comprobatur. Saepe enim protestantur homines se nihil velle debere alicui quem odio habent. Quare Lessius, n. 5, benignam acceptationem inter officia gratiae reponit.

506. De gratia referenda Deo, Parentibus, Superioribus, ob beneficia quibus ab eis afficimur, rectius, cum S. Thoma, eam ascribes ad ipsas virtutes *religionis, pietatis, observantiae*, ut moventes nos ad satisfaciendum omni rationi debiti qua erga Deum, parentes, superiores obstringimur. Etenim, secundum sententiam S. Doctoris, *religio* eminenter continet pietatem, observantiam seu duliam, et gratitudinem ; *pietas* simul est excellentiae

---

[1] Observes, cum id quod est ultimum in generatione sit primum in resolutione, gradus istos ingratitudinis sic ordine disponi, ut primus sit non retribuere beneficium ; secundus, dissimulare non agendo gratias ; tertius, nolle agnoscere. Less. n. 17. et S. Th. l. c.

observantia et gratitudo ; *observantia* denique virtualiter comprehendit gratitudinem ; quae formaliter tum demum fit virtus specialis, cum nullius altioris officii veluti pars est. Cfr. S. Th. q. 106. art. 1. Lessius vero potius, sed minus bene, ascribit nostrum gratum animum erga Deum, parentes et superiores, ad specialem virtutem gratiae. Cfr. Less. l. c. n. 2-4.

PARERGON

DE RELIQUIS VIRTUTIBUS JUSTITIAE CONJUNCTIS

Aristoteles, *Ethicorum*, l. 4 ; ***S. Thomas***, *In* l. 4 *Ethicorum*, II. II, q. 80, 108-114, 117-119 ; ***Lessius***, l. 2, c. 47, d. 4-8.

507. De earum divisione. Ratio virtutis justitiae nonnihil perficietur si, post S. Thomam, compresse dicamus de ceteris virtutibus quae ad eam ut partes potentiales referuntur. Quae quomodo dialectice ordinari possint, jam vidimus **n. 28.**

Ex notione ibi tradita patet eas commode dividi posse in **binas classes.**

Aliae enim, quas dicebamus discrepare a justitia modo quo debitum reddunt, continent *debitum legale,* h. e tale quod etiam lege humana urgetur vel urgeri valet. Porro de virtutibus quae hujusmodi debitum respiciunt, i. e. de *religione, pietate, observantia,* aptius dicitur in 1^ore^ volumine, ubi de quarto Decalogi praecepto.

Aliis non inest nisi *debitum morale*, seu quod honestate virtutis requiritur, non autem cadit in legem civilem. Hoc debitum rursus duplici constat gradu. Priore neglecto, non potest conservari morum honestas : ita debitum *veritatis, gratiae,* et *vindictae* seu *vindicationis* aptus modus ; alter potius confert ad *majorem* honestatem nec plerumque est necessarius ex aliquo praecepto. *Plerumque*, inquam, nam

nulla est virtus cujus non possit praecipi aliquis actus [1]. Virtutes istae sunt *liberalitas*, *affabilitas*, *amicitia*, ad quam S. Thomas refert *aequitatem* ut hanc potissimum consideravimus.

508. De Vindicta. 1. Post gratiam, ordine proxima est *vindicta*, cum ex adverso teneat. Altera enim studet repensationi operis boni, mali operis altera. Saepe non est specialis virtus, ut dictum est n. **25.** Quatenus vero specialis est virtus et potentialis pars justitiae, informat animum personae privatae ad expetendum, legitimo modo, paenas congruas, ab eo a quo injuriose laesa fuit; et hoc quidem consilio, ut se immunem faciat sive ab injuria praeterita, per satisfactionem et injuriae reparationem, sive a futura, cum paena soleat coërcere nocentes. Cfr. S. Th. II. II. q. 80. art. un. c. et ad 1; q. 108. art. 2. c. et ad 1.

Legitimo, inquam, *modo*, h. e. generatim (excipe parvas vindictas ex continenti factas) *non privata auctoritate*; sed confugiendo ad Superiorem et *cum debita moderatione*.

Ut se immunem faciat. Sic indicatur honestas finis quem prosequitur.

Nam si id fiat ob altiorem rationem, v. g. *publicam* causam, ad alteram virtutem erit actus referendus; si vero in malum alterius reduplicative quis intendat, erit actus illicitus odii.

Quatenus vero quis vindictam sic exercet ad bonum *proprium* consequendum, non est contra rationem; nomen tamen et laudem virtutis ex eo adipiscitur vindicta quod perficit inclinationem naturalem qua in ultionem ferimur (S. Th. l. c. art. 2. c. et ad 3), i. e. quatenus debitas observat circumstantias modi et mensurae. Less. n. 26.

2. *Honestas servata in ultione exigenda*, est ergo ejus *objectum formale*. Quare virtutibus accensenda est quae persequuntur debitum morale.

---

[1] Cfr. Gregorium de Valentia. commentariorum theologicorum Tom. 3, d. 5, q. 26, punct. 2.

3. Verum, quia parva illius virtutis laus, et aliunde res agitur multis periculis obnoxia, ut plurimum potius suadenda est, in causa privata, injuriae condonatio, juxta consilium evangelicum. Less. n. 27.

4. Contra hanc virtutem peccat *crudelitas* per *excessum; nimia remissio* in puniendo, per *defectum*.

509. De Veritate. Haec virtus « procurat ut in sermone, scriptura, gestibus aliisque signis, quibus aliquid significare intendimus.... sit conformitas et consensio linguae et mentis, signorum externorum et internae conscientiae. » Less. n. 29.

Pars est (potentialis) justitiae, quatenus respicit nostram agendi rationem ad alterum, et adaequat signa cum rebus significatis. S. Th. q. 109. art. 3. c. Exsequitur debitum morale. De hac sermo fit in priore volumine.

510. De Affabilitate. 1. Affabilitas est virtus qua « homo convenienter ad alios homines ordinatur in communi conversatione, tam in factis quam in dictis, ut scilicet ad unumquemque se habeat, secundum quod decet. » S. Th. l. c. art. 1. c. Ex quo fit ut homo « neque nimis blande neque nimis aspere se gerat in congressibus [1], » sed gratae sit consuetudinis.

Quia exhibet signa communis illius amicitiae quae omnes homines inter se conjungit, vocatur quandoque *amicitia*.

Lessius circumscribit ejus materiam rebus *seriis*, nam « ut *in jocis* sit conversatio nostra grata, praestat alia virtus, quam Arist. l. 4. *Ethic.* c. 9, vocat *eutrapeliam* quae nos decore facit uti jocis et ludicris.... ita ut nec in illis modum excedamus tamquam scurrae, nec ab illis abhorreamus tamquam agrestes quidam et rupicones. » (Less. l. c. n. 47.)

Non habet plenam debiti rationem. S. Th. q. 114, art. 2; q. 80. art. un

2. Attamen ipsi contrarie opponuntur duo vitia :

---

[1] Less. l. c. n. 47.

a) *Adulatio* nempe, qua quis nimium studet in convictu aliis placere. Strictius tamen adulator vocatur qui omnia probat, laudat, propriae utilitatis causa.

b) *Morositas* seu *Litigium* contra, peccat defectu. Morosi et asperi « ubique sunt difficiles, ubique contradictores, nusquam se accommodant. » Less. n. 51.

511. De Liberalitate. 1. « Liberalitas est virtus quae moderatur amorem pecuniae et reddit nos faciles et promptos ad eas expendendas, quando ratio dictat. » Less. l. c. n. 54.

Objectum ejus *materiale*, immediatum et proximum, est *cupiditas pecuniae*, in qua versatur ut ei *modum imponat* : qui modus est ejus *objectum formale*. *Consequenter* respicit *erogationem pecuniae*, quam libenter, hilariter et copiose dat, prout ratio decoris in vita civili fieri postulat. (Less. n. 57.) — Pecunia vero designat hic quaslibet divitias. Quum talis erogatio non sit stricte debita sed pertineat ad majorem honestatem virtutis, dicitur liberalitas minimum habere de ratione debiti. S. Th. II. II. q. 80. art. un. c.; q. 117, art. 5, art. 1.

2. Liberalitati opponitur *Avaritia*, quae excedens in aestimatione et amore pecuniae, nimia est in acquirenda vel in retinenda pecunia (Less. n. 59.); et *Prodigalitas* seu *Profusio,* quae deficit in opibus conservandis, excedit in eis elargiendis, dando iis quibus non oportet vel plus quam oportet.

LAUS DEO ET MARIAE.

BIBLIOGRAPHIA

S. Alphonsus, C. SS. R. *Theologia moralis,* 10 vol. ed. Heilig, Mechliniae, Hanicq, 1852.

Annales parlementaires de Belgique, Bruxelles.

Annibale, C. d'. *Summula theologiae moralis,* 3 vol. Romae, Typ. S. C. de Propaganda Fide, 1891, ed. 3.

Antoine, C. S. J. *Cours d'économie sociale,* 1 vol. Paris, Guillaumin, 1899, ed. 2.

— *Démocratie politique et Démocratie chrétienne,* (opuscul.) Paris, Quelquejeu, 1899.

S. Antoninus, O. Pr. *Summa theologica,* 4 vol. Veronae, 1740.

Aristoteles, *Moralia et Politica.* Parisiis, Firmin Didot, 1848.

Aubry et **Rau.** *Cours de Droit civil français,* 8 vol. Paris, Marchal, Billard, 1869, ed. 4.

Ballerini-Palmieri, S. J. *Opus theologicum morale.* 7 vol. Prati, Giachetti, ed. 2.

Bardenhewer (R. D.) *Patrologie,* 1 vol. Friburg-Brisg, Herder, 1894.

Bastiat, Fr. *Harmonies économiques,* 1 vol. Paris, Guillaumin, 1850.

Baudry-Lacantinerie, *Précis de droit civil,* 3 vol. Paris, Larose et Forcel, 1888, ed. 3.

Bayle et Drach (RR. DD.) *La sainte Bible,* 27 vol. Paris, Lethielleux, 1887.

Bebel und sein « Zukunftstaat » vor dem Reichstage, nach den stenographischen Berichten des Reichstages, nebst Erläuterungen, (Opusculum). Köln, Bachem, 1893,

Beelen (R. D.) *Het nieuw Testament,* 3 vol. Leuven, Fonteyn, 1859.

Benedictus PP. XIV. *De Synodo dioecesana,* libri tredecim, Mechliniae, Hanicq, 1823.

Bernstein, Ed. *Die Voraussetzungen des Sozialismus und die Aufgaben der Sozialdemokratie.* 1 vol. Stuttgart, Dietz, 1899.

Biederlack, Joseph, S. J. *Die sociale Frage,* ein Beitrag zur Orientierung über ihr Wesen und ihre Lösung, 1 vol. Innsbruck, Rauch, 1899, ed. 4.

— Opus istud prodiit etiam flandrice conversum a R. P. A. **Verhaegen,** O. Praem. Averbode, 1900.

Bien Public, journal, Gand.

Billot, Ludovicus, S. J. *De Ecclesia Christi,* 3 vol. Romae, Propag. Fid. 1 vol. 1897, ed. 3; 2 vol. 1897, ed. 2; 3 vol. 1900.

Billuart, O. P. *Summa S. Thomae hodiernis academiarum moribus accommodata.* Secunda secundae, 5 vol. Leodii 1746.

Bossuet. *Traité de l'usure.* — *Sermons.*

Block. *Petit dictionnaire politique et social,* 1 vol. Paris, Perrin et Cie, 1896.

Bouquillon (R. D.) *Theologia fundamentalis,* 1 vol. Brugis, Beyaert, 1890, ed. 2.

Bourdaloue, S. J. *Sermons.*

Brants, V. *La lutte pour le pain quotidien,* 1 vol. Louvain, Ch. Peeters, 1888.

— *Les théories économiques aux XIIIe et XIVe siècles,* 1 vol. Louvain, Ch. Peeters, 1895.

— *L'usure dans la législation contemporaine.* Lucubratio ista prodiit (*Bulletins de l'Académie royale de Belgique,* 1895).

— *Où en est la législation internationale du Travail.* (*Revue sociale catholique,* 1900).

Broedersen (pastor catholicus Delphensis). *De usuris licitis et illicitis,* 1 vol. Lugduni Batavorum, 1743.

Bruin, S. J. *Het arbeidersloon,* in periodico *Studien,* t. 39.

Bucceroni, J. S. J. *Enchiridion morale.* Romae, Forzani, 1891, ed. 2.

— *Institutiones theologiae moralis,* ibid. 1892.

Bulletins de l'Académie royale de Belgique. Bruxelles.

Cajetanus, Thomas de Vio, Cardinalis, O. P. *Commentarii in summam D. Thomae.* In ipsa summae editione. Antverpiae, 1612.

Capart, Alph. S. J. *La Propriété individuelle et le Collectivisme,* 1 vol. Namur, Delvaux, 1898.

Capelle, Ed. (Pseud. **Edm. Delplace** S. J.) *Le Problème actuel.* Études philosophiques sur le socialisme (opusculum), Louvain, Ch. Peeters, 1895.

Carrière, Jos. (Praelectiones theologicae majores in Seminario Sancti-Sulpicii habitae). *De justitia et jure,* 3 vol. Lovanii, C. Fonteyn, 1846.

— *De Contractibus,* 3 vol. ibid. 1846.

Castelein, Aug. S. J. *Le Socialisme et le droit de Propriété,* 1 vol. Bruxelles, Goemare, 1896.

— *Institutiones philosophiae moralis et socialis.* 1 vol. Bruxelles, Schepens, 1899.

Cathrein, Victor, S. J. *Moralphilosophie,* 2 vol. Friburgi Brisgoviae, Herder, 1893, edit. 1.

— *Philosophia moralis in usum scholarum*, 1 vol. ibidem, 1900, edit. 3.
— *Der Socialismus*, 1 vol. ibid. 1898, ed. 7.
— *Das Privatgrundeigenthum und seine Gegner*. (Opusculum) ibid. 1900, ed. 3. Gallice redditum a R. D. **Fritsch**. Louvain, Uystpruyst, 1894.
Cauwès, Paul. *Cours d'économie politique*, 4 vol. Paris, Larose et Forcel, 1893.
Chailley, J. V. *Say*.
Chiaudano, S. J. *Democrazia cristiana e movimento cattolico*, (opusculum). Torino, Bona, 1897.
Cicero, Marcus Tullius. *De finibus bonorum et malorum*.
— *De officiis*.
— *Pro Caecinna*.
Civiltà cattolica. Romae.
Collationes Brugenses. Brugis.
Collationes Tornacenses (ad usum privatum cleri).
Collectio lacensis. Acta et Decreta S. Concil. recentiorum, 6 vol. Friburgi Brig. Herder, 1870-1882.
Concina, O. P. *Commentarium adversus usuram*, 1 vol.
— *Usura contractus trinis dissertationibus historico-theologicis demonstrata, cum 2 Appendicibus*. 1 vol. Romae, 1748, ed. 2.
— *Congrès des œuvres sociales à Liège*, troisième session, 1 vol. Liège, Demarteau, 1890.
Conrad, *Handwörterbuch der Sozialwissenschaften*. Jena, Fischer, 1900 ed. 2, nondum absoluta).
Cossa, L. *Primi elementi di economia politica*, III. *Scienza delle finanze*, 1 vol. Milano, Hoephi, 1896, ed. 7. Gallice conversum a **Bonnet**. Paris, Girard et Brière, 1896.
Crolly (R. D.) *Disputationes theologicae De justicia et jure*. 1 vol. Dublinii, Gill, 1873-1887.
De Gryse E. J. (R. D.) *De contractu conductionis*, 1 vol. Rollarii Flandrorum, De Meester, 1895.
— *Les socialistes & les citations des Pères de l'église sur le droit de propriété*. (*Revue sociale catholique*, 1897.)
— *La Démocratie catholique*. (*Revue sociale catholique* t. 4 & 5. Louvain, 1899-1900. Lucubratio ista prodiit, edita jam parte libri qua agebamus de eodem argumento. Quare ea uti non licuit)
Dehon, (Ch. R. P.) *Manuel social chrétien*. 1 vol. Paris, Maison de la Bonne Presse, 1894, ed. 3.

— *L'usure au temps présent,* (opusculum). Paris, Ibidem.
Démocratie (La) chrétienne, (opusculum). Liège, *Bien du Peuple,* 1899.
Denis, H. *L'impôt.* 1 vol. Bruxelles, Monnon, 1889.
Destrée et Vandervelde. *Le Socialisme en Belgique,* 1 vol. Paris, Girard, 1898.
Devoti, Joannes (R. D.) *Institutionum canonicarum,* libri IV, 2 vol. Leodii. Dessain. 1874.
Dictionnaire de l'Académie française, 2 vol. Paris, Didot, 1878, ed. 7.
Doutreloux, V. Ill. Episcopus Leodiensis. *Lettre pastorale sur la question ouvrière,* (opusculum). Liège, Dessain, 1894.
Duhr, S. J. *Die deutschen Jesuiten in Fünfpercent-Streit des* 16 *Jahrhunderts* (*Zeitschrift für kath. Theol.* Innsbruck, 1900).
Études religieuses, publiées par des Pères de la Compagnie de Jésus. Paris.
Endemann, W. *Studien in der Romanisch-Canonistichen Wirtschafts und Rechtslehre,* bis gegen Ende des siebzehnten Jahrhunderts, 2 vol. Berlin, Guttentag (Collin), 1883.
Fouillée, A. *La philosophie du suffrage universel,* (*Revue des Deux Mondes,* T. 65).
Freund. *Grand dictionnaire de la langue latine,* trad. Teil, 3 vol. Paris, Didot, 1855.
Funk (R. D.) *Recht und Moral in Bezug auf das Wirthschaftsleben* (*Theologische Quartalschrift.* Tübingen, 1869).
— *Zins und Wucher in christlichen Altferthum.* ibid, 1875.
— *Scipio Maffei und das kirkliche Zinsverbot.* ibid, 1879.
Gaggia. *Le usure nelle fonti del diritto canonico.* (*Rivista internationale di scienze sociali.* 1897, 1898).
Gayraud (R. D.) *Questions du jour,* 1 vol. Paris, Bloud et Barral, 1897, ed. 2.
— *Les Démocrates chrétiens, leur doctrine & leur programme,* 1 vol. Lecoffre, 1899.
— *Au congrès catholique de Lille, en* 1893, in *science catholique,* 1894, p. 977 sq.
Génicot, Ed. S. J. *Theologiae moralis institutiones,* 2 vol. Lovanii, Polleunis & Ceuterick, 1900, ed. 3.
George, H. *La condition des ouvriers, lettre ouverte au Pape Léon XIII.* (Opusculum), traduit de l'anglais par **G.** Bordeaux, Robin.
Gide, Ch. *Principes d'économie politique,* 1 vol. Paris, Larose, 1894, ed. 4

Goblet d'Alviella, C^te. *Le devoir social des générations nouvelles* (*Revue de l'Université de Bruxelles,* 1897-1898, p. 81 sq).

Gonzalès, Tellez. *Commentaria perpetua* in libr. Decretalium 5 vol.

Gorce, Pierre de la. *Histoire de la 2e république,* 2 vol. Paris, Plon, 1898, ed. 2.

Gousset (Cardinalis). *Théologie morale à l'usage des curés & des confesseurs.* Bruxelles 2 vol. 1844.

Grotius. *De jure belli et pacis,* libri tres, Amstelodami, 1701.

Harduin, S. J. *Acta Conciliorum.* Parisiis, 1714.

Harmel, Léon. *Manuel d'une corporation chrétienne.* 1 vol. Tours, Mame, 1879.

Hefele (R. D.) *Conciliengeschichte,* 7 vol. Friburgi-Brisg. Herder, 1860; 9 vol. ed. 2 fortgesetz vom C. Hergenröther, ibid. 1890.

— *Ueber den Rigorismus in dem Leben und den Anschauungen der alten Christen* (Theol. Qtschrift, Tübingen, 1841).

Henricus, Cardinalis Hostiensis. *Summa aurea,* 1 vol. Lugduni, 1568.

Hervé-Bazin. *Traité élémentaire d'économie politique,* 1 vol. Lecoffre, 1896, ed. 3.

Hildebrand, Richard. *Recht und Sitte auf der verschiedenen wirtschaftlichen Kulturstufen* (Erster Theil), 1 vol. Jena, Fischer.

Hitze. *Capital & travail,* (Trad. **Weyrich**) 1 vol. Uystpruyst, 1898.

Hulst (R. D.) **D'.** *Conférences de Notre Dame,* 6e conférence, 1896.

Les charges sociales de la propriété. Paris, Poussielgue.

Holaind, D. S. J. *Le Socialisme américain, la propriété et le droit naturel,* opusculum ex anglico sermone gallice conversum a **Buron.** Bruxelles, Schepens, 1900.

Innocentius PP. IV. *Apparatus in 5 libros Decretalium,* 1 vol.

Janet, P. *Les origines du socialisme contemporain,* 1 vol. Paris, Germer Baillaire, 1883.

Jannet, Cl. *Le Capital, la spéculation et la finance au XIXe siècle,* 1 vol. Paris, Plon, 1892

Kant. *Von der Unrechtmässigkeit der Büchernadrucks.* Opusculum inter ejus opera, *Immanuel Kant's schriften,* 10 vol. Leipzig, 1898-1899, vol. 5.

Kerby (R. D.) *Le socialisme aux États-Unis,* 1 vol. Bruxelles, Goemaere, 1897.

Ketteler (Episcopus Moguntinus). *Œuvres choisies* ed. **Decurtins** (opusculum). Bâle, Basler Volksblatt, 1892.

Knabenbauer, S. J. *Commentarii in Evangelia,* 4 vol. Paris, Lethielleux, 1896.

Konings, C. SS. R. *Theologia moralis S. Alphonsi,* 2 vol. Neoeboraci, Benziger, 1877.

Labbeus, S. J. **Cossartius,** S. J. **Mansi.** Sacrorum Conciliorum nova et amplissima Collectio.

Lacroix, Claudius, S. J. *Theologia moralis,* 1 vol. (ed. Zacharia) Ravennae, 1761.

Lantsheere, L. **De.** *Le pain volé (Revue sociale catholique,* 1898)

Lasalle, J. *Capital et Travail* (Trad. B. **Malon**), 1 vol. Paris, libr. du Progrès, 1880.

Laurent, J. *Principes de droit civil.* 33 vol. Bruxelles, Bruylant, 1878.

Laurent, H. *Théorie et pratique des assurances sur la vie,* 1 vol. Paris, Gauthier-Villars, 1898.

Laveleye, E. **de.** *Le socialisme contemporain,* 1 vol. Paris, Alcan, 1894.

Laymann, P. S. J. *Theologia moralis,* 1 vol.

Lehmkuhl, Augustinus, S. J. *Theologia moralis,* 2 vol. Friburgi Brisg. Herder, 1896, edit. 8.

— *Das burgerliche Gesetzbuch der deutschen Reiches,* ibid. 1899.

— *Arbeitersvertrag und Strike,* ibidem 1892 opusculum e germanico sermone gallice expressum a R. D. **Fritsch.** Louvain, Uystpruyst, 1893.

SS. **Leo** PP. XIII. Encyclicae literae, *Immortale Dei.*

— *Rerum Novarum.*

— *Epistola ad Episcopos Belgii,* 10 jul. 1895.

Leroy-Beaulieu, P. *Le Collectivisme, examen critique du nouveau socialisme,* 1 vol. Paris, Guillaumin, 1893, ed. 3.

— *Traité de la science des finances,* 2 vol. Ibid. 1899, ed. 6.

Lessius, Leonardus, S. J. *De justitia et jure ceterisque virtutibus cardinalibus libri* 4. 1 vol.

Liberatore, Matteo, S. J. *Principii di economia politica.* 1 vol. Roma, Befani. 1889.

Lugo, Joannes **de,** Cardinalis, S. J. *De justitia et jure.* 2 vol.

Maffei Scipione, *Dell' impiego del danaro,* 1 vol. Roma, 1746.

Maisonabe, *La Doctrine Socialiste,* 1 vol. Paris, Poussielgue, 1900.

Malon, B. *Précis historique, théorique et pratique du Socialisme,* 1 vol. Paris, Alcan, 1892.

— *Le Socialisme intégral,* 2 vol. Paris, Alcan, 1892 et 1893.

Marrès, (R D.) *De justitia,* 2 vol. Ruremundae. Romen, 1888.

Martin, H. S. J. *L'Encyclique Rerum Novarum.* (*Études religieuses,* t. 54-56).

Marx, K. et **Engels,** F. *Manifeste du parti communiste,* (trad. **Lafargue**). Paris, Giard, 1897.

Marx, K. *Das Kapi al,* Kritik der politischen Oekonomie, 3 vol. Hamburg, Meissner, 1883, 1884, 1894.

Le Capital (1er vol.) par K. Marx, traduction de M. J. **Roy,** entièrement revisée par l'auteur, 1 vol. Paris, libr. du Progrès, 1875.

Mastrofini (R. D.) *Le usure,* libri tre. 1 vol. Roma, Poggioli, 1831.

Mazzella, Em. Cardinalis, S. J. *De virtutibus infusis,* 1 vol. Prop. Fide, 1879.

Migne. *Patrologiae cursus completus.*

Molina, Ludovicus, S. J. *De justitia et jure,* 6 vol. Moguntiae, 1669.

Molinari, de. *Cours d'économie politique,* 2 vol. Paris, Guillaumin, 1863, ed. 2.

Monitore ecclesiastico. Roma.

Montesquieu. *L'Esprit des lois.*

Moore, Isaac, S. J. *Series of lectures on catholic socialism.* (Opusculum.) Richmond (Australia), Mc. Cutchan.

B. **Morus** Th. *De optimo reipublicae statu, novaque insula Utopia.* 1 vol.

Musée social. Paris.

Ott, A. *Traité d'économie sociale,* 2 vol. Paris, Fischbacher, 1892, ed. 2.

Pachtler, S. J. *Die Ziele der Socialdemokratie und der liberalen Ideen,* (opusculum). Friburgi Brisg. Herder, 1900, ed. 3. Gallice, opera R. D. **Fritsch,** Louvain, Uystpruyst, 1893.

Panormitanus Abbas, (Nicolaus de Tudeschris). in *Lectura* Decretales, 8 vol. Venetiis, 1571.

Parieu, de. *Principes de la science politique,* 1 vol. Paris, Santon, 1870.

Périn, Charles. *Le Patron,* 1 vol. Lille, Desclée, 1886.

— *L'Économie politique, d'après l'Encyclique sur la condition des ouvriers,* (opusculum) Paris, Lecoffre, 1891.

— *Note sur le juste salaire d'après l'Encyclique Rerum novarum,* (opusculum) Mons, Desguin, 1892.

— *Premiers principes d'économie politique,* 1 vol. Paris, Lecoffre,

1895, ed. 1 ; Lecoffre, 1896, éd. 2, *suivie d'une étude sur le juste salaire.*

Pesch, H. S. J. *Liberalismus, Socialismus und Christliche Gesellschaftsordnung,* 1 vol. Frib. Brisg. 1892-1900.

— *Zinsgrund und Zinsgrenze* (*Zeitschrift für Katholische Theologie,* Innsbrück, 1888).

Pichler, S. J. *Jus canonicum practice explicatum.*

Pirhing, S. J. *Jus canonicum.*

Pius PP. IX. Encyclica *Quanta cura,* cum *Syllabo* errorum.

Plutarchus. *Scripta moralia,* 2 vol. ed. Didot, 1868.

Pöhlmann. *Geschichte der antiken Communismus und Socialismus.* München, Beck, 1893 (Prodiit adhuc primum volumen.)

Pottier, A. (R. D.) *De jure et justitia.* Dissertationes de notione generali juris & justitiae et de justitia legali, 1 vol. Leodii, Ancion, 1900

Questions sociales & ouvrières, I. *Régime du travail.* (Œuvre des cercles catholiques d'ouvriers) 1 vol. Paris, Lecoffre, 1883.

S. **Raymundus De Pennafort,** O. P. *Summa,* 1 vol. Verouae, 1744.

Rebellus, J. S. J. *De obligationibus justitiae, religionis et charitatis,* 1 vol. Venetiis, 1610.

La Réforme sociale. Paris.

Reiffenstuel, O. S. Fr. Jus canonicum universum, 5 vol.

Revue des Deux Mondes. Paris.

Revue philosophique. Louvain.

Revue sociale catholique. Louvain.

Ricardo. *On the principles of political economy and taxation,* 1 vol. London, Murray, 1821.

Rivista interzionale di scienze socialie discipline ausiliarie. Roma.

S. Rotae romanae decisiones recentiores in compendium redactae, 5 vol. Mediolani, 1731.

Rutten, O. P. *Nos grèves houillères et l'acition socialiste,* 1 vol. Bruxelles, Goemaere, 1900.

Sanchez, Thomas, S. J. *Consilia moralia,* 2 vol. Lugduni, 1655.

— *Disputationes de s. matrimonii sacramento,* 1 vol. Antverpiae, 1626.

Say Léon, & **Chailley** J. *Nouveau dictionnaire d'économie politique,* 2 vol. Paris, Guillaumin, 1893 (supplément, 1897).

Schaeffle, *Quintessenz des Socialismus,* (opusculum). La Quintessence du socialisme, (Trad. B. **Malon.**) Paris, libr. du Progrès, 1880.

Schiffini, Sanctus, S. J. *Principia philosophica ad mentem Aquinatis,* 1 vol. Augustae Taurinorum, Speirani, 2892, ed. 2.
— *Disputationes philosophiae moralis,* 2 vol. ibidem, 1891.
Schmalzgrueber, Fr. S. J. *Jus canonicum,* 5 vol.
La Science catholique, Arras.
Scotus, J. Duns, O.S.F. *Quaestiones in l.* IV *Sententiarum,* 6 vol.
— *Reportata Parisiensia.* 1 vol.
Seneca, Lucius Annaeus. *De beneficiis libri septem.*
Slater, Thomas, S. J. *De justitia et jure* 1 vol. Londinii, Burns Oates, 1898.
Sporer, O. S. F. *Theologia moralis decalogalis,*
Stimmen aus *Maria-Laach.* Friburgi Brisg, Herder.
Stourm, R. *Système général des impôts,* 1 vol Paris, Guillaumin, 1893.
Stuart Mill, John. *Principles of political economy,* 1 vol. London, Routledge, 1895.
Studien, Godsdienst, Wetenschap, Letteren, Utrecht.
Suarez, Franciscus, S. J. *De legibus ac Deo legislatore.*
Taparelli, S. J. *Saggio teoretico di diritto naturale,* 2 vol. Napoli, 1850.
Theologische Quartalschrift Tübingen.
Théry, G. *Exploiteurs et salariés,* 1 vol. Paris, Lecoffre, 1895.
Thiers. *De la propriété,* 1 vol. Bruxelles, De Mortier, 1849.
Thiry. *Cours de droit civil,* 4 vol. Liége, Vaillant, 1892.
S. **Thomas,** O. P. *Summa theologica.*
— *De Regimine Judaeorum,* opusculum, editionis romanae, 21.
— *In Aristotelis stagiritae nonnullos libros commentaria.*
Thonissen. *Le Socialisme dans le passé,* 1 vol.
— *Le Socialisme et ses promesses.* 1 vol. Bruxelles, Jamar, 1849.
Toniolo. *Il concetto cristiano della democrazia.* (*Rivista internazionale di scienzi sociali e discipline ausiliarie,* Roma, 1896).
T'Serclaes (R. D.) **de,** *Le pape Léon XIII,* sa vie, son action religieuse, politique et sociale, 2 vol. Paris-Lille, Desclée, 1884.
Valentia, Gregorius **de,** S. J. *Commentarii theologici,* 4 vol. Ingolstadii, 1603.
Vandervelde, Emile. V. *Destrée.*
Van der Velden, O. S. F. *Principia theologiae moralis,* 3 vol. (ed. P. **Piat,** O. Cap). Tornaci, Casterman, 1882.
Van Gestel, Adrianus, S. J. *De justitia et lege civili,* 1 vol. Groningae, Wolters, 1896, edit 2.
— *Rechten en plichten van het Kapital* (*Studien,* t. 29, p. 1).

Van Overberghe. *Les Caractères généraux du socialisme scientifique d'après le manifeste communiste*. (Opusculum) Louvain, Institut supérieur de philosophie, 1897.

Vasquez, Gabriel, S. J. *Commentarii ac Disputationes in summam S. Thomae*, 7 vol.

— *Opuscula De Beneficiis, De restitutione.*

Verhaegen, A. *Le minimum de salaire,* (opusculum) Gand, Siffer, 1892.

Verhaegen, P. *Les socialistes anglais*. 1 v. Gand, Het Volk, 1898.

Vliebergh, Em. *Le socialisme agraire*. (*Revue sociale cath,* 1900).

Waffelaert, G. J. Illmus Episcopus Brugensis. *De justitia*, 2 vol. Brugis, Beyaert, 1886.

— *Exposé sommaire des principes généraux de la science sociale,* devant servir d'introduction à l'intelligence de l'Enc. *Rerum Novarum* (opusculum) Bruges, Beyaert, 1849.

— *Animadversiones quaedam de justa mercede seu justo salario opificum*. (Lucubratio haec, gallice conscripta, reperitur in *Collationes Brugenses,* t. VI, janv. 1901).

Wagner. *Lehrbuch der Finanzwissenschaft,* IV Hauptabtheilung des Lehr-und Handbuchs der politischen Oekonomie. Leipzig, Winter. 1um vol. ed. 3, 1883 ; 2um vol. ed. 2, 1890 ; 3um vol. 1889-1896 ; 4um vol. (ex parte) 1899.

Wauwermans. *Le droit des auteurs en Belgique*, 1 vol. Bruxelles, Schepens, 1894.

Weiss, Fr. Albert, O. P. *Sociale frage und sociale Ordnung,* oder Institutionen der Geselschaftslehre, 2 vol. Freiburg in Brisg. Herder, 1892.

Winterer, (R. D.) *Le Socialisme international*, 1 vol. Paris, Lecoffre, 1890.

Zech. S. J. *Rigor moderatus doctrinae pontificiae circa usuras a S. D. N. Benedicto XIV per epist encycl. traditus,* etc. 1 vol. Ingolstadii 1751.

— *De jure rerum ecclesiasticarum ad German. cath. princip. et usum,* 1 vol. Ingolstadii, 1758.

Zeitschrift für katholische Theologie, Innsbruck.

INDEX ONOMASTICUS

Numeri indicant seriem paginarum

Adrianus VI, 338.
Ahrens, 80.
Alexander III, 327, 455.
Alexander VII, 459.
Alensis, 260.
S. Alphonsus, C. SS. R. 97*, 132*, 180, 181, 310, 312, 328, 329, 333, 353, 362, 365, 382, 383, 386, 409, 411, 470, 481, 504.
S. Ambrosius, 265, 273, 446, 448, 466*, 484.
Andreas, Joa. 617.
Andronicus, 617.
Antoine S. J., 414*, 491, 531, 533, 538, 546*, 548, 563.
S. Antoninus O. P., 491, 519, 528.
Annibale, Card. **d'**, 164, 290, 318*, 329, 332, 334, 336, 340*, 352*, 355, 411*, 444, 464, 475, 479, 481, 486.
Appolonius, 444.
Aristophanes, 463.
Aristoteles (Philosophus), 40, 80*, 260, 289, 415, 434*, 436*, 463, 469, 527*, 612, 618, 629.
Aubry, 316, 371, 398, 401.
Auerbach, 199.
S. Augustinus, 18, 167, 203, 265, 274, 315, 364, 450.
Ausonius, 446.
Ballerini-Palmieri, S. J., 175, 180, 181, 316, 337, 338, 355, 356, 357, 365, 383*, 384, 392, 395*, 465, 470, 471, 475, 481, 488, 605.
Bardenhewer (R. D.), 266*, 267*.
Bartoli, 307.
S. Basilius, 264, 268, 446, 453, 484.
Bastiat, 104, 198, 414*, 420, 440, 468*, 486, 507*, 519.
Baudry, 278, 352*, 392*, 398, 400*, 402, 629.
Bayle (R. D.), 583*.
Bebel, 198.
Beelen (R. D.), 583*.
Beernaert, 81*, 90, 129.
Bellamy, 197.
Benedictus XIV, 444, 457, 463, 473, 479, 485, 490, 492, 606*.
Berardi (R. D.), 137, 408.
Bernstein, 193*, 195*, 196, 199, 207*, 222.
Beusch, 365.
Biederlack S. J., 232, 550, 581*.
Billot S. J., 204*.
Billuart O. P., 149, 161*.
Blanc, 198, 201.
Bisping, 583*.
Block, 72*, 81*.
S. Bonaventura O. S. F., 319.
Bossuet, 266, 464, 473.
Böhm von Bawerk, 487.
Bouquillon (R. D.), 333.
Bourdaloue S. J., 592.
Brants, 210*, 211*, 438*, 462, 491*, 559*, 600.
Brocqueville, de, 89, 90*.
Broedersen (R. D.), 463.
Broglie de, 104.
S. Bruno Astiensis, 452.
Bucceroni S. J., 40, 137, 316, 408.
Buron, 186*.
Cabet, 197.
Cajetanus O. P., 42*, 64*, 165*.

Calixtus III, 493.
Calvin, 463.
Capart S. J., 192*, 236, 245, 274.
Cardenas S. J., 329.
Carrey, 397, 507*.
Carrière (R. D.), 14, 40, 51, 137*, 153, 160, 183, 279, 289, 291, 315, 316, 345*, 347, 348, 352, 352*, 355, 356, 372, 392, 394, 398, 401, 409.
Campanella, 197.
Cassiodorus, 344.
Castelein S. J., 216*, 219*, 297*, 474, 514, 540*, 544, 549, 551, 552*, 562*, 564, 566, 598.
Castro, de, 469.
Cathrein S. J., 6*, 7, 13, 22, 31*, 106, 161*, 201, 207*, 216*, 232, 236, 262, 264*, 274, 278, 289, 290, 294, 297*, 316, 426, 531.
Cato, 362.
Cauwès, 97, 98, 100, 102*, 104, 105, 106*, 112, 116, 125*, 129, 278*, 283, 288, 414*, 421, 434, 487*, 489*, 508, 510*, 512*, 513*, 526, 564*, 575.
Cicero, 80*, 228, 308, 344, 463, 467, 557*, 625*.
S. Clemens Romanus, 267.
Clemens Alexandrinus, 359, 445, 452.
Colins, de, 198.
Cobden, 540*.
Colbert, 495.
Comte Carolus, 316.
Concina O. P., 468*.
Coninck S. J., 328*.
Conrad, 191, 223, 260, 437*.
Conradus, 383.
Cossa, 95*, 97*.
Courcelles-Seneuil, 106.
Courçon, R. de, 395, 504.
Crolly, 137, 139, 153, 359, 407.
S. Cyprianus, 445, 617.
Dehon, R. P. 490, 550, 598.
De Gryse (R. D.), 264*, 274, 518, 532*, 533, 548, 570, 580.
Denis, 98, 100, 107, 112, 125.
Destrée, 189*, 190*, 199, 215*, 221*, 231*, 237*.
Devoti (R. D.), 463, 468*.
Diderot, 197.
Dignant (R. D.), 274.
Donellus, 334, 465*.
Doutreloux, Ill. D. 598.
Drey, 454.
Du Cange, 478.
Duhr S. J., 460*.
Engels F., 187*, 192*, 206, 463.
Engels L. O. S. B., 473*.
Esbach (R. D.), 532, 534, 538, 550.
Eusebius, 444.
Ferri, 193*.
Fritsch (R. D.), 186*.
Fouillée, 93*.
Freund, 612.
Funk (R. D.), 421, 422, 433, 465, 473*, 474*, 475, 479, 490.
Gaggia, 456.
Gaïus, 335*, 344.
Garnier J., 107*.
Gayraud (R. D.), 73*, 513, 516, 526*, 532, 550, 551*, 564*, 566, 569, 570, 577.
Génicot S. J., 80, 85*, 87*, 137, 139, 181, 232, 316, 382, 412, 515, 544, 548.
Gennari (R. D.), 232.
George H., 191, 198, 203, 210, 218, 225, 230, 507*.
Gide, 435*, 491*.
Ginouilhac, 104*.
Girardin, E. **de**, 187*.
Goblet d'Alviella, 523*.
Gonzalez (R. D.), 341.
Goossens, Card., 533,
Gorce, de la, 201*, 233*.
Gousset, Card., 137, 365, 422.
Gratianus, 267, 454, 455.
S. Gregorius Magnus, 266*, 276, 451.
S. Gregorius Nyssenus, 269, 446, 453.
S. Gregorius Turonensis, 451.
Gregorius X, 455.
Gregorius XIII, 456*.
Gregorius XVI, 458.
Grotius, 244, 290, 298, 337, 463.
Guesde, 199.
Gury S. J., 137, 157, 334, 474.

Gury-Ballerini S. J., 353*, 458*, 461.
Guyot Yves, 104*.
Harduin S. J., 466*.
Harmel, 598.
Hefele (R. D.), 456, 460*.
Hegel, 192.
Henricus, Card. Hostiensis, 457, 490.
Héricourt, d', 316.
Hervé-Bazin, 210*.
S. Hieronymus, 265, 276, 449, 452.
S. Hilarius, 448.
Hildebrand Richard, 236.
Hitze (R. D.), 202*.
Hobbes, 245.
Holaind S. J., 211*, 218, 228, 229, 245, 253, 255, 279.
Hulst (R. D.) **d'**, 528, 550.
Innocentius IV, 457.
Innocentius XI, 157, 459.
S. Ivo, 452, 454.
Jannet Cl., 437*, 473*, 484, 485, 486*.
Janson, 84*.
S. Joannes Chrysostomus, 265, 269, 428, 447, 452, 523.
S. Joannes Damascenus, 452.
Josephus II, 485.
Kautsky, 199.
Kant, 316, 321.
Keesen (R. D.), 513, 548.
Ketteler, Ill. D., 266, 299, 305*.
Knabenbauer S. J., 171*.
Konings C. SS. R., 137.
Lachat, 471.
Lacroix S. J., 328, 329.
Lactantius, 448, 453.
Langenstein, de, 559*.
Lantsheere, de, 313*.
Lasalle, 198, 216*, 511.
Laurent F., 398, 402.
Laurent H., 481*.
Laveleye, de, 187, 191*, 229, 236, 266*.
Laymann S. J., 181, 406, 411*.
Lehmkuhl, S. J., 26, 136, 138, 141, 151, 181, 183*, 297, 316, 337, 355, 356, 365, 370, 392, 396, 402, 407, 411*, 432, 444, 458*, 461, 465, 470, 481, 491, 502*, 550, 565, 605.
Leo X, 466.
SS. Leo PP. XIII, 9, 60, 74, 203, 245, 251, 527, 528, 591, 597*, 600, 601, 604.
S. Leo Magnus, 450.
Leroux, 187*, 198.
Leroy-Beaulieu P., 100, 105*, 108, 116, 119*, 121*, 122*, 126*, 194*, 216*, 221, 229, 506.
Lessius S. J., 39, 43, 44, 51, 104, 115, 149, 153, 164, 181, 260, 275, 278, 283, 287, 305, 307, 326, 338, 351, 353, 364*, 378, 382, 383, 386, 411*, 419, 434, 457, 461, 464, 483, 504, 519, 528, 620, 622, 626, 628-634.
Liberatore S. J., 106, 416.
Liebknecht, 198.
S. Ludovicus IX, 357.
Ludovicus XII, 352.
Luther, 463.
Lugo, Card. **de**, S. J., 23, 24*, 25, 37, 40, 44, 51, 54, 63, 68, 97*, 103*, 104, 111, 115, 132*, 149, 150, 153, 155*, 160, 164, 171, 172, 175, 180, 184, 242, 245, 246, 263*, 278, 283, 300, 307, 310, 315, 328, 330*, 333, 334, 336*, 338, 340*, 348*, 350, 353, 354, 361, 364*, 368, 370, 372, 375, 377, 380, 383, 390, 392, 396, 402, 411*, 413, 417, 419*, 433, 434, 436, 457, 464, 467, 483, 486, 488, 504, 519, 528, 560*, 572.
Maffei, Scip., 454, 456*, 461, 463, 474*.
Malon, 186*, 188*, 192*, 194, 195*, 198, 205*, 231.
Manning, Card., 550.
Marioni, 237*.
Marrès (R. D.), 40, 132, 133, 137, 140, 290, 316, 368, 402, 550, 564.
Martin, S. J., 577.
Martinus V, 204*, 493.
Marx K., 187*, 192, 194, 198, 205, 206, 208, 224, 234*, 237, 420, 424*, 425, 426*, 505.
S. Maximus Taurinensis, 428, 450.
Mazzella, Card. S. J., 203*.
Melanchton, 463.
Médina, 383.

Ménier, 104.
Metz-Noblat, de, 485*.
Mirabeau, 104.
Modeste, 471.
Molina S. J., 9*, 24*, 26, 36, 39, 44, 51, 67, 79*, 97*, 104, 111, 115, 123, 132*, 149, 153, 165, 167, 172, 175, 176, 179*, 183, 184, 240, 242, 283, 286, 305, 307, 315, 328, 337, 338, 351, 352, 353, 372, 375, 383*, 402, 419, 429, 434, 436, 457, 464, 486, 488, 504, 519, 573, 579, 629.
Molinaeus, 463, 475.
Molinari, de, 526.
Monaco, Card., 607.
Morel Julius (R. D.), 471.
Morelly, 197.
Montesquieu, 197, 291.
Moore Isaac, S. J., 187*.
B. Morus Thomas, 197.
Nicotra (R. D.), 538, 550, 566.
Ollivier Aem., 558.
Ott, 512.
Owen, 198, 201.
Palmieri S. J., 137, 184, 356*, 408, 472.
Parieu, de, 71*, 96.
Panormitanus Abbas, 617.
Pasqualigus O. Theat., 461.
Paulus, 331, 428.
Périn, 105, 513, 515, 521*, 529, 531, 533, 538, 541*, 542*, 550, 559, 563, 564, 565, 574, 581.
Pesch S. J., 465, 474, 481, 487, 489, 491, 526.
Pichler S. J., 339, 352, 461, 463.
Pioger D., 187*.
Pirhing S. J., 457.
Pius IX, 75*.
Plato, 197, 235, 463.
Pöhlmann, 200*.
Pottier (R. D.), 10, 24, 26*, 40, 43, 46*, 47, 48, 151, 153, 299, 307*, 313, 550, 554, 581*, 583, 607.
Procopius Gazaeus, 451.
Proudhon, 122*, 187*, 198, 415*.
Pachtler S. J., 232.
Quesnay, 495, 506.
Rabanus Maurus, 452.
Rampolla, Card., 534.
Rau, 316, 371, 398, 401.
S. Raymundus O. P., 337, 457, 466*, 468*.
Rebellus S. J., 242*, 263, 383*, 419*.
Reiffenstuel O. S. F., 457, 474.
Reuter S. J., 268.
Ricardo, 198, 208, 225*, 526*.
Ricardus a S° Victore O. S. B., 319.
Rodbertus, 216*.
Roscher, 191, 211*.
Rousseau J. J., 245.
Rutten (R. D.), 77*.
Rutten O. P., 603.
Saa, 108.
Saint-Simon C. **de**, 198.
Sanchez S. J., 51*, 63, 328, 357, 381,
Say J. B., 106, 416, 420, 506.
Scavini (R. D.), 356.
Schaeffle, 106, 188, 189*, 191, 202, 234*.
Schaffers S. J., 126*.
Schérer, 71*.
Schiffini S. J., 48, 145*, 502*.
Schild, 332.
Schmalzgrueber S. J., 22, 25, 291, 337, 338, 353, 456*, 457, 464, 466, 474, 589.
Schmoller, 191.
Scotus J. D. O. S. F., 159, 242, 260, 289, 338, 353, 383*.
Seligman, 108.
Selignon, 104.
Seneca, 463, 621, 625*, 628, 629.
Senior, 420.
Sidonius Apollinaris, 451.
Sixtus V, 456, 493.
Slater S. J., 339, 407.
Smet de Naeyer, de, 89.
Smith Adam, 95, 105, 115, 198, 420, 496.
Spence, 197.
Sporer O. S. F., 493, 504.
Steccanella S. J., 550.
Storch, 420.

Stourm, 07*.
Stuart Mill, 116.
Suarez S. J., 42*, 48, 64, 115, 132*, 184, 242, 260, 263*, 402, 406, 407, 408, 479, 492, 619.
Tacitus C., 259*.
Taparelli S. J., 14*, 24 , 48, 106, 290, 298, 550, 558*, 563, 575, 581.
Tertullianus, 171*, 445, 453.
Theophylactus, 171*.
Théry, 523.
Thiers, 104, 121,.
Thiry, 357*, 398.
S. Thomas O. P., *Passim*. Cfr. *Ind. alphab. rerum*.
Thonissen, 200*, 201*.
Toniolo, 53, 62, 70*, 76*.
T'Serclaes (R. D.) **de**, 533*, 534*, 538, 550, 558 .
Turinaz, Ill. D., 538.
Urbanus III, 455, 456.
Valentia, Gregorius **de**, 45, 328*. 460*, 473*, 631*.
Van den Heuvel, 90*.
Vandervelde, 53*, 188*, 190*, 199, 215*, 221*, 231*, 237*.
Van der Velden O. S. F., 365.
Van Gestel S. J., 40, 48, 51, 283, 400, 402, 407, 412.
Van Overberghe, 102*, 211*.
Varron, 526.
Vasquez S. J., 163, 165, 167, 173, 181, 242, 263, 361, 371, 372, 374, 379.
Verhaegen A., 505, 515, 517, 532, 533, 538, 550, 563, 577.
Verhaegen P., 233*.
Vliebergh, 237*.
Volders, 199.
Vollmar, von, 196, 199.
Waffelaert, Ill. D., 26, 32, 37*, 40, 43, 51, 80, 85*, 89, 134*, 137, 139, 141, 151, 153, 279, 290, 316, 400, 402, 411, 542*, 557, 565.
Wagner, 104, 106.
Wauwermans, 316.
Werner, 199.
Weyrich (R. D.), 202*.
Weiss O. P., 444, 469, 474, 487, 507, 513.
Wicleff, 203, 242.
Woeste, 81*, 85*, 90.
Zallinger, 297.
Zech S. J., 338, 347, 419, 459*, 460, 464, 473, 485, 488.
Zigliara, Card. O. P., 534, 538.
Zwinglius, 463.

INDEX RERUM ALPHABETICUS

Numerus, nullo addito, = numerus marginalis
Numerus, apposita litera p, = numerus paginarum
Asteriscus annotationes significat
Lineola interducta (—) = vocabulum in principio positum
V. S. = Vide summam rerum in operis initio

A

Ablatio rei alienae. Quandonam dominus sit irrationabiliter invitus, 150-154.

Absolutum salarium familiale, *V. Familiale.*

Acceptio personarum, 137, an valida, 1583.

Actionarii Officia, 441, 459.

Adolescens operarius. Salarium, 444. Officia magistri, seu heri, 466. Interventus Status, 468.

Adulatio, 488, 511.

Adulta mulier. Officia heri erga ipsam, 465. Interventus Status, 468.

Adulterium, consentiente conjuge, 1442.

Adultus vir, operarius. Officia erga ipsum, 464. Interventus Status, 468.

Advertentia requisita in contractibus, 306.

Aenea lex salarii, 179 p. 199, 192, 404, 446.

Aequalitas justitiae, 17, 18, 23b. — justitiae distributivae, 68; arithmetica, geometrica, 68; heri et operarii, 402.

Aestimatio communis tribuit valorem, 339, 342, 343, 346. — quid statuat de sala[illegible], 406, 407, 415, 439, arg. 1. Quibusnam fundetur aestimatio communis pretii operae 415.

Aequitas, cur per se appellari nequeat in causa salarii, 439 N. B. p. 565, sed per accidens, p. 569, 3. Aequitatis vera ratio, variae significationes, etc. *V. S. q. XI.*

Affabilitas, virtus justitiae annexa, 143, 28, 511; comparatio cum aequitate, 488.

Agrarius socialismus, 174, 178, 1803, 181 B, 182 B, 183 B, 185.

Agri conducti, quod ad jura colonorum, 454.

Alienandi bona, facultas, 222.

Allmenden Helvetiae, p. 2292.

Alteritas justitiae, 29, 30 sq., 46.

America, socialismus. 178 a.

Amicitia. virtus annexa justitiae 28, 511. Ejus comparatio cum aequitate, 487.

Anarchismus, oeconomicus, p. 212, 223b.

Anarchistae, 178 b, c, 184.

Anatocismus, 364, p. 467.

Anglia, socialismus 178 a. *V. Leges.*

Animus possessionis, 255, 263.

Apostolici, haeresis, 1803.

Aristoteles, ejus argumenta contra communistas, 190. *V. Indicem onomasticum.*

Arithmetica aequalitas, 68; progressio, 109.
Avaritia, 511.

B

Baratra, 364 p. 467.
Belgium, quod ad: tributa, 100, 102, socialismum, 1792; divisionem soli, 181, b, 2; leges de usuris, p. 462; de opificibus, 468 N. B.
Beneficium, 494, 503, 505.
Bilateralis contractus, 288; primum obligationis initium, 318.
Bohemi fratres 1793.
Bona, quaenam sint objectum distributivae justitiae, 60, 61, 65.
Boycotting, 474.

C

Caelebs, num ejus opera minoris sit aestimanda, 4331, 440 p. 567, 450.
Canonistarum, sententia de usuris, 360, p. 457.
Capitale, quid sit socialistis, 176, N. B. Vera ejus ratio 389. — an pecunia, 398. Ejus partes in valore generando, 388, 397; ejus jus exigendi fructuum partem, 394, 411.
Capitalismus, 389.
Capitalista, 389.
Cardinalis virtus, quaenam, 13.
Caritas, quomodo sit ad alterum, 33. — non est appellanda per se in causa salarii, 439 p. 5652, sed per accidens, p. 5693. Quodnam salarium rependendum si ex caritate suscipias negotium, conducas operarium, 443. Officia mutuae caritatis inter magistrum et operarium, 455, 457, 463-467. — prohibens operistitia, 475. Ejus comparatio cum aequitate, 481, 482, 485, 487.
Castrensia requisita, in usuris, 366.
Cathedrae socialismus, 175.
Catholica disciplina proprietatis, 237, de operariis, magistris, 469.
Catholicus socialismus, 173.
Causa contractuum, 287, 292. De turpi causa, *V. S. q. VII c. 1.*
Census contractus, 360 p. 460. 385.
Census terrae. Error Ricardo, et census proprie dictus 181 A, 183 B, 1.
Centesimae usurae, 364, p. 467.
Christiana ratio proprietatis, 237.
Christus, quomodo potuerit satisfacere, 31. — an cessit jure ad vitam, 147.
Civilis fructus, 392. — modus acquirendi, 211. — possessio 255, 333 c.
Civitas, *V. Respublica.*
Coactio eorum qui nolunt partem habere in operistitiis, 474.
Collectivismus, quid, 1802. — Cetera *V. Socialismus.*
Collectivum salarium, 426, 428, 438, 439 p. 5646, 452.
Collegia artificum, opificum, et mixta, *V. Sodalicia.*
Colonus conducens agrum, 454.
Combination, 354.
Commercium, Res extra, 1953.
Communismus, quid 173b. Ejus experimenta 1793. — an viguit in initio, 191. — quod ad salarium, 431.
Communitas bonorum, quaenam sit a natura, 201 p. 257 b; 208, 232, 439 p. 561. — quaenam fuisset ante peccatum, 205.
Communitas, in qua locum habeat justitia generalis, 53, 54. Variae species communitatum, 53*. In quibusnam observanda sit justitia distributiva, 75. Quaenam laedatur injustitia generali, 136.
Commutativa justitia. *V. Justitia.*
Compensatio, occulta, cur non permittatur objus probabile, 333*. — an ex testamento informi, 333. — quandonam proprie exerceatur, 333 c. — quaenam exigi possit in stipulatione, 342, 345.

Commutatio justa, *V. S. q. VIII.* Cedit in utriusque partis bonum, 348.
Compensatoria usura, 364.
Concilia, De praescriptione, 269; de usuris, 360.
Concio, an typis vulgari possit, 251.
Concursus, ad conferenda munera, 137*.
Condictio indebiti, 298, 333.
Conductio operarum et operis, 391.
Conductor quisnam sit in contractu, 391.
Congregationum romanar. responsa de usuris, 360 p. 461.
Confusio, modus acquirendi, 221.
Conjugalis status, quomodo intentus a natura, 438.
Conscientia, quomodo afficiatur lege venationis etc. 217; lege irritante, 333.
Consensualis contractus, 288.
Consensus quo tollitur injuria, 140-149.—contractuum, *V. S. q. VII, c. 2.* — non est norma adaequata pretii, 341, 346.
Contractus inter populum et principes, quisnam exsistat, 126.
Contractus in universum, *V. S. q. VII.* Quod ad medium rei, 347.
Contumeliae adversus operarios, 464.
Cooperatio eligentis indignum, 91.
Cooperativae coloniae H. Owen, 179 *fine.*
Corner, 354.
Correctio fraterna. Ejus debitum in hero, 464.
Creditor, quod ad praescriptionem, 276.
Crudelitas, 509.
Culpa, ex qua oriatur restituendi obligatio, 172.

D

Darwinismus, ejus a socialistis usus, 186b.
Debita incerta, quod ad restitutionem, 167.
Debitor. Fides quod ad praescriptionem 276, 278, 279. — an ultro solvere teneatur, 278*. Nimia mora divitum, 382.
Debitum justitiae, 23. Respicere debitum est justitiae proprietas, 29, 30, 34. — justitiae legalis, 50. Remissionis effectus, 3014 c. — aequitatis, 487; affabilitatis, 507, 510, amicitiae, 507 — seu grati animi, 498-504. — legale et morale, 507. — liberalitatis, 507, 511. — veritatis, 507, 509. — vindictae, 507, 508.
Decens victus, undenam definiatur, p. 571, 572.
Dégressif (tributum), 1042*.
Democratia. Varia significatio, 78. De christiana agitur a n. 77 ad 82.
Deputati a populo electi, quaenam sit eorum ratio. *V. S. q. III, c. 1.*
Deus habetne jura, 6. Ipsi non possumus reddere debitum ad aequalitatem, 143. Ejus supremum dominium non est limes proprietatis, 233. Num comparate ad Ipsum habemus potius usumfructum quam dominium? p. 305. Ratio fidelitatis quae Ipsi vel ab Ipso debetur, 290. Qua virtute Ipsi redditur gratia, 506.
Distributionis regula, 59, 63, 64, 71.
Distributiva justitia, *V. Justitia.*
Divitiae, ratio oeconomica, 389.
Dominicalis labor, 464, 468.
Dominium perfectum, utile, nudum, radicale, 1952. — Industriale et scriptorum, 246-253.
Donatio. Intentio requisita in —, 146. — inofficiosa, 334. — dissimulata, 334. — remuneratoria, 501.
Duellum, 474.

E

Electio popularis ad munera, 74.

Eleemosynae, possintne fieri a civitate, 654, 70. De verbis Domini « quod superest date eleemosynam », 1592.

Emptor, quod ad justum pretium, 342, 345, 3467, 355.

Encyclicae auctoritas, 80*.—*Quanta cura*, 75*; *Immortale Dei*, 7, 80; *Quod apostolici*, 197; *Rerum Novarum*, 65, 80, 180, 197, 415, 419, 421, 428, 434, 439 p. 5644, 453*, 455, 458, 465, 466*, 468, 469, 471, 477, 489; ad Episcopos Belgii, 458.

Epiikia, 479, 492.

Error circa personam, an tollat obligationem restituendi, 167. — in contractibus, 308-314.

Eutrapelia, 510.

Excusatio minoris mercedis, 406, 409, 410, 412, 424, 447, 448, 449.

Exercitus perpetui. Origo, 97.

Existenzminimum, 104.

Expropriatio, comparata cum praescriptione, 2741.

Externi, qua ratione participent bona communia, 76. An ipsis carius vendi possit, 352.

F

Familia, quaenam consideranda, 445. Familiae necessitas, quae jura tribuat, 151, 153, 154, 232 A, 1, b).

Familialis salarii ratio varia, 426; debitum, *V. S. q. X, c. 2, art. 2*; descriptio plenior, 444, 445.

Fas, quid, 9.

Femina operaria, 444, 465, 468.

Fenus, *V. Usurae.* — perpetuum, renovatum, 364 p. 467. Fenoris taxatio, 380. Quomodo differat a taxatione operae humanae, 415.

Ferae. Quomodo fiant propriae, 217, 221.

Festivus labor, 466, 468.

Ficta promissio, obligatio, 303.

Fidelitas. Ejus obligatio, 290, — divina, 290*, — erga Deum, 290.

Fides bona, mala possessoris, 255, 266, — in praescriptione, 267, 278, — creditoris, 276, — successoris, 277, — debitoris, 278, — in fure, 279.

Filius. Inter patrem et filium an ordo justitiae, 39, — qui damnificat parentes. 148.

Fiscale dominium, 97.

Formalis ingratitudo, 495, 496, 498, 504, — usura, 364.

Fraudes in materia tributorum, militiae, 128-131.

Fructus qui acquiruntur possidenti, 284.

Fungibilis res, 365.

Furis praescriptio, 279.

Furtivae rei praescriptio, 286

G

Gallia, quod ad: gravitatem tributorum, 100; socialismum 178, *fine* et 179; officinas nationales, 179, *fine*; divisi soli possessionem, 181, *fine*; jus hereditatum, 223, N. B. *V. Leges.*

Generalis justitia, *V. Justitia.*

Gentium societas, 54. — foedera ad tuendos operarios 468, N. B.

Geometrica aequalitas, 68. — progressio, 109.

Germania, quod ad socialismum, 178, *fine*, 1792.

Gratia, virtus annexa justitiae, 28. *V. S. q. XII.* — An debeatur hero, operario, 456, 494.

Gratuitus contractus, 288. — ex metu factus, 315.

Gratus animus, *V. S. q. XII.*

H

Haid, contractus, 393, p. 501.

Hegeliani, quod ad tributa, 104, 108, 2) — processum dialecticum, 176, b, α).

Hereditaria successio. Quo jure habeatur. Sententiae, 223, probatio, difficultates, 224-228. Quid in jure civili, 223, N. B.
Heres, ejus possessio civilissima non impedit compensationem, 333.
Hernhuters, 179 p. 200.
Herus, V. *Magister*. Societas herilis, 455, 467.
Homicidium assentiente illo qui perimitur, 1442.

I

Industrialis fructus, 392.
Incometax, 104.
Inconstantia, 290.
Inexsistens contractus, 325.
Infamantia verba et promissoria, comparatio, 3011.
Infirmus, invalidus contractus, 288.
Ingratitudo formalis, materialis, 495-498, 500, 504.
Injuria, materialis, formalis, 140, 144, 145. Quo consensu tollatur, et quousque, 140-148.
Injustitiae vitium, 133-135; gravitas, 132-135. De injustitia illegali. Fontes peccati, specificatio, cur plerumque non sit accusanda, 136. — latior acceptio, 138.
In integrum restitutio, 155.
Integrales partes justitiae, 27.
Intellectualis virtus, quae, 13.
Interesse, quid, 364.
Internationale (secta), p. 199.
Interpretatio legis irritantis, 328.
Intimatio consensus in contractibus, 316-323. *V. S. q. VII, c. 2, art. 3.*
Inventoris privilegium, 246-253.
Invitus irrationabiliter, quisnam sit, 150-154.
Italia. Gravitas tributorum, 100.

J

Judaeis indulta feneratio, 358, 360 p. 456.
Judex. Vis sententiae in foro conscientiae, 332, 337.
Juridica officia, quaenam, p. 305*.
Jurisdictionis ratio, 50 p. 301.
Jus *(lex) V. lex civilis.* — Gentium. Qua ratione ipsi ascribantur rerum divisiones a scholasticis, 1973; a nobis, 207.
Jus, *V. S. Exordium*(4-11). Juris cessio quid requirat, 146-148. Jus ad rem ex contractu et ad bona communia, 172. Juris objectum, 7. Jus proprietatis, *V. Proprietas.*
Justitia. Ejus ratio et definitio, divisio, proprietates, *V. S. q. I.* Comparatio cum aequitate, 481, 482, 484, 485, 487; comparatio cum gratia seu grato animo, 499, 502.
Justitia *commutativa*, 21, 26. *V. Contractus, Injustitia, Restitutio.* — quod ad operistitia, 473, 474.
Justitia *distributiva*, 21, 26, 32. *V. S. q. II, c. 2*, (55-76). De justa ratione tributorum, *V. Tributa.* De contraria injustitia, 134, 137. An obliget ad restitutionem, 1583.
Justitia *domestica*, 25.
Justitia *generalis* seu *legalis*, 21, 26, 32. *V. q. II, c. 1* (41-54). De ejus ratione internationali, 54. De contraria injustitia, 134, 136. Falsa appellatio in causa salarii, 429, 439 p. 563.
Justitia *particularis*, 21, 26.
Justitia *socialis*, 51.
Justitia *vindicativa*, 21, 25, 508.
Justum, quo sensu sit aequale debitum, 17; dicitur absolute, 37. — pretium, 340 et *V. S. q. VIII.*

K

Kantiani. De jure proprietatis sententia, 1975.
Kartelle, 354.

L

Labor, non est titulus primigenius proprietatis, 215₂. Varii labores, 394 p. 502. Laboris jus, vera, falsa ratio, 440, N. B. — personarum religiosarum, quomodo nocere possit artificibus, 448.

Lacte matris alendi infantes, p. 576*.

Lateranense decretum de praescriptione. Ejus vis, 269, 272, — de usuris, 360 p. 455; 364.

Legale debitum, 597.

Legalis justitia. *V. Justitia.* Legale pretium, 340.

Leges *canonicae*, de praescriptione, 269, de usuris, 360.

Leges *civiles*, de praescriptione, 269, 271, 284, 285. Judicium de hodiernis legibus in hac re, 278, 283-286. — civiles de causa turpi contractuum, 298. De initio obligationis contractuum, 323. — infirmantes actus, *V. S. q. VII, c. 3.* — de usuris, 360 p. 460, 361; de operariis, 468, N. B, 477. *V. Status.*

Lessii sententia de legali justitia, 43, 48; de distributiva justitia, 58. *V. Indicem onomasticum.*

Lex dicitur jus, cur. 4, 9. Ordo inter legem et jus subjective vel objective sumptum, 10, 11. — divina, quaenam sit fons jurium, 9*. — positiva humana. Ejus partes in sanciendo regimine bonorum, 203. Non est titulus primigenius acquirendi, p. 215₂. Ejus partes in jure hereditatum, 223, 229; partes in limitanda proprietate, 231, 232, 234. — irritans et prohibens, 324. Legis vis in contractus, *V. S. q. VII, c. 3.*

Lex *aenea* salariorum, 179 p. 199; 192, 404. — oblati et quaesiti, 341, 353.

Lex *civilis* an fundet titulum petendae usurae, 372.

Liberalis disciplina tributorum, 104. — proprietatis, 237. — valoris et pretii, 341, 356, 410. — salarii, 427, 437. — officiorum erga operarium conductum, 455. — de ordinum varietate, 469.

Liberalismus. Ejus et socialismi comparatio, 184.

Liberalitas, virtus annexa justitiae, 143, 28, 511. — an permissa civitati, 654.

Limes juris quid, p. 300. - Quinam limites juris proprietatis, 231-235. Necessitas ponit limites juri proprietatis, 232, A, 2. — salarii, 404 et *V. S. q. X. c. 2 art. 2.*

Litigium, 510.

Locator, quisnam, 391.

Locatum-conductum operarum, operis, quid, 391. De illo contractu *V. S. q. X.*

Lockout, 470, 476.

Lucratoria usura, 364.

Lucrum merum, 405, 406. — cujusnam sit, 393, 394, 396 p. 506. Lucri pars concessa operariis, 402. Quid si lucrum insperatum, 408. Quid, si nulla lucri spes, 409.

Lugdunense concilium, de usuris, 360 p. 455.

Lugo (Card. de) sententia de legali justitia, 43, 48; de distributiva justitia, 58. *V. Indicem onomasticum.*

M

Magister negotii utilis operario ipsiusque indigens, 401; praemia concedens operariis, 402. — contrahens cum operariis, *V. S. q. X.* Magistri officia post contractum, *V. S. q. X, c. 3.* Magistrorum *Lockout*, 470, 476.

Major *pars*, cur dirimat res, 95.

Mandatarius. Sufficit insinuatio ipsi facta, 320.

Martyres an cesserint jure ad vitam, 147.

Marxistae, 178, c.
Massones, An socialistae his assimulandi, 187. — Quid massonum secta, ibidem.
Materia *gravis*, obligans sub levi, 307.
Materialismus historicus 173, b, *a*; 181, A, 1.
Media *familia*. Cur potius sumenda *ordinaria*, 445.
Medicus procurans exemptionem indebitam militiae, 129-131.
Medium *virtutis*. Justitia habet medium rei, 36. Medii necessitas. An restitutio ita sit necessaria, 168.
Mentalis usura, 364.
Mercatorum monopolia et conventa, 353.
Merces justa, *V. S. q. X, c. 2.* — justa differt a mercede infima, 404, 422. Ratio materialis ejus, 402, 425. Mercedis et victus mutua relatio, 446.
Merx, quomodo merci assimuletur opera humana, 410, 414. — tradita in solutum, 416.
Metallicae venae, cujusnam sint, 218.
Metus, in contractibus, 308-315.
Meum, tuum, etc. Quae vis vocis, 7, 8. An meae res exteriores, sicut membra, 209.
Militia, estne tributum, 121. facultas se redimendi ab — 122, 123. Ejus oneris partitio an justa, 124. Quo pacto obliget conscientiam, 129-131.
Minor *aetate*, renuncians rescissioni, 336.
Minor *pars* eligens aliquot deputatos, 94.
Mir, imperii russiaci, 2292.
Miseria non est conditio intenta a natura, p. 565.
Mixtus contractus, 288. — socialismus, cfr. *Agrarius*.
Moderna usura, quid, 381.
Mohatra, 364 p. 467.
Molinae sententia de legali justitia, 43, 48; de distributiva justitia, 58. *V. Indicem onomasticum.*
Monopolia Status, 97, 183 A, 2, b. — scriptoris et inventoris, 246-253. De privatis, 354.
Montes pietatis, 360 p. 459.
Mora debitoris, 278, 382, 416.
Morale debitum, 507.
Moralis virtus quaenam, 13. — causa, quaenam, 394 p. 502.
Moratoria usura, 364.
Moraviae fratres, 1793.
Mores. Cura in officinis, 464, 466, 468.
Morositas, 488, 511.
Munera, an materia distributionis, 64, 67, 71, 73. Quodnam jus competat digniori, 74. Quid si concursus, 137. An jus suffragii sit munus, 86, 88.
Musica opera. Monopolium, 246.
Mutuae suppetiae (societates), 70.
Mutuum, *V. S. q. IX.* Ejus notio, 363.

N

Natura, qua ratione res fecerit communes, 201 p. 257; 203, 205, 208. — qua ratione voluerit proprietatem privatam, p. 257, n. 204, 207. Quomodo non deficiat in causa salarii, 439, 440 p. 569.
Naturalis obligatio contractuum, 325.
Necessaria alimenta, quomodo pendeant ex prosperitate generali, p. 571.
Necessitas extrema, quasi-extrema, gravis, 2323. — ponit limites juri proprietatis, 232. De jure extremae necessitatis, 232, A, 1. — an demonstret proprietatis jus, 206. An ex ea definiatur salarium, p. 5682.

Nocturnus *labor*, 466, 468.
Norma justae distributionis, 63, 64, 65_2, 66, 71.
Normale salarium, 439 p. 564_1.
Nudus contractus, 288.
Nullus *contractus*, 288, 325; ex lege positiva, 324, 326_2, 327 *fine*, 329, 331, 333; ex judicis sententia, 332, 337; ex intentione partium, 335. Quid si renunciaveris rescissioni civili, 336.

O

Obedientia, 48.
Objectum juris, 7, 8. — justitiae, 16, 29, 35. — justitiae legalis, 44, 45. — distributivae justitiae, 58, 60, 61, 62.
Oblati & *quaesiti* lex, 341, 353.
Obligatio, ex jure suffragii, 91; — ex tributis, 125, 126; — ex contractu, 287, 289, 290_5, 302-307. — *V. Contractus*. Initium obligationis, 316-318. — ex turpi causa, 292-298. — ex sententia judicis, 337. — aequitatis, 487, — grati animi, 498-503. — non declinandi beneficium, 505.
Observantia, virtus annexa justitiae, 28, 507. Observantiae officia in operariis, 455, 456, 460, 463.
Occupatio, quid, 213, 214. Est factum primigenium quo acquiritur proprietas, 214, 215, 216 — per alium, 219.
Oeconomiae liberalis, usus a socialistis, 179_1, A, f., 186, g., 341.
Oeconomicus fructus, 392.
Oeconomistae. Eorum sententia de valore, 179, 1, A, f.; de genesi valoris, 388; de primigenio titulo proprietatis, 213; de salario, 439 p. 564_1.
Officia non juridica non ponunt limites proprietati, 233, 235. *V. Obligatio*.
Officiales praepositi vectigalibus. Quid si eos corruperis. deceperis. 128. — praepositi militiae. Quid si eos corruperis, 130, 131.
Officinae nationales, L. Blanc, 179 *fine*.
Officinator. *V. Magister* negotiorum.
Officium se suosque alendi, an recte ex eo colligas pretium operae humanae, 434.
Onera, an objectum justitiae distributivae, 58, 60, 61.
Onerosus contractus, 288.
Opera *humana*. Non est mensura adaequata valoris, 342. — Neque ejus una causa, 388. Quaenam operae conducantur, 403. Quomodo merci assimuletur — 410, 414. De ejus valore et pretio, *V. S. q. X.*
Operarius utilis magistro ipsoque indigens 401; partem in lucro habens, 402. De ejus rationibus, *V. S. q. X.* Operistitia, 470-477.
Operarum, operis locatum-conductum, quid, 391.
Operatio. Quid, 35*. Materia justitiae, 35.
Operis locatio, 391, 413, 454, 461.
Operistitia. *V. S. q. X, quaestiuncula residua.*
Ordo religiosus, an in eo locum habeat legalis justitia, 53.
Originale peccatum non laesit naturae substantialia, 439, p. 561_2.
Orthodoxi oeconomistae, 388.

P

Palliata usura, 364.
Paraguaienses coloniae, 179, 3.
Parentes. Impares sumus solvendo quod ipsis debemus, 143. — damnificati a filiis, 148. — Qua virtute ipsis referatur gratia, 506.
Pater. An inter patrem et filium ordo justitiae, 39. — ordinatur ad alendum filium, 438.

Paterfamilias, quod ad tributa, 114.
Patres (SS.). Eorum sententia de privatis possessionibus, 210. De usuris, 358, 359.
Peccatum usurae, 364, 367, 379. — contrarium usurae, 382. Peccati occasio in officinis, 464, 466, 468.
Pecunia. Quid, 340. Ejus sterilitas, 365. — an capitale, 398. Quid si pro pecunia solvatur merx, 416.
Peregrini qua ratione participent bona communia, 76., solvant tributa, 108.
Permutatio justa. *V. S. q. IX.*
Persona. Ejus notio juridica, philosophica, 5. — moralis, 7, b. — Personae aestimatio auget salarium, 415.
Personalis *independentia* hominum, 5, 7, 439 arg. 2. Quomodo operae sint personales, p. 570.
Personalis *salarii* ratio spuria, 426, N. B., 429.
Philosophi, socialistarum antesignani, 1791. A. — adversarii juris naturalis possidendi, 197,5.
Photographica imago personae invitae, 246, 252.
Pietas, virtus annexa justitiae, 143, 28, 506, 507. — non adaequat debitum, 143. V. *Quasi-Pietas*. — in patriam, 48, 473, 475.
Piscatio, jus, leges, 217.
Plan of campaign, 474.
Plurale suffragium, 94.
Politica secessio operaria, 473.
Pollicitatio, 289. Prioris pollicitationis obligatio, 322.
Pool, 354.
Populus conferens munera, 74, 96. Populi suffragium, 86, 92.
Possessio. *V. S q. VI, c. 1.* — valoris, 339.
Possibilistae, 178, c.
Potentiales partes, 20. — justitiae, 28, 508.
Praelectionum editio, 251.
Praemia operariorum, 402.
Praescriptio. *V. S. q. VI, c. 2.*
Pretium. Vera ejus ratio, 340. *V. S. q. VIII.* Quid si monopólium, 354. Estne pretium operae, 406, 407, 410, 422. — rerum non est norma adaequata salarii, 428; nec limitis inferioris, 432. — facti turpis, 294.
Primigenium factum, quod ad proprietatem, 212.
Princeps. Quomodo ipsi insit justitia legalis, 52.
Privilegia an componi possint cum distributiva justitia, 69. — scriptorum, etc. 246-253; possessionis, 256, 284, 285.
Procurator. V. *Mandatarius*.
Prodigalitas seu profusio, 512.
Progressio arithmetica, geometrica, 109.
Progressivum tributum, 104, 1112, 1113, 112.
Proletarii, quid, 176, N. B.
Promissio ex fidelitate, ex justitia; Deo facta, 290,3-5, — mere interna 3001. Externa quid, 301,1, 305. — ficta, 303. — pecuniae a viatore invaso, 146. Voluntas non standi promissis, 304. — in gratiam tertii, 321.
Proportionale tributum, 104, 1111, 112.
Propositum, 2905.
Propria res. Quo pacto fiat propria, 209.
Proprietas privata. *V. S. q. V, c. 2.* Proprietas editi libri et divulgati inventi, 246-253. Non amittitur praescriptione, 281.
Proprietates justitiae, 29 sqq.

Prosperitas generalis, quid valeat ad definiendum salarium, p. 571.
Publicum dominium, 97.
Puer operarius, 444, 466, 468.
Pugna inter ordines (*lutte des classes*) 1803, 181, A. 1.
Punitoria usura, 364.
Pupillus consentiens in damnum, 158.

Q

Quasi-contractus, 288.
Quasi-pietas, 451 p. 587, 456, 460, 464-466.
Quasi-possessio, 2553, — libertatis, 282.

R

Realis contractus, 288. — usura, 364.
Rectitudo, 12.
Redemptio operis nimis vili pretio, 413. De indicatione a redemptoribus mercedis operariis solvendae, 413. — agri, 454.
Reditus, Tributum in —, 117. Functiones redituum, 111.
Relativum salarium familiale, 426, 431, 438, 440.
Religio, virtus annexa justitiae, 143, 128, 506, 507, — sanciens votum, 2904.
Religiosorum communismus, p. 2542 — labor, 448.
Représentation proportionnelle, 93.
Rerum Novarum Encyclica. *V. Encyclica.*
Res exteriores, quomodo fiant propriae, 209, 238.
Rescindibilis contractus, 288, 324, 325.
Responsum romanum, 404*, 420, 428.
Respublica. Ejus optimum regimen, 86; potestas, *V. Status.*
Restauratoria usura, 364.
Restitutionis variae acceptiones, 155. Cujusnam virtutis sit actus, 157, 158, 1591. — fontes, 156-159, 163. — necessitas, 168. — utrum obligatio positiva an negativa, 170. Quid si culpa theologica levis, 171. — radices, 160-162, 164, 169. Quid si erraveris circa personam, 165. Restitutio in aliena specie, 166. Quid si debita incerta, 167. Restitutio ex operis titiis, 474, N.B., ex laesa aequitate, 487.
Révolution, quid secundum socialistas, p. 194.
Romanum jus. Ejus definitio proprietatis, 236.

S

Salarii aenea lex, p. 199, n. 192, *V. Merces.*
Satisfactio quomodo differat a restitutione, 1554. — Christi, 31.
Scandalum magistri seu heri, 464, 468.
Scholastici. Eorum sententiae de tributis, 104; de jure proprietatis, 197, 1982; de facto primigenio, 213; de hereditaria successione, 223; de notione proprietatis privatae, 2312; de errore et metu, 309; de valore, 341; de usuris, 360 p. 457, 362; de rationibus injusti in locato-conducto operarum, 416; de salario, p. 572, 573; de aequitate, 479, 480.
Scriptor libri. Ejus privilegium, 246-253.
Scriptura sacra. De locis qui videntur socialistis favere, 183, A. 1. — de usuris, 358. — de valore operae humanae, p. 561*. — de privilegio colonorum, 454.
Servitus personarum. Quomodo servis consulatur a natura, 451.
Servitus. Praescriptio, 275.

Socialismus. *V. S. q. V, c. 1.*
Socialis justitia, *V. Justitia.*
Socialistae quod ad tributa, 104. — An efficiant Massonum sectam, 187. — qua ratione iniquum dicant praesentem ordinem, 188. Quae fides danda eorum temperamentis, 193. — quid sentiant de hereditatibus, 223, b. — quod ad valorem, 176, 341, 343, 388, 396, 397. — quod ad salarium, 431. — quod ad officia quae contractum comitantur vel consequuntur, 455. — quod ad ordinum varietatem, 469.
Socialistae *politici* quod ad tributa, 104, 1082. — quod ad Status theoriam, 173, 23112.
Societas gentium, 54.
Societas contractus, 390. — inter operarios et magistrum, 395. — herilis, 455, 467.
Sodalitia mercatorum, artificum, 354. — opificum, 453, 477. — mixta, 467.
Sollemnis contractus, 288.
Solutio, quomodo differat a restitutione, 1554.
Specificatio, Modus acquirendi, 221.
Status socialismus, 175. — munus, 218. — monopolia, 97, 183 A 2 b. — quod ad usuras, 380. — procurans laborem, 4401. — indicans operum redemptoribus quodnam salarium minimum ab ipsis foret solvendum, 413. — definiens stipendia, 433. — protegens operarios, 468. — prohibens operistitia, 477.
Sterilitas agri, quod ad jura coloni, 454 — pecuniae, 365.
Subjectum juris, 5, 53. — justitiae commutativae, 26. — distributivae, 26. — legalis, 52.
Subsidia ex aerario, 654, 70.
Substantia rei, juridice, 195, 2, b.
Successio. Notio, 211, 222. Hereditaria successio. *V. Hereditaria.*
Successor, quod ad praescriptionem, 277.
Suffragii jus, 85-96.
Suffragium *universale*, 94.
Summum *jus summa injuria*. Veritas effati, 491.
Summum *pretium*, 340.
Sumptus industriales. Elenchus, 405.
Superior. Quis titulus, 456. Qua ratione ipsi referatur gratia, 506.
Superioritas hominis in res, an demonstret proprietatem, 206.
Supernaturalis oeconomia differt a naturali, 439 N. B. p. 566.

T

Tacitus contractus, 288.
Temeraria propositio, quid, p. 203, 2*.
Testamentum (*actus*) Quid, p. 293. De jure testandi, sententiae, 223; origo a natura, 226,1, 227, 228.
Testamentum *(antiquum, novum) V. Scriptura sacra.*
Theologica virtus quae, 13.
S. Thomae sententia de divisione justitiae, 24; de legali justitia, 43; de distributiva justitia, 58; de principio justae distributionis, 59; de forma civitatis, 86, 92; de jure proprietatis, 197; de praescriptione 280; de sterilitate pecuniae, 365; de forma stipulationis operarum, 399; de aequitate, 487, 488; de gratia, q. XII passim; de partibus potentialibus justitiae seu virtutibus conjunctis, *Parergon*, post *quaest. XII.*
Tituli extrinseci, in usuris, 366, 371.
Toniolo, De justa distributione, 59.
Tributum. *V. S. q. III, c. 2.* Gra-

phica descriptio tributorum, 119, 120.
Tridentinum decretum *Tametsi*. Ejus ratio, 327.
Trinus contractus, 385.
Truck system, 416.
Trust, 354.

U

Unciariae usurae, 364, p. 367.
Unilateralis contractus, 288.
Usucapio, 267, 277.
Usurae. Praescriptio, 278, 3. — *V. S. q. IX*. Notio usurae, 364.

V

Valetudo operarii, 464, 468.
Valor. Theoria socialistarum, 176, b, d., 1, 341, 343. De vera ejus ratione, 339, 341. — Quid ubi nulla aestimatio communis, 350. — socialis, 351. De sententia Bastiat, 341, 356. De sententia Marx, 341, 343. De ejus genesi, 388, 396, 397.
Vectigal, *V. S. q. III, c. 2*.
Venae carbonariae, metallicae, cujusnam sint, 218.
Venatio, jus venandi, etc. 217.
Venditor, quod ad justum pretium 342, 345, 349, 352, 355. Venditorum monopolium, 353.
Veritas, virtus annexa justitiae, 28, 507, 509. Comparatio cum fidelitate, 290.
Verum *pretium*, 340.
Vestitus contractus, 288.
Victus et cultus relatio ad salarium, p. 571.
Viennense concilium, de usuris, 300, p. 455.
Vindicatio, Vindicta, virtus annexa justitiae, 25, 28, 507, 508. *V. Justitia vindicativa*.
Virtutis partes subjectivae, quasi-integrales, quasi-potentiales, 20.
Vitia consensus, 308-315. *V. S. q. VII, c. 2, art. 2*.
Vulgare pretium, 340.

5209

239.27
V591

VERMEERSCH?S.J. A.

AUTHOR

Quaestiones de Justitia

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
SEP 26		

239.27
V591

5209